JOHANNIS RAINOLDI,

DE ROMANÆ ECCLESIÆ IDOLOLATRIA, IN CVLTV SANCTORVM, RELIQUIARUM, IMAGINUM, AQUÆ, SALIS, OLEI, ALIARUMQ; RERUM CONSECRATARUM, & SACRAMENTI EUCHARISTIÆ,

OPERIS INCHOATI

LIBRI DVO.

IN QVIBVS CVM ALIA MVLTA VARIORVM PAPISMI PATRONORUM errata patefiunt: tûm inprimis Bellarmini, Gregoriiq; de Valentia, calumniæ in Calvinum ac ceteros Protestantes, argutiæq; pro Papistico idolorum cultu discutiuntur & ventilantur.

JEREM. 51. 9.

Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquite eam, & abeamus quisque in terram suam.

OXONIÆ,

Apud JOSEPHVM BARNESIVM,

M. D. XCVI.

IOHANNIS RAINOLDI,

DE ROMANÆ FIDEI IDOLOLATRIA, IN CIVITV SANCTORVM, RE-

liquiarum, imaginum, aquæ, salis, olei, aliarumq; rerum consecratarum, &c

OPERIS INCHOATI

Liber primus.

Græcis & Latinis, communis Cultus.

Ivxta Exemplar Parisiense.

Anno. 1. 9.

ILLVSTRISSIMO COMITI ESSEXIÆ, ROBERTO DEVREVXO,

JOHANNES RAINOLDVS S.

CVM multa sunt, ut nosti, Comes illustrissime, quæ fructus lætos uberésq; ferunt reipublicæ, si diligenter excolantur : tûm nihil ampliores, quàm vera pietas & religio. Nam Deus, & promissis, non modò [a] Iosuæ factis, sed etiam [b] toti Ecclesię, prosperatum iri omnes qui de Lege ipsius meditantur interdiu ac noctu, ut observent ea quæ scripta sunt, confirmat : & [c] exemplis populi sui ostendit, secundos dari rerum successus persistentibus in sancto Dei cultu, adversos declinantibus ad idololatriam. Quod perspectum habens vir omnium virtutum luminibus ornatissimus, *Franciscus VValsinghamus*; curavit pro eximia, qua tûm Academiam Oxonienſem publicè, tûm me privatim est complexus, benevolentia & amore, ut extraordinarius controversiarum adversus Pontificiæ superstitionis propugnatores & satellites professor designarer : otiúmq; mihi singulari sua munificentia fecit, quo liberiùs, animo ab aliarum rerum curis soluto, huic

[a] Ios. 1. 8.
[b] Psal. 1. 3.
[c] Iud. 2. 14. 1. Sam. 12. 11. 2. Reg. 17. 7.

ūni curæ vacare posſem. Eo autem nimiùm, ah nimiùm præmaturè, ſi Deo aliter viſum eſſet, ſed poſteaquam, ut [a] David, ætate ſua Dei conſilio inſervierat, ad * beatam pacem & requietem tranſlato: excellens tua benignitas liberalitaſq; cauſam, & mihi, & Academiæ dedit [b] Sibyllinum illud de ſacratę arboris ramo uſurpandi;

[a] Act. 13. 36.

* Obiit 6. Aprilis. 1590.

[b] Virg. Æneid. lib. 6.

primo avulſo non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.

Quapropter, quod à priſcis in dedicatione quorundam monumentorum, memoriſq; animi teſtificatione, uſurpatum eſt, LVBENS MERITOQVE: id, ut hæc in tuo nomine apparerent, (quorum partem etiam ex prælectionum fonte profluxiſſe, ipſe, qui præſentia tua Scholam noſtram, comitantibus viris Ampliſsimis, ornaſti, facilè recognoſces,) admonitionis loco eſſe potuit. Neque verò mihi eorum tantummodo beneficiorum grata recordatio, quibus Academici noſtri, & ego, tibi obligati ac devincti ſumus, admôvit calcar, ut hoc lubens meritoq; faciam. Inſigne ſtudium tuum de patria bene merendi, & ſalutem omnium tûm conſilio domi, tûm armis foris tuendi, ſi laudem vel ex hoſtis ore merea-

mereatur, quanto plus officii postulat à cive? Etenim ut [a] Assuerus rex è Chronicorum suorum lectione excitatus est ad rei rege dignę meditationem, & pręmium Mardochæo pro benefacto tribuendum: sic tuæ in historiis, & sacris, quibus primum locum jure defers, & aliis evolvendis cogitationes ad usum vitæ cuncta revocant; ut *inde* (quemadmodũ rectè monet [b] Livius) *tibi tuæq; reipublicæ, quod imitêre, capias; inde fœdum inceptu, fœdũ exitu, quod vites.* Itaque [c] Philippi Cominæi dictũ, *plus in unico libro videri tribus mensibus, quàm viginti ætates hominũ observent;* in te experientia docuit verum esse. Quod prudentissimo suo judicio cõprobavit Serenissima Princeps, quum in lectissimorum Consiliariorum cœtum te ascivit, nihilo majorem ętatis rationem habens, quàm annalis legis habuerunt Romani in Scipione Æmiliano. Quem studiis optimarum artium excultum (ut [d] Xenophontis Cyrus assiduè manibus versatus, [e] Polybiúsq; & Panętius familiares arguunt) [f] creavit populus Consulem, antequam per annos lege præfinitos vel Prętor esse posset. Ac ille [g] Plinio visus est tres summas in homine res præstitisse: *optimus orator, optimus imperator, optimus senator.* Tamen

[a] Esth. 6. 1.
[b] Lib. 1.
[c] Chron. Ludovic. XI. cap. 34.
[d] Cic. ad Quint. fratr. lib. 1. epist. 1.
[e] Vellei. l. 1.
[f] Livi. epit. lib. 50.
[g] Nat. hist. lib. 7. ca. 27.

adversus Numantinos missus, populum uni-
[a] Vellei. lib. 2. Appian. de bell. Hispan.
us duntaxat urbis Hispaniæ, [a] eos intra annum tandem ac tres menses, quamvis sexaginta millium exercitu instructus, debellavit. Tu minoribus multo copiis eductis, contra hostes longè potentiores & plures, vix unum mensem abes: & exspectatione videmur nobis falli, quòd victoria celebrem reversum nondum audiamus. Sed qui tam nobili genere, tanta rerum copia, inter tam multas voluptatum illecebras, ita belli aut pacis artibus servieris, ut dignum te præbueris elo-
[b] Vellei. l. 1.
gio [b] Scipionis, *Semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit*; qui miles in Belgio, Lusitania, Gallia, discrimina non minora, quàm [c] Scipio,
[c] Plutarch. in vita Paul. Æmil.
subieris; qui imperator missus sis eôdem, quò Scipio; ac utinam memineris item [d] ejus dictum, *Imperatorem me mater, non bellatorem peperit*; qui denique tuo sanguine, ut
[d] Frontin. stratagem. l. 4. c. 7.
[e] 2. Sam. 23. 17.
[e] Scriptura loquitur, quia periculo sanguinis & vitæ, non solùm causam Principis, sed & Dei gloriam, neque patriæ modò pacem, sed Ecclesiæ, defenderis, defendas; Scipiones omnes hac ex parte superans, similiorq; [f] Iosuæ & [g] Davidi gerentibus bella Iehovæ: tali
[f] Ios. 9. 1.
[g] 1. Sam. 18. 16.

nisi

niſi tanto magis me lubentem magiſq; meritò dedicare iſtuc grati animi pignus agnoſcam, parum ſanè reputem quanto triplicatis quaſi vinculis arctiùs obligemur quàm ſingulis, & plus ob beneficia privata & publica, quàm altera tantùm, debeamus. Illud hîc moleſtum mihi eſſe poſſet, atque haud ſcio an in aliorum, ſaltem Papiſtarum, reprehenſiones incurſurum ſit: quòd & inchoatum opus, veluti fœtum abortivum, edo; & ſeriùs tardiuſq; ac exſpectabatur. Verùm non dubito quin excuſatum me utrinque habituri ſitis, tu, & tui ſimiles: qui noſtis, [a] neque Conſuli Caio Antonio culpæ datum eſſe, quòd pedibus æger non prodierit in prælium contra Catilinam; & conſultiùs eum feciſſe, quòd Petreium legatum emiſerit cum quantis poſſet copiis, quàm ſi certamen refugiſſet, aut procraſtinaſſet. Papiſtarum autem maledicis cenſuris cenſorem [b] Iuvenalem opponere ſatis habeo: *Vt linguas mancipiorum Contemnas.* Quid enim ſi non ſolùm tarditatem meam, ſed etiam valetudinem, cauſam tarditatis, perſtringant & condemnent? quod ex eorum grege fecit non nemo. Eodem ſpiritu, quo [c] Genebrardus, commemoratis

[a] Salluſt. in coniurat. Catil.

[b] Satyr. 9.

[c] Chronogr. lib. 4. anno Dom. 1564.

ratis variis morbis Calvini, quibus (teſte [a]Beza) afflictus obdormivit: *An Herodes*, inquit, *terribiliùs animum Satanæ reddiderit, equidem neſcio*. Rabioſus [b] canis. Quiſi ab iſta Satanę ſententia ferenda revocari nequivit verbis Spiritus ſancti, damnantis inimicorum judicium de Davide, [c] *Res nequiſſima tenaciter inhæret ei*; & [d] increpantis [e] temeritatem amicorum Iobi: at meminiſſe debuit Heſſelium, ab [f] ipſo inter Pontificios Theologos celebratum, teſtantibus item ſuis, *innumeros morbos* contraxiſſe; *primùm febres acutiſſimas, dehinc atrociſſimam ac pæne quotidianam calculi carnificinam, adhæc moleſtiſſimam podagram, ſubinde diuturnam graviſſimamq; tuſſim, mox etiam hæmaptyſin, denique & apoplexiam, quæ ſemel iterumq; recurrens, ubi totum iam eum in ſuam redegit poteſtatem, tandem poſt annuam propè luctam miſerè opprimit atque extinguit.* Carptoris verò mei triumphus, inde actus, quòd pedum manuúmve dolore ad aliquot menſes retardatus ſum ab opere inſtituto; pompę ſuę ſpeciem facilè amittet ex recordatione Pontificum, Gregorii Primi, & Pii Secundi: quorum [h] illum *podagra in lectulo detinuit biennium ferè integrum, tantiſq; doloribus afflixit, ut vix diebus feſtis ad trium horarum ſpatium ſurgere*

[a] Præfat. comment. Calvin. in Ioſ. & in vita Calvini.
[b] Phil. 3. 2.
[c] Pſal. 41. 9.
[d] Iob. 42. ver. 7. & 8.
[e] Iob. 4. 7. & ſequẽtibus.
[f] Ejuſdem operis libro eodem: anno Dom. 1566.
[g] Henric. Grav. & Ioan. Soteaux, epiſt. præfixa Heſſelii brevi & catholicæ decalogi explicationi.
[h] Greg. epiſtolar. lib. 8. epiſt. 35.

gere valeret; [a] *ne ad loquendum quidem aſsurgere interdum*; [b] hic autem non ſolùm *podagra*, aliiſq; morbis, ſed etiam *chiragra laboravit*. Porrò editionem operis imperfecti ſi in me cenſoria notâ dignam judicent: videant quid dicturi ſint pro [c] Cardinalis Palęoti opere, cujus duo libri duntaxat editi ſunt de quinque.

[a] Lib. 12. epiſt. 7.
[b] Anton. Campan. in vita Pii II.
[c] De imaginibus ſacris & profanis.

[d] *Vt jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones:*
Vt teipſum ſerves, non expergiſceris?

[d] Horat. lib. 1. epiſt. 2.

[e] Ille, contendens latriam imaginibus quibuſdam eſſe debitam, eaq; re inſtigans ad idololatriam, [f] latrocinium ſuum pręmatura operis nondū abſoluti editione exercet. Ego ex adverſo præpropere meum edo, ut meipſum ſervem & eos qui me audierint, quemadmodum [g] Timotheum ſuum monet Paulus. Nam qui [h] væ mihi denunciatum didici, niſi evangelizem; nec voce propter corporis & laterum infirmitatem perinde poſſum, atque olim; evangelizo manu & ſcriptione, quoad poſſum: ut [i] Cynægirus Athenienſis, quum fugientes Perſas ad naves egiſſet, onuſtam navem dextra manu tenuit; eaq; amputata, navem ſiniſtra comprehendit; quam & ipſam quum amiſiſſet, ad poſtremum morſu navem detinuit. Itaque, neglectis cenſuris iniquo-

[e] Palæot. de imag. lib. 1. cap. 32.
[f] Ioh. 10. 1.
[g] 1. Tim. 4. 16.
[h] 1. Cor. 9. 16.
[i] Iuſtin. hiſt. lib. 2.

iniquorum, judicium facti mei, ut inprimis tibi, Comes illustrissime, sic cunctis æquis rerum æstimatoribus permitto: de quibus non dubito quin istuc qualecunque & quantulumcunque meæ erga Amplitudinem tuam observantiæ ad posteros monumentum ap-
[a] Esth. 4, 16. probaturi sint. Deus, qui [a] Estheræ precationem pro salute populi sui exaudivit; & cor Esthere movit, ut populum Iudæorum ad ardentissimas preces pro se fundendas excitaret; pias Serenissimæ Reginæ ac fidelium totius regni preces pro te exercitúq; universo exaudiat: & felicem tibi reditum concedat, ut utriquepatriæ, terrenæ, in qua natus; cœlesti, in qua regenitus; id est, & reipublicæ nostræ, & Ecclesiæ, quàm diutissimè ornamento subsidióq; esse possis. Oxon. è Collegio Reginæ. Iul. 7. 1596.

INDEX TRACTATVVM, LIBRORVM, ET CAPITVM.

Epistola ad Anglicorum Seminariorum alumnos Romæ & Rhemis.

Præfatio in libros de Romanæ Ecclesiæ idololatria.

LIBER PRIMVS
De Romanæ Ecclesiæ idololatria.

CAP. I. *Ecclesiam Romanam idololatriæ in cultu Sanctorum, reliquiarum, & imaginum, à Luthero, Melanchthone, Magdeburgensibus, Calvino, aliisq; Protestantibus, non per calumnias & mendacia, ut Bellarminus falsò asserit, sed verè & meritò accusari.*

II. *Protestantes immanis Sanctorum omnium contemtus, & horribilium in omnes cœlites blasphemiarum, falsissimè à Bellarmino argui. Primò Calvinistas, quos vocat: tum Erasmum.*

III. *Lutherum horribilium in omnes cœlites blasphemiarum falsissimè à Bellarmino argui.*

IV. *Magdeburgenses horribilium in omnes cœlites blasphemiarum falsissimè à Bellarmino argui.*

V. *Calvinum horribilium in omnes cœlites blasphemiarum falsissimè à Bellarmino argui.*

VI. *Protestantes impiè à Bellarmino traduci, tanquam Porphyrij, Iuliani, & omnium, qui unquam impia cœlitibus bella intulerunt, imitatores. Ac Vigilantium & VViclefum iniustè cum Porphyrio & Iuliano copulari.*

VII. *Pro-*

VII. *Protestantes falsò à Bellarmino accusari, quasi negent Sanctorum mortuorum spiritus aspectu Dei in cœlo frui. Papistas autem huius erroris verè argui.*

VIII. *Protestantes falsò à Bellarmino accusari, tanquam nullum Sanctis hominibus mortuis Angelísve honorem haberi velint. Tum Papistas illis honorem debitum detrahere.*

IX. *Protestantes falsò à Bellarmino accusari dedecoris per contumeliam Sanctorum mortuorum reliquijs illati. Easq; à Papistis turpiter tractari.*

LIBER SECVNDVS
De Romanæ Eccleſiæ idololatria.

CAP. I. *Ex idololatriæ definitione convinci Pontificios idololatras esse. Eam à Iesuitis futiliter & ineptè in quæstionem vocari.*

II. *Idoli nomen à scriptoribus Ecclesiasticis usurpari pro quavis imagine quæ divino honore colitur. Ac Bellarminum perperam conari hoc evertere ex septima Synodo, Origene, & Theodoreto. Impiè porrò facere Papistas qui Deum pingant.*

III. *Idoli nomen in Scriptura veris imaginibus sæpenumero tribui: nec falsorum modò Deorum simulacris, quod Iesuitæ asserunt, sed etiam Dei veri.*

IV. *Hebræa quædam idoli nomina, prophetam Habacuc, & Platonem, ineptè à Bellarmino ad erroris sui patrocinium citari.*

V. *Beati Pauli dictum, Scimus idolum nihil esse in*

in mundo, pro Bellarmino nihil facere: nec simile ex apocrypha appendice libri Esther ab Hieronymo citatum.

VI. *Hieronymum crebra comparatione hæresis cum idolo non modò non probare Bellarmini somnium, sed etiam refutare.*

VII. *Propriam & primariam significationem Græcæ vocis,* εἴδωλον, *à Bellarmino perversissimè ad commenti sui defensionem torqueri.*

VIII. *Latinum simulacri nomen imaginibus pari fraude & falsitate à Bellarmino denegari, atque Græcum* εἰδώλῳ.

IX. *Valentianum ex clausula ad idololatriæ definitionem adiecta putidè argutari, non omnes esse idololatras qui divinum cultum creaturæ exhibent.*

Admonitio ad lectorem.

IOHANNES RAINOLDVS ALVMNIS ANGLICORVM SEMINARIORVM ROMÆ ET RHEMIS.

HAsce iam alteras vobis literas scribo, dilecti, quibus mentem vestram per commonefactionem excito. Sinceram quidem mentem ait S.[a] Petrus; laudans pietatem eorum, quos secunda epistola sua excitat: quippe sanctis scribit, [b] *sortitis æquè pretiosam fidem cum Apostolis per iustitiam Dei nostri & Servatoris Iesu Christi.* Atque utinam mihi perinde licuisset ab integra illius sententia secundam hanc ad vos orditi, ac priorem licuit ab integra S.[c] Pauli: *Fratres, propensa quidem voluntas cordis mei & deprecatio ad Deum super Israel est ad salutem; testor enim de ipsis, eos zelum Dei habere, sed non ex notitia.* Verùm hic defectus notitiæ scientiæq;, ut à Paulo in [d] *fratribus, cognatis* suis *secundum carnem*, sic à me in vobis meritò notatus, impedit ne illius sinceritatis laude, quæ fidelibus Dei servis tributa est, vos adhuc afficiam. Etenim[e] *sinceritas* cum *veritate* copulatur, & permistioni *fermenti* opponitur, non in moribus solùm, sed etiam in [f] *doctrina*: unde Philippensibus optatum [g] *redundare in cognitione & omni sensu, dignoscere quæ discrepant, ut sint sinceri.* Quanquam, si[h] Diogenes, quum puerum indecorè se gerentem conspiceret, pędagogum ejus percussit haud injuria, dicens, *Cur sic instituis?* corruptela vestra Pontifici Romano & ejus ad-

[a] 2. Pet. 3. 1.
[b] 2. Pet. 1. 1.
[c] Rom. 10. 1.
[d] Rom. 9. 3.
[e] 1. Cor. 5. 8.
[f] Matt. 16. ver. 6. & 12.
[g] Phil. 1. 9.
[h] Aphthon. progymnasm. in χρείᾳ.

 ministris

ministris vitio potiùs danda est, quàm vobis ipsis. Nam [a] Romæ Bellarmino ac [b] Bellarmini sodalibus curam demandavit Gregorius Decimus tertius vos instituendi,& imbuendi fermento suo. Rhemis autem simili studio prospexit ut haberetis nutrices,ex quarū uberibus [c] doctrinæ Jesuiticæ venenum sugeretis. Neque vos ipsos tamen omni culpa liberare possum: qui, quum id habere cognitum debeatis, quod prædixit Petrus de [d] falsis doctoribus in Ecclesia futuris, [e] *Per avaritiam fictis sermonibus vos negotiabuntur*; [f] fascinari vobis oculos à talibus magistris patimini. In Pontificem enim Pontificiósq; asseclas quadrare hanc Petri prophetiam, non est opus ut ego argumentis probem: quando id jam pridem ostendit luculenter, num è nostris quispiam, cujus fides suspecta sit? immo [g] quem Paulus Quartus carum habuit; quem privatim Romæ libens audivit; quem ibi retinere & ad Cardinalatum provehere cogitavit; quem [h] Bellarminus in *Auctoribus Romanæ Ecclesiæ* numerat; quem in [i] Colloquio Possiaceno Papistæ inter summos theologos habuerunt; quem denique [k] Genebrardus (maledicentissimus & malitiosissimus nostrorū omnium insectator) celebrat hoc elogio, *Scriptis suis ostendit se ab hæreticorum furÿs alienissimum.* Quis is est? [l] Claudius Espencæus. Qui ex ipsis quoque actis Pontificum, ex monumentis variis luce clarioribus, ex libro palàm ac publicè impresso & venali, inscripto, *Taxa Cameræ seu Cancellariæ Apostolicæ*, ex facultatibus demum legatorum Roma in Galliam venientium, rem adeò detestandam ita patefacit: ut in ista parte demonstrationis, commotus mentione tæterrimorum scelerum, epiphonema interponat; *Habeat*

iam

[a] Bellarmin. tom.1.præfat. ad lectorem.
[b] Gul. Alan. apolog. pro Sacerdotib. Societ. Iesu, & Seminarior. alumnis, ca.2.
[c] Epitom. controversiar. nostri tempor.
[d] 2.Pet.2.v.1.
[e] ver. 3.
[f] Gal. 3.1.
[g] Claud. Espenceus, comment. in epist. ad Tit. cap. 1.
[h] Tom. 1. Ind. 1. Theologor. & scriptor. in eo volum. citator.
[i] Popelin. hist. Gall. lib. 7.
[k] Chronographiæ lib. 4.
[l] In epist. ad Tit. cap. 1.

iam Roma pudorem, & tam nullius frontis criminum omne genus catalogum proſtituere deſinat.

2 Ceterùm Eſpencæus, ea *turpis lucri* aucupia perſtringens, quæ orbis Chriſtianus *infinita* nuper diu eſt expertus, *Eccleſiæ olim inaudita, nec à redivivis Petro ac Paulo intelligenda;* (*Expectativas gratias, reſervationes, præventiones, uniones, popinas, regreſſus*, ſimiliáq; dicit;) aſſerit *id nihil hactenus fuiſſe, quàm quod Petrus prædixerat, fictis verbis in avaritia de nobis negotiari.* Aucupium verò quæſtus, quo Pontificiorum avaritia hodie in vobis nundinandis negotiatur, fratres, intellecturi eſſent Apoſtoli, ſi reviviſcerent: & fortaſſe Petrus expreſſit ſignificantiùs, dicendo, [1] *vos negotiabuntur*; quàm interpres vetus, ab Eſpencæo citatus, reddidit, *de vobis*. Johannes inter [a] merces, quas negotiatores in urbem Babylonis nomine denotatam, hoc eſt, Romam important, dirutáq; Roma lugebunt quoniam eas nemo emit ampliùs, recenſet [b] *mancipia, & animas hominum.* Ubi [c] Ribera veſter, obſervans mancipia alia vendi ſolita Romanis, ut ſervirent, alia ut occiderentur, id eſt, ut pugnarent in Circo cum beſtiis, aut mutuis vulneribus ſe in gladiatorum ſpectaculis conficerent, quod docet è [d] Cicerone: *Hos*, inquit, *ut ſignificet, qui interficiebantur, ait, Et* [2] *animas hominum*; *anima ſiquidem vitam ſignificat, ut Act.* 20. [3] *Nec enim facio animam meam pretioſiorem quàm me.* Rectè quidem ille exponens *animã* vitam; ut & à [e] Plinio dictum, imperitos medicos *animas negotiari*, obſervat [f] Beza noſter: nec malè verba Johannis ad beſtiariorum & gladiatorũ animas accommodans, ſi ſpectemus Romam Gentilitiam. Sed poſtquã ex Ethnica Chriſtiana facta eſt, & Chriſtianiſmus

1 Gr. ὕμας ἐμπορεύσονται.
a Apoc. 18. v. 11.
b ver. 13.
c Comment. in hunc locũ.
d Epiſt. ad familiar. lib. 7. epiſt. 1.
2 Gr. ψυχὰς ἀνθρώπων.
3 Ex vulgata edit. Quod meliùs reddit Beza, *Neque vita mea mihi ipſi cara eſt*: ſicut item explicat Arias Montanus, elucidat. in acta Apoſt.
e Natur. hiſt. lib. 29. cap. 1.
f Annotationib. maiorib. in 2. epiſt. Pet. cap. 2.

rursum degeneravit in Papismum, ac priori [a] bestiæ, scilicet civili imperio Romano, successit [b] posterior, monarchia nempe Pontificia: vos, quibus Cardinalis Alanus aliiq; hujusmodi mercatores Romam importandis naviter insudârunt, insigniſſimo estis exemplo quemadmodum negotientur animas hominum. Nam Romanus Pontifex pecuniam quidem grandem (ut [c] Alanus refert) expendit immutando xenodochium Anglicum Romæ in Collegium, censibúsq; augendo, ac Rhemense etiam Collegiũ fovendo menstrua eleemosyna: sed in eum finem, quem [d] Martinus Navarrus his verbis evulgavit; *Romæ in Collegio Anglorum est statutum et constitutio Papalis, ut, quicunque illud ingredi voluerit, teneatur iurare se post tot annos pro defensione fidei Catholicæ in Angliam profecturũ, illámq; ibi publicè & privatè prædicaturum*. Fides autem Papistica, quam Catholicam vocat, [e] Romano Pontifici in universa Ecclesia supremam tribuit potestatem, & [f] licentiam absolvẽdi subditos omni debito fidelitatis & obsequii, eósq; *contra Principes suos armandi. Unde, qui ob hujus doctrinæ defensionem morti adjudicati sunt, eos ob Catholicam fidem passos [g] dicunt. Quare quum in Angliam venire non possitis ad fidem hanc prædicandam, quin teneamini crimine lęsę Majestatis: certè animas vestras negotiantur isti, qui ad talẽ operam vos nundinantur. Atq; utinam eas pro mercibus haberent duntaxat quem in morem habebant negotiatores Babylonis Ethnicæ. Ita temporariæ vitæ dispendio satisfaceretis illorum avaritiæ: ut [h] multi, quos calamitas conditionis suæ pugnare cum bestiis coegit, defuncti

[a] Apoc. 13. ver. 2.
[b] ver. 11.
[c] Apolog. pro Seminar. ca. 2.
[d] Consilior. lib. 3. de Regularib. cons. 1.
[e] Concil. Trid. sess. 14. cap. 7.
[f] Papę Pii. V. sentent. declarat. contr. Eliz. Angl. Regin. Bellarm. de Rom. Pont. lib. 5. ca. 6. & 7.
* *Sanderus, & alii plerique Nobiles & Catholici freti Bulla Pii Quinti, in Hibernia contra Angliæ Reginam bella pro patria & religione gerũt.* Genebrard. Chronogr. li. 4. ad annum Dom. 1581.
[g] Trophęa Ecclesiæ Anglicanę. Concertat. Eccles. Cath. in Angl. adver. Calv. & Purit. in Indice personarũ.
[h] *Damnati ad bestias Christiani.* Quod factitatum & historia Eccles. refert in Ignatio aliísq; : & Tertull. innuit, quum voces crebrò ab Ethnicis usurpatas memorat; *Christianos ad leonẽ; Christiani ad bestias.* Apol. c. 40, Exhort. castit. c. 12.

cita

cita morte, æternam vitam adepti sunt. At Babylon Papistica vos negotiatur mittendos ad certamen, quo periculum [a] animæ cum corpore in Gehennam conjiciendæ subitur. Scriptura enim dicit; [b] *Scimus iudicium Dei esse secundum veritatem adversus eos, qui talia agunt*: &, [c] *Qui resistunt potestati, damnationem sibi acquirunt*; [d] *nec possidebunt iniusti hereditatem regni Dei*. Augetur hoc periculum inde quòd ejusdem fidei defensio, non tantùm vos obstringit ne [e] Cæsari reddatis ea quæ sunt Cæsaris; sed etiam ne Deo reddatis quæ sunt Dei. Nam officium Deo soli persolvendum est illud, de quo Christus, [f] *Dominum*, inquit, *Deum tuum adorabis, & ei soli* [i] *servies*. Pontificii verò [g] latriæ cultum exhibent sacramento Eucharistiæ: quod S. [h] Augustinus appellat *panem Domini*, rectissiméq; à *pane Domino* distinguit. Neque solùm Dei honorem ad *crustulum* (ut [i] Romæ palàm ac publicè nominatur) transferunt: sed ad Christi quoque imaginem, * si tamen Christi; quam osculando & adorando, ut [k] Baalis statuam, in idolum vertunt. Siquidem, ubi olim fideles [l] osculo sancto se mutuò salutabant, quod à Petro [m] *osculum caritatis* dicitur, ab [n] aliis *osculum pacis*: hodie [o] tabella (cui *pacis* nomen inditur) imaginem Christi continens, in [p] Missa, offerri solet singulis osculanda. Adorari autem similem imaginem, præsertim [q] die Parasceves, adeò solenne est: ut [r] magnũ Jesuitici ordinis ornamentũ latriam idolis à se

[a] Matt. 10.28. [b] Rom. 2.2. [c] Rom.13. 2. [d] 1. Cor. 6. 9. [e] Matt. 22. 21. [f] Matt. 4. 10. [i] Gr. λατρεύσεις. [g] Conc. Trid. sess. 13. cap. 5. [h] Tract. 59. in Evang. Iohan. [i] Anastas. Germon. Protonotar. Apostolic. de sacror. immunit l 3. c. 1. §. 20. Ex typographia Apost. Vatican. ad Gregorium XIV.

* In altero dũorum celeberrimorum templorum Vrbis Turonensis, inter reliquias crux erat auro obducta, achatem habens illigatũ, cui artificiosissimè insculpta spectabatur Venus, cum Marte, & Cupidine. Ista crux, ob additum rubri ligni frustulum, quod de vera Christi cruce esse dicebant, augustissimis festis adorabatur à populo, devotè imagines osculante. [Hist. ecclesiast. Ecclesiar. reformat. in Gall. lib. 7.] Et quis scit, quum in Missa osculantur pacem, cuius tandem imaginem eodem honore colant?

[k] 1. Reg. 19. 18. [l] Rom. 16. 16. 1. Cor. 16. 20. 1. Thess. 5. 26. [m] 1. Pet. 5. 14. [n] Chrysost. de compunct. cord. l. 1. Remig. de celebrat. Missę. De consecrat. dist. 2. c. pacẽ. [o] Gabr. Biel. lect. 81. super can. Miss. [p] Missal. Rom. tit. celebrandi Missã. [q] Ibid. feria VI. in parasceve. [r] Gregorius de Valẽt. lib. 2. qui *Apologeticus de idololatria* inscribitur, c. 7.

tribui, & idololatriam committi fateatur. Itaque cujusmodi mercaturam exerceant vestrarum animarum nundinatione mangones Pontificii, qui mutarum imaginum & farraceorum crustulorum cultum per vos Ecclesiæ Dei commendari volunt, ipsi judicate: modò memineritis oraculo divino [a] *assignatam esse idololatris portionem in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.*

3 Ubi quoniam *omnes mendaces* copulantur cum idololatris, eo magis erant isti præcavendi: qui, & vos *sermonibus fictis* negotiantur; &, ut ipsi alios negotiemini, docent. Ac *sermonum* nomen (quod Petri [1] vox insinuat) ostendit vitiosas etiam rationes, quantumcunque ex veris dictis fabricatas, non modò falsa pronunciata, in pseudoprophetarum fraudibus notari. Eodem enim sensu videtur hîc *sermones fictos* usurpare, quo certe veritati paulo [b] antè oppositi [2] *fabulas sophistica* quasi dicas *arte compositas* ad fallendum, subdoléq; speciem veri mentientes: quibus comprehenduntur falsæ impostorum assertiones cunctę, sive sint mendaces enunciationes, rhetoricè fucatæ; sive conclusiones fallaces & captiosæ, quæ veris axiomatis ad fraudem abutuntur. Utræque valde crebræ in negotiatorum vestrorum sermonibus: sed crebriores forsitan fallaciæ conclusionum, & quæ simplicioribus faciliùs imponant. [c] Novus quidam nuper victoriæ Clementis Octavi de Gallorum rege reportatæ descriptor, & [d] buccinator, ait, *Romæ haberi rem maximè ridiculam, quod nugantur huius ætatis plus satis curiosi Politici Galli, dicentes, Regem Franciæ suum Imperium immedi-*

[a] Apoc. 21. 8.
[1] Gr. λόγοις.
[b] 2. Pet. 1. 16.
[2] Gr. σεσοφισμένοις μύθοις. *Sophisticatas fabulas* reddit Arias Montanus, interlin. interpret. Sacri apparat. ad Regia Biblia tom. 2.
[c] Autor libri inscripti, *Brevis narratio, quomodo Henricus IV. Franciæ ac Navarræ rex, ex hæretico Catholicus factus, humiliter apud Clementem VIII, per legatos egerit, ac sæpius supplex factus tandem hæreseos absolutionem obtinuerit, & in gremium Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Romanæ receptus sit.*
[d] Tractatu, cui titulum fecit: *De autoritate & potentia Romani Pontificis; ac de rebus feliciter gestis, victoriâ Clementis eius nominis Octavi, summi Pontificis, de Henrico IV. Galliarum & Navarræ rege gloriosè triumphantis.*

atè

atè à Deo obtinere, quia Pontifex habet iamdiu antè, autoritatem ligandi & ſolvendi iuramenta populorum, quo ſolo iuramento præcipuè illos habent Reges ſibi obſtrictos: qua autoritate iam demonſtrârunt in effectu, quanta ſit illorum potentia. Effectu autem dicit hoc à Pontificibus demonſtratum eſſe, reſpiciens exempla, quæ commemoraverat: *Gregorius Secundus Leonem Imperatorem ſtravit, tanquam Iconoclaſtem, abſolvendo populum Italiæ iuramento quod ipſi fecerat; & Gregorius Tertius ipſum privavit Imperio; Fridericus Primus Imperio deiectus eſt ab Alexandro Tertio; nec minùs Fridericus Secundus & Ludovicus Quartus eodem flagro vapulârunt; Gregorius Septimus ſpoliavit titulo & omni emolumento regni Poloniæ Boleſlaum; Iulius Secundus expoſuit regnum Navarræ in rapinam*, & quæ ſequuntur. Ecce axiomata multa ſatis vera: ex quibus tamen nectitur falſa concluſio. [a] Reges per Deum regnare immediatè, non mediatè per Pontificem, res habetur Romæ maximè ridicula. [b] *Vt crepitus ſpinarum ſub olla, ita eſt riſus ſtolidi*: nec ridiculum erat, quod illis habebatur ridiculum, quibus Dominus; [c] *Contra quem*, inquit, *oblectatis vos? contra quem dilatatis os, protrahitis linguam? annon eſtis nati defectione, ſemen falſum?* [d] Quicquid ligaverit Pontifex in terra, ligatum erit in cœlis: & quicquid ſolverit in terra, ſolutum erit in cœlis. Atqui, ſi propterea poteſt juramento ſubditos abſolvere, quo obligantur Cæſari; poteſt homines item pari ratione abſolvere vinculo officii, quo obligantur Deo: & facultatem dare latrocinandi, mœchandi, blaſphemandi, pejerandi; quanquam quid dico, pejerandi? hoc facit, quum ſolvit juramēto; ſed blaſphemandi æquè poteſt, atque

[a] Prov. 8. 15. Rom. 13. 1. 1. Pet. 2. 13.
[b] Eccleſ. 7. 6.
[c] Eſai. 57. 8.
[d] Matt. 16. 19.

rebellandi. Et nónne poteſt quivis presbyter ipſum itidem Pontificem,[a] compresbyterum ſuum, privare Pontificatu; Romanóſq; & alios abſolvere juramento, quo ei obligantur? Siquidem preſbyteris omnibus dictum eſt: [b] *Quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo; et quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta in cælo.* Pontifices demonſtrârunt potentiam ſuam in effectu, dum eorum unus Poloniæ regem ſpoliavit, alter regnum Navarræ expoſuit in rapinam. Sanè. Ac prædones multi in effectu ſimiliter demonſtrârunt ſuam potentiam. Immo multo plures à quibuſdam horum ſpoliati ſunt, quàm à Pontificibus expoſitos in rapinã jactant.[c] Latrones duo ex regno Neapolitano, quorum unus vocatus eſt Paternoſter, alter Avemaria, jugulaverunt centum & ſedecim homines diverſis temporibus & locis. Sed ut iſti tanto graviùs puniti ſunt à magiſtratu, diſcerpti candentibus forcipibus, & in varias partes diſſecti: ſic majore zelo cõcurrere decebat Chriſtianos Principes ad id efficiendum, quod Neptunia Doris [d] Baptiſtæ Mantuani alios hortatur;

Tempora Martigenæ quid idonea perditis? ite,
Ite, lares Italos & fundamenta malorum
Romuleas arces & Pontificalia tecta,
Colluviem ſcelerum, temerate faventibus auris.

Alius, Bibliothecæ novæ Sixti Quinti laudator,[e] Angelus Roccha, poſtquam de Petri & Pauli imaginibus per Silveſtrum Papam Conſtantino oſtenſis dixiſſet, luculentiſſimum præberi teſtimonium ab Adriano Pontifice Maximo in Concilio generali ſeptimo: *Quis autem*, inquit, *tantæ erit audaciæ, qui teſtimonium ſummi ac tam vetuſti Pontificis in Concilio generali prolatum aſpernetur, eiq; ſomnia ac deliramenta ſui capitis*

[a] 1. Pet. 5. 1.

[b] Matt. 18. 18.

[c] Hieron. Nig. epiſt. ad Marc. Ant. Michael. in Italic. liter. Princip. lib. 1.

[d] De calamitatib. tempor. lib. 2.

[e] Comment. de Bibliotheca Vaticana, à Sixto V. in ſplendidiorẽ commodioremq; locum tranſlata.

pitis opponat? Hîc, ex antecedente non omnino falso, conclusio falsa rursum tacitè infertur.[a] Adrianus Pontifex in[b] Nicæna secunda Synodo narravit ostensas esse Constantino Petri & Pauli imagines. Verum est. Sed ubi sunt qui propterea somniant & delirant? Nam ad illa usque tempora servatas esse Petri & Pauli imagines refert[c] Eusebius: neque nos negamus servari potuisse. At Roccha forsan * nota marginali innuit honore item & cultu affectas eas fuisse: quod & Adrianus in Synodo contendit fieri oportere. At quem in modum hoc sequatur ex Pontificis summi & Synodi autoritate, testis sit sententia, quam idem Adrianus in eadem Synodo subtexuit, his verbis: *Aliud est imago, aliud ἄγαλμα, hoc est, animalis abiecti statua.* Quorum sensum[d] Stephanus Durantus ita reddit: *Dum prohibetur fieri sculptile, vel similitudo,* [*Exod.* 20. *Levit.* 26. *& Deuteronom.* 4.] *non est intelligendum de sacra imagine, sed de agalmate: agalma verò significat abiecti animalis statuam, auctore Adriano Papa in epistola, quæ extat in* 2. *act. Synod.* 7. Jam quid opus est ut è Græcis scriptoribus,[e] Ecclesiasticis,[f] exteríve, declarem ἄγαλμα esse statuam animalis cujusvis, non abjecti solùm? quum & [g] Quintinus Hæduus, aiens *Ecclesiam εἰκόνας recepisse in templis, reiecisse ἀγάλματα*, ex[i] *Suida* notet ἄγαλμα *ad oblectamentum fieri, quod oculos pascat; idq; omne esse, ex quo quis exultat & deliciatur, eo quòd accuratè pictum fuerit, qualia Polycletus, Phidias, Apelles effingebant*; [h] qui effingebant certè simu-

[a] Epist. ad Constantin. & Iren. Aug.
[b] Action. 2.
[c] Hist. eccles. lib. 7. cap. 14.
* *De sanctorum Apostolorum sacris imaginibus* ubi *sacris* dicere videtur, ut Bellarminus [de eccles. triumph. l. 2. c. 12.] exponit *sacras, honorandas.*
[d] De ritib. Eccles. Cathol. l. 1. c. 5. §. 11.
[e] Septuaginta interpret. Esai. 19. 3. 2. Maccab. 2. 2. Ioseph. antiquit. Iud. l. 18. c. 4. & l. 19. c. 1. Iustin. mart. orat. adhort. ad Græcos. Athenagor. apolog. pro Christian. Clem. Alexandr. Strom. lib. 7. Theodoret. Græcar. affect. curat. serm. 3. Sozomen. hist. eccles. l. 7. c. 15.
[f] Herodot. in Euterpe. Xenoph. ἀπομνημ. Socrat. lib. 1. Plat. de legib. lib. 11. Aristot. politicor. lib. 7. cap. ult. Pausan. Attic. Corinth. &c.
[g] Comment. in Synod. Gangr. can. 20.
[i] Ἄγαλμα, πᾶν τὸ ἐφ' ᾧ τις ἀγάλλεται.
[h] Plin. natur. hist. l. 34. c. 8. & l. 35. c. 10.

lacra

lacra hominum: & Cardinalis Carafa, in [a] nova editione epiſtolæ Adriani ex Bibliotheca Vaticana, deleat *abiecti animalis ſtatuam*, ac iſto modo locum legat; *Aliud eſt imago, & aliud ſimulacrum, id eſt, ſtatunculus*. Statua quid ſit, ſcio: ſtatunculus, neſcio. Ceterùm ſi parvam ſtatuam ſignificet, ut parvum hominem homunculus, ſermonem ſermunculus, imaginem imaguncula: num coloſſi [b] Jovis, [c] Cæſaris, [d] Mercurii, permittebantur lege Dei, quia ſtatunculi non erant? Sin effigiem falſi numinis quamcunque ſtatunculo & ſimulacro notavit Adrianus; ut [e] Durantus infert, *Simulacra ergo falſorum Deorum, vel earum rerum quæ coli non debent, illis locis vetantur*: [f] ultimus illorum locorum, quos Durantus expreſſè [g] indicavit, redarguit Adrianum; quippe quo non ſolùm coli, ſed vel fieri ſimilitudinem ullam ſui prohibet Deus. Proinde quum ſophiſticam, non dialecticam artem, oleat hæc ratio; Adrianus in Synodo dixit ἄγαλμα eſſe abjecti animalis ſtatuam, delirant ergo & ſomniant qui ſtatuam hominis vocant ἄγαλμα: ſive hæc; Adrianus in Synodo dixit aliud eſſe imaginem, aliud ſimulacrum, delirant ergo & ſomniant qui docent nefas eſſe imaginem Dei facere: Rocchæ enthymema, quo ex Adriano, pugnante pro imaginum cultu in Synodo, erroris eos arguit qui imagines colendas negant, non tam eſt imperfectus quàm ſophiſticus ſyllogiſmus. Speciosiùs quidem talia nonnunquam argumenta fucant veteratores veſtri, quàm recentiores iſti artifices ac minùs exercitati. Ut [h] Bellarminus, verbi gratia, diſputans licere Pontifici Principes deponere & privare imperio; Gregorium Secundum ait hoc ex parte Leoni Imperatori, non feciſſe

[a] Epiſt. Rom. Pont. tom. 2.

[b] Pauſan. Eliac. lib. 1.
[c] Ioſeph. de bello Iud. l. 1. c. 16.
[d] Plin. nat. hiſt. l. 34. c. 7.
[e] Eiuſdem libri cap. & §. eodem.
[f] Deut. 4. 15.
[g] Ibid. §. 10.

[h] De Rom. Pont. lib. 5. cap. 8. Ex quo & Epitome controverſiarum idem argumentum ſimiliter firmat, ſed ſuccinctiùs: part. 1. controv. 3. quæſt. 8.

ciſſe tantùm; quod nihilo meliùs rem probaſſet, quàm Neapolitani graſſatores illi, Paternoſter & Avemaria, confirmant ſceleratas occiſiones hominum: ſed etiam rectè feciſſe. Nam poſtquam memoraſſet *Gregorium Leoni Imperatori Iconomacho prohibuiſſe vectigalia ſolvi ab Italis, & proinde mulctaſſe eum parte imperij: Id fatentur*, inquit, *Magdeburgenſes centuria octava, capite decimo, in vita Gregorij Secundi; ſed reprehendunt, Gregoriúmq; proditorem ſuæ ipſius patriæ fuiſſe dicunt. At nullum proferunt ſcriptorem, qui factum hoc Gregorij vituperet: quum nos è contrario habeamus multos, qui laudaverunt ut ſanctum, & legitimum; nimirum Cedrenum, Zonaram, in vita Leonis Iſauri, & omnes alios hiſtoricos, qui res geſtas horum temporum conſcripſerunt.* Ubi rectè factum id eſſe à Gregorio duobus ſuadens argumentis, nempe, tûm ſilentio Magdeburgenſium, nullum proferentium ſcriptorem à quo vituperetur; tûm hiſtoricorum omnium teſtimonio, qui res geſtas horum temporum conſcripſerunt; haud vulgari aſtu circumvenit imperitos: vos præſertim, fratres, quibus [a] interdictum eſt ne inſpiciendis noſtrorum autorum libris fidem mercatorum veſtrorum exploretis. Quippe [b] Magdeburgenſes, *Vectigalia*, inquiunt, *quæ Chriſtus ſolvi iuſſit, interdixit, nullam aliam ob cauſam, quàm quòd Leo venerationem imaginum damnaſſet*. Ita [c] Chriſtum proferunt, à quo vituperetur factum Gregorii: ſed [d] Chriſtus non erat ſcriptor. Apoſtolus Paulus erat: [e] qui, Romanis mandans ut vectigalia ſolvant Imperatori ſuo, Epiſcopum Romanum id vetantem improbat. Sed Magdeburgenſes citant Chriſtum, non Paulum: ut verè & verſutè dicat Bellarmi-

[a] Ind. libror. prohibitor. reg. 2.

[b] Loco citato à Bellarmino.

[c] Matt. 22. ver. 17. & 21.

[d] Auguſt. de conſenſ. Evãg. lib. 1. cap. 7.

[e] Rom. 13. ver. 1. & 7.

nus,

nus, *Nullum proferunt ſcriptorem qui factum hoc vituperet*. Rurſum, id ab omnibus hiſtoricis ut ſanctum legitimúmq; laudari dicens, ſignificanter addit: *Qui res geſtas horum temporum conſcripſerunt*. Etenim hiſtoricus eſt Matthęus apoſtolus, qui ex Chriſti verbis evincit id nec ſanctum eſſe, nec legitimum: ſed Matthæus non ſcripſit res geſtas horum temporum. Et quanquam iſta quæſtio juris ſit, non facti; nec *Cedreni*, *Zonaræ*, ſimiliúmve hominum, errantium in doctrina de ſimulacris colendis, ideóq; Papæ faventium contra Cæſarem, conſenſus quicquam ponderis habere in ea poteſt; [a] *Coniuratio prophetarum eius in medio eius eſt*: tamen, quoniam omnium hiſtoricorum conſenſus in facti quæſtione vim permagnam obtinet, ut oſtendit [b] Canus; ſolerter Bellarminus ad quęſtionem juris teſtimonium *omnium, qui eorum temporum hiſtorias conſcripſerunt*, adhibet. Artificioſiùs igitur interdum ſophiſmata ſua poliunt & pigmentis ornant lectiſſimi doctores & ſeductores veſtri: quàm aut Angelus Roccha, licèt ipſe quoque Doctor Theologiæ; aut alter, qui Botero, ſcriptori Italo non ignobili, ſuum de Pontificis potentia tractatum inprimis acceptum refert. Verũtamen ex illis verba *Scripturarum*, exempla *Pontificum*, teſtimonia *Patrum* ac *Synodorum* ſic citantibus; & hinc *Pontificis Maximi*, *ſummi*, *tam vetuſti*, *Conciliíq; generalis* nomina ingeminantibus; illinc aſſerentibus doctrinam noſtram *Romæ haberi maximè ridiculam*; rationes noſtras *deliramenta* eſſe, ac *ſomnia*; nos ipſos demum miræ & proruptæ *audaciæ*, ſi eas Vaticano ſtatunculo opponamus: perſpicere poteſtis, quàm vafrè veris etiam enunciationibus ad falſas concluſiones aptandis & torquen-

[a] Ezek. 22. 25.

[b] De locis theolog. l. 11. c. 4.

torquendis; pseudoprophetæ impleant Petri prophetiam; *Fictis sermonibus vos negotiabuntur.*

4. Enunciatis autem falsis ita multis variorum generum mercaturam exercent: ut, quamvis superior techna partes omnes controversiarum vobis insidiantium pervaserit instar lepræ; tamen, hæc an illa frequentior sit, addubitem. Ac primùm hîc occurrunt magnifica, sed vana, sive personarum encomia, sive rerum, quibus in amorem sui vos pelliciunt: ut [a] *pleniùs æquo Laudat venales, qui vult extrudere, merces.* Ex Cardinale [b] Alano, qui uberrimum quæstum hac fraude aucupatur, exemplum illud esto, quòd agens de *augmento menstruæ provisionis & eleemosynæ impetrato pro collegio Rhemensi, quum prior numero studiosorum, & necessitatibus quotidie accrescentibus, non sufficeret*, ait: *Quam petitionem nostram Pontifex Maximus, ob incomparabilem erga nostram nationem amorem, benignè audivit.* Incomparabilem enim esse Pontificis amorem erga Anglos, miror si vel ipsi, qui ex juramento, quo vos obstringi curat, videtis quorsum spectet, persuasum habeatis: ac non illud potiùs vobiscum cogitetis;

[c] *Munera magna quidem misit, sed misit in hamo:*
Et piscatorem piscis amare [*] potest?

Ante octingentos annos reges [1] Angli, Pontificem ut [2] *vicarium Beati Petri* reverentes, dederunt ei quotannis singulos argenteos è familiis singulis: quæ pensio *denarius B. Petri* appellata est. Vix duo secula pòst effluxerant, quum ab Archiepiscopis Anglis, ob pallium Roma peti solitum, exacta est tanta merces: ut *eos angariari immensitate pecuniarum quæ expetebantur*, quereretur [3] rex apud Papam. Cujus *decreto*,

[a] Horat. lib. 2. epist. 2.
[b] Apolog. pro Seminar. ca. 2.
[c] Martial. epigramm. li. 6.
[*] Sive, *potest*? quemadmodũ legunt Selecta epigrammata Martialis, in usum studiosorum Societatis Iesu.
[1] *Ina*, & *Offa*. Matth. Westmonast. florib. historiar. anno Dom. 727. & 794.
[2] Quo titulo Matthæus Westmonasteriensis, ibidem, in eadem regis *Offæ* historia, Pontificem insignit.
[3] *Cnuto* (quem *Canutum* alii appellant) apud Will. Malmesbur. de gestis regum Anglor. lib. 2. anno Dom. 1031.

creto, ne id deinceps fieret, rex acquiescens, tanto studiosiùs *denarios Romam* (ut loquebatur) *ad Sanctum Petrum debitos* persolvendos curavit. Ceterùm, quicquid Pontifex decrevit aut promisit, post alterum seculum elapsum, oppressio ad reliquas Ecclesiasticas togas, non solùm ad paucorum pallia, sic pervenerat; ut quanta esset hominum de *Ecclesiarum spoliis* querela, narraret [1] Episcopus Anglus [2] Anglo Papæ; & Papa ea spolia sibi necessariò habenda jam defenderet. Temporis progressu cupiditas piscatoris crevit; nec contenta *denario B. Petri*, & aliis multis emolumētis, novas *pensiones tallagiáq;* exegit: sicut testantur [3] graves & multiplices querelæ ejus seculi, quo [a] Innocentius Quartus, videns *aurifrisia concupiscibilia*, quũ interroganti, *Ubi facta essent*, responderetur, *In Anglia*; subintulit, *Verè hortus noster deliciarum est Anglia; verè puteus inexhaustus est; et ubi multa abundant, de multis multa possunt extorqueri.* Parentum autem nostrorũ memoria tam innumeras Angliæ argento & auro emungendæ vias excogitaverat, ut [b] annua ejus præda regios propemodum reditus æquaret: neq; Angli tantùm, sed [4] Italus, mirificum ab eo quæstum ex Anglis supra ceteros fieri plusquam sexcentis modis, observaret. Quòd si diuturna tot seculorum experientia nequaquam vos edocuit, Pontificis amorem erga nostra potiùs incomparabilem esse, quàm erga gentem nostram: cavete ne judicemini imprudentiores pastore

[1] *Johannes Sarisburiensis*, de nugis curial. lib. 6. cap. 24.

[2] *Adriano Quarto*: circiter annum Dom. 1157.

[3] *Nuncii & literæ Regis, Magnatum, & universi regni Angliæ, ad Concilium Lugdunense, ad Papam, ad Cardinales, &c.* apud Matth. Paris. hist. Angl. anno Dom. 1245. & sequentibus.

[a] Matth. Paris. ibid. anno Dom. 1246.

[b] Edm. Boner. præfat. in orat. Steph. Gardiner. de vera obedient.

[4] *Polydorus Virgilius*. Qui, post mentionem factam annatarum, quas Papæ pensitabant, [de inventorib. rer. lib. 8. cap. 2.] *Hoc annatarum*, inquit, *genus vel aliis de causis exigitur etiam ab Anglis, quum alia aliis sacerdotia copulantur, ut ea fiat privati commodi copulatio, quæ communis utilitatis disjunctio est; quum conceditur, ut quis retinere queat cum episcopatu, cœnobio ve, minora sacerdotia; quum fit potestas cuipiam retinendi sacerdotium, quod per leges minimè licuisset principio capere: & quum sexcenta alia peraguntur ex Romani Pontificis autoritate.*

Æsopico;

[a] Æsopico; qui, in maritimo loco gregẽ pascens, specioſa maris tranquillitate allectus, ovibus divenditis palmarum fructus coêmit, ut navigaret ad mercaturam; & inter navigandum jactatus magna tempeſtate, mercibus in mare projectis, ne ſubmergeretur; vix evaſit vacua navi incolumis. Nam ille, aliquot poſtea diebus quodam tranſeunte, & eximiam maris (ut ſe tum habebat) tranquillitatem admirante: *Palmarum*, inquit, *fructus concupiſcit, opinor, ac tranquillitatem propterea præ ſe fert.* Sed falſæ perſonarum laudes detectu difficiliores ſunt: quia [b] *fraudulentum cor ipſum ſupra omnia, & mortiferum eſt; quis cognoſcat ipſum?* Falſę laudes rerum, utcunque ſeductores [c] *per hypocriſin falſiloqui* fucoſo eas quoque ſimulationis involucro tegant, faciliùs deprehenduntur. *Vnicum Anglis toto terrarum orbe templum Catholicum relictum eſſe, idq; Romæ, Sanctiſsimæ Trinitati ſacrum*, [d] autores Trophæorum veſtrorum pronunciant. Ubi, quàm inſigni mendacio templum illud laudent ut Catholicum, oſtendunt ipſi quum adjiciunt; *Cuius in ſumma ara hæc tabula conſpicitur*: & tabulam pictam exhibẽt, in qua Deus Pater figura hominis ſenis, Spiritus verò ſanctus columbæ ſpecie repræſentatur. Nam primùm memorando ſummam ejus aram, varias in eo aras eſſe indicant. In aris autem ſacrificia propriè propitiatoria ſe Deo immolare aſſeverant veſtri; mentientes quidem, quum ad facti ſui defenſionem [e] aiunt, id ipſum mentione *altarium* voluiſſe Apoſtolos, aut Patres; quippe qui memoriam duntaxat ſacrificii propriè propitiatorii Deo obtulerint, ut [f] antea vos edocui, ac non ſacrificium propriè propitiatorium: ſed in aris veſtris ſacrificia verè & propriè

[a] Æſop. fab.

[b] Ier. 17. 9.

[c] 1. Tim. 4. 2.

[d] Eccleſiæ Anglicanæ trophæa, pag. 2.

[e] Gul. Alanus de Euchariſt. l. 2. c. 5. Bellarmin. de Miſſa, l. 1. c. 2. & 16. Epit. contro v. part. 2. contr. 4. quæſt. 1.

[f] Colloq. cum Harto, cap. 8. §. 4.

[a] Sess. 22. cap. 2. can. 1. & 3.

[b] Ex eiusdem Synodi præscripto, sess. 13. cap. 5. can. 6.

[c] Ezek. 9. 3. & 10. 18. & 11. 23.

[d] Ezek. 8. ver. 3. & 5.

[e] Exod. 20. 5. Deut 4. 24. & 32. 21.

[f] 2. Reg. 16. 11.

[g] 2. Chr. 28. 23.

[h] Heb. 10. 12.

[i] Heb. 9. v. 26.

[k] ver. 28.

[l] ver. 25.

[m] Maffei, Iesuit. vita Ignatii Loiolæ, lib. 3. cap. 9.

[n] Lib. 2. cap. 12.

[o] Num. 28. 3.

[p] Missal. Roman. rit. celebrandi Missã.

[q] Ezek. 8. ver. 10. & 11.

[r] 1. Pet. 4. 3.

[s] Deut. 4. v. 12. 15. & sequent.

[t] ver. 24.

[u] Heb. 10. 27.

[x] Eccl. Anglic. troph. pag. 1.

propriè propitiatoria (ex sacrilega [a] Synodi Tridentinæ doctrina) Deo immolari à sacerdotibus vestris, [b] eadémq; à vobis adorari, scitis. Quamobrem, si templum suum Jerosolymis [c] deseruit Deus ut profanum, quòd [d] sedem ibi haberet *idolum zelotypiæ*, [e] ad iram Deum provocans, & [f] ara Damascena [g] Damasceni numinis cultui deserviret: quomodo potest vestrum esse Catholicum, in quo, ad injuriam illius [h] *unicæ hostiæ*, [i] *semel*, [k] *semel* [l] *tantùm pro peccatis oblatæ*, idolũ, immo idola, tot idola zelotypiæ habentur & coluntur; ac Loiolę exemplo, [m] qui *cõplures hostias ad expianda amici peccata decrevit*, [n] *hostiásq; ad tria millia immolavit per se & per amicos* pro gratia Societati suæ impetranda, Christorum, quasi [o] pecudum, hecatombæ singulis annis sacrificantur? Deinde, significando imagines Dei Patris Spiritúsq; sancti in ara positas cõspici, incensum eis item adoleri innuunt. [p] *Sacerdos* enim *celebrans in Missa solenni, post Crucem ter, reliquias verò bis incensatas, incensat imagines, semel singulis thuribulum ducens*. Jam in maxima templi Jerosolymitani profanatione hoc recitat Scriptura, quòd [q] *coram imaginibus reptilium & iumentorum stabant Seniores domus Israelis, quisque thuribulum suum habens in manu sua, ita ut abundans nubes suffitus ascenderet*. Et potest Catholicum esse templum vestrum, in quo exercentur adeò [r] *nefariæ idololatriæ*, non coram imaginibus creaturarum solùm, verùm etiam Dei: à quibus vel formandis quum deterret [s] ipse hac ratione addita, [t] *Nam Iehova Deus tuus ignis consumens est*; in mentem suis revocat [u] *fervorem* ejus *ignis, qui devoraturus est adversarios*? Similiter idem [x] liber Trophæorum perhibet, eos *sanctos Martyres*

tyres esse, & *pro Christo Catholicæq; fidei veritate asserenda mortem subijsse*, qui legibus Anglicanis, ut læsæ majestatis rei, condemnati sunt. Ubi se mendacii rursum convincit, quum [a] addit, *eos pro Catholica Romana Ecclesia fortiter occubuisse: Romanæ Ecclesiæ* nomine designans Pontificem Romanum & eam potestatem, quam [b] Sanderus prædicat in Pii Quinti Bulla, *visibilémq; Ecclesiæ Monarchiam* appellat. [c] Judas Galilæus [d] ita persuaserat sectatoribus suis *solum Deum pro Domino ac Principe habendum*, ut [e] ad mortem mitti per exquisitissima tormenta potiùs elegerint, non modò viri, sed & pueri, quàm Cæsarem fateri aut nominare *dominum*. Quid igitur? An pro Christo Catholicæq; fidei veritate asserenda passi sunt isti? Minimè gentium. Nam errorem eorum Christus redarguit, quum [f] interrogatus, *an censum dare Cæsari liceret?* respondit, *dandum*. Ac Petrus, jubens pios [g] *subiectos esse* magistratibus *cunctus propter Dominum*, inprimis *regi*, hoc est, Cæsari; & [h] *dominorum* tamen appellationem quibusvis heris tribuens; ostendit [i] Deum alio sensu appellari [l] *solum illum Dominum*, tanquam [k] Regem regum, & Dominum dominorum. Fides autem Petri Catholica est & Christiana, cûm [l] ecclesiastico jure, tûm [m] civili: quo nomen Christianorum Catholicorum accipiunt, qui eam profitentur. Pontifex Romanus alumnis suis sic persuasit se visibilem esse Ecclesiæ Monarcham, id est, solum Principem, ut existiment neminem pro Principe habendum, quem ipse regno privârit. In Angliam ab eo missi [n] quidam horum mori maluerunt,

[a] Ibid. pag. ult.

[b] De visib. monarch. eccles. lib. 7.

[c] Act. 5. 37.

[d] Ioseph. antiquit. Iud. lib. 18. cap. 2.

[e] Idem de bello Iud. l. 7. c. 29.

[f] Matt. 22. 17.

[g] 1. Pet. 2. ver. 13.

[h] ver. 18.

[i] Iud. ver. 4.

[l] τὸν μόνον δεσπότην.

[k] 1. Tim. 6. 15. Apoc. 19. 16.

[l] *Epistolæ Petri catholicæ & canonicæ.* Euseb. hist. eccles. l. 2. c. 22. Dist. 15. c. Sancta Romana.

[m] L. 1. Cod. de summa Trinit. & fide Catholica.

[n] Responsiones Kirbæi, Filbii, & aliorum, ad quæstiones ipsis propositas Maii 13. 1582.

quàm fateri, ſubditos officium ullum Principi præſtare oportere, ſi Papa vetuerit. Chriſtus contrà ſenſit, [a] *reddenda, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, quantumvis prohibuiſſet Judas Galilæus. Atque Petrus, ſcribens, [b] *Subiecti eſtote regi*, [1] *tanquam præcellenti*, aut *ſupereminenti*; quem in locum [c] Pontifex ineptè commentatur, *non purè ſcriptum eſſe, regi præcellenti, ſed interpoſitum forſitan non ſine cauſa, tanquam*, quum particula *tanquam* hîc veritatem notet, ut in illo Johannis, [d] *Spectavimus gloriam eius* [2] *tanquam unigeniti*; tametſi iſtuc minùs vitioſè Pontifex ob intextum *forſitan*, quàm quod aſſeverantiùs attexit, *non ſimpliciter dictum eſſe à Petro, Subditi eſtote, ſed additum*, [3] *propter Deum*, acſi hæ voces [e] conſilium facerent ex præcepto, quum præcepti potiùs efficaciam augeant; ut Paulus, ubi dixerat de magiſtratu, [f] *Dei miniſter eſt*, [g] *Quamobrem*, inquit, *neceſſe eſt ſubiici, non ſolùm propter iram, ſed etiam* [4] *propter conſcientiam*: verùm Petrus ſcribens ad [h] preſbyteros quoque, non modò reliquos fideles, de obedientia regi præſtanda, ut ſupereminenti, declarat impios eſſe ſucceſſores ſuos, [i] ſi diverſum doceant. Idem nempe ſentiens cum Paulo, (quem ad Petrum jure poſſe adjici in Imperatoria lege *de fide Catholica* [k] obſervatur,) cujus præcepto ad Romanos ſcripto, [l] *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto*, non ſolùm populus Romanus, ſed etiam Pontifex obſtringitur, ut [m] Patres rectè annotârunt. Et tamen homines paſſos pro Juda Galilæo, perfidiáq; Papiſtica, ſanctos eſſe Martyres, ac pro Chriſto & fidei Catholicę veritate aſſerenda mortem

[a] Matt. 22. 21.

[b] 1. Pet. 2. 13.
[1] ὡς ὑπερέχοντι.
[c] Cap. Solitæ. Extra. de maiorit. & obedient.

[d] Ioh. 1. 14.
[2] ὡς μονογενοῦς.

[3] Vt habet vetus interpres: quod alii legunt, *propter Dominum*; convenienter Græco fonti, διὰ τὸν κύριον.
[e] Gloſſa in dictum caput.
[f] Rom. 13. v. 4.
[g] ver. 5.
[4] διὰ τὴν συνείδησιν.
[h] 1. Pet. 5. 1.
[i] 1. Tim. 6. 3.
[k] Dionyſ. Gothofred. ad leg. 1. Cod. de ſumma Trinit. & fide Catholica.
[l] Rom. 13. 1.
[m] Chryſoſtom. Theodoret. Theophylact & Oecumen. in hunc locum. Irenæ. adver. hær. l. 5. c. 20. ex Matth. 17. 27. ubi Chriſtus iubet *tributum regi dari pro ſe & Petro.*

ſubiiſſe

subiisse creditis? Nec adhuc agnoscitis qua fraude vos in nassas & retia sua pertrahant, qui incomparabilem Pontificis amorem in nationem nostram prædicant; qui templum altaribus & idolis plenum Catholicum appellant; qui titulo Catholicæ Ecclesiæ Babylonicam meretricem fucant; qui denique, avaritiam suam vestro sanguine explere cupientes, seductis & seducentibus emissariis suis divinum illud accinunt, [a] *sanctus, sanctus, sanctus*; [b] *sanctissimosq; sacerdotes, à sancta Societate Iesu, sanctis eruditionibus ad martyrium, acceptissimas* * *Deo hostias, in sacris collegijs, Romano & Rhemensi, velut agnos innoxios in sacris septis, saginatos*, &, [c] *quòd sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem tenerent ac prædicarent in Anglia, occisos esse* clamitant?

[a] Esai. 6. 3.

[b] Cæsar Baronius, notationib. in Martyrolog. Rom. Decembr. 29.

* *Deo huius seculi?* [2. Cor. 4. 4.] An *Domino Deo Papæ?* [Gloss. extravag. Ioann. XXII. c. cùm inter.] Non enim certè *Deo cœli:* [Dan. 2. 19.] cui *acceptum est, si quis, quum bene facit, tamen afflictus toleret*; [1. Pet. 2. 20.] non, si *patiatur ut maleficus*; [1. Pet. 4. 15.] quemadmodum patiuntur discipuli Iudæ Galilæi.

5 ½ Conjunctum præcedenti falsorum enunciatorum generi est alterum, quo vos in orthodoxæ doctrinæ, quam profitemur, atque doctorum nostrorum odium inflammant. Doctrinæ; ut in eo appâret satis luculenter, quod obiter ex libro Trophæorum attigi, de templis nostris omnibus: quippe quæ, tametsi Catholico Dei cultu & Apostolica fide personent, hæretica tamen vocant, quum *unicum Anglis toto terrarum orbe templum Catholicum relictum, idq; Romæ*, asserunt. Luculentiùs verò, quod [d] ibidem addunt; *Qui summi Pontificis primatum Reginæ in Anglia negant tribui posse, tanquam læsæ maiestatis rei damnantur; & ad supplicij locum, cratibus impositi, ministris interim hæreticis ad fidem Catholicam deserendam adhortantibus, per mediam Vrbem ignominiosè raptantur.* Nam legitimi tantùm Principis primatum, ac non Pontificis, nedum summi, Reginæ tribuendum in

[c] Eccles. Angl. troph. pag. 35.

[d] Pag. 32.

Anglia doceri, teſtes ſunt Articuli religionis, à [a] Synodo primùm Londinenſi, tum [b] publico Reginæ Ordinúmq; regni conſenſu approbati. Quorum [c] triceſimus ſeptimus ſic habet: *Quũ Regiæ Maieſtati ſummam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum offendi, non damus regibus noſtris, aut verbi Dei, aut Sacramentorum adminiſtrationem; quod etiam iniunctiones ab Elizabetha Regina noſtra, nuper editæ, apertiſſimè teſtantur: ſed eam tantùm prærogativam, quam in ſacris Scripturis à Deo ipſo omnibus piis Principibus videmus ſemper fuiſſe attributam; hoc eſt, ut omnes ſtatus atque ordines fidei ſuæ à Deo commiſſos, ſive illi eccleſiaſtici ſint, ſive civiles, in officio contineant, & contumaces ac delinquentes gladio civili coerceant.* Ac mihi quidem, qui iis ipſis annis Londini fui, quibus [d] veſtri ſuos ob primatum Pontificis Reginæ denegatum damnatos raptatóſq; per mediam urbem perhibent, & illuſtriſſimi viri Franciſci Walſinghami rogatu cũ pleriſque illorum colloquutus ſum, tanto ſceleratior videtur calumnia: quanto certiùs ſcio, & admonitos eos eſſe haud alium primatũ Principi à nobis tribui, quàm [e] Joſaphato, [f] Ezekię, [g] Joſię tribuit Deus; & veniã gratioſa Principis clementia oblatã, modò talem ejus primatũ agnoſcerẽt, reſpuiſſe. Quin & Hartus, unus è numero damnatorum, [h] eodem tempore faſſus eſt, ſe, ut multos alios, hac in re erraſſe, quòd putaret parem Reginę poteſtatem à nobis titulo primatûs dari, ac à vobis datur Pontifici ſummo, * quem vocatis. Harto autem [g] lumen negotiatorum veſtrorum, tanquam *fortiſſimo Dei confeſſori*, hoc contra nos encomiũ allinit: *Catholicam fidem intrepidè tuetur adverſus fraudes*

[a] Habita anno Dom. 1562.
[b] Anno regni Eliz. 13. c. 12.
[c] De civilib. magiſtratib.
[d] Eccleſ. Anglitrophæ. ibid. *Sic Edmundus Campianus cum ſociis, aliiq; Catholici tũm ſacerdotes tũm laici ad mortem tracti ſunt: anno Domini 1581. 1582. 1583.*
[e] 2. Chron. 19. ver. 5. & 3.
[f] 2. Reg. 18. 3.
[g] 2. Reg. 22. 2. & ſequentib.
[h] Colloquii (habiti ſub initium anni 1582.) cap. 10. §. 1.
* Heb. 7. 26. Τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεύς.
[g] Reſp. ad perſequut. Ang. pro Catholicis, cap. 1.

&

& ineptias Rainoldi cuiusdam Ministri Calviniani, quocum DEI-*hominem de rebus controversis conferre voluistis.* Ineptiarum & fraudum argui potest quivis. *Nihil tam volucre, quàm maledictum*, inquit [a] Cicero: *nihil facilius emittitur*. Quòd si potuissent ullius fraudis aut ineptiæ Colloquium Rainoldi cum Harto habitum convincere: feciſſent tot annorum spatio, ut credibile est. Sed ille, qui appellat Hartum DEI-hominem, (cujus confessione nos legitimi tantùm Principis primatum Reginæ tribuimus, ac non Pontificis summi:) convincit, suos esse homines [b] diaboli, qui ob primatum summi Pontificis Principi denegatum Papistas læsæ Majestatis damnatos mentiuntur; & à ministris hæreticis ad deserendam fidem Catholicam impulsos, quum ab orthodoxis ad exuendum hæreticum furorem urgerentur. Jam doctores nostros vobis odiosos reddere conantur, utinam mendaciis tantùm levioribus: qualibus nos traducunt, quando me, exempli gratia, *Calvinianum*; alios [c] *Puritanos*, aut *Calvinopapistas*; & omnes, [d] *Novatores* nominant. Etenim mediocris rerum in autoribus cuivis obviis animadversio statim suggestura sit, nec ab hoc *novandi* crimine perstringi magis nos, quàm [e] Paulum, cujus *doctrina nova* nuncupata est: nec ab illis conviciis *Calvinianorum*, *Puritanorum*, *Calvinopapistarum*, & quicquid simile fingent, turpiorem hodie aspergi orthodoxis maculam, quàm olim, quum ab iniquis [f] Nazareni, [g] Psychici, [h] Homousiani, [i] Eustathiani, [k] Macariani, [l] Pagani vocabantur. Sed & graviora multo affingunt nostrorum con-

[a] Pro Plancio.

[b] Ioh. 8. 44.

[c] Concert. Eccles. Cath. in Angl. adverſ. Calvinop. & Purit.

[d] Baron. annal. lib. eccleſiaſt. paſſim.

[e] Act. 17. 19.

[f] Act. 24. 5.

[g] Clem. Alex. Strom. lib. 4. Tertull. de ieiunio adverſus Pſychicos.

[h] Vict. Vtic. de perſequut. Wand. lib. 2. Emeritum Donatiſtam.

[i] Sozomen. hiſt. eccleſ. l. 6. c. 21.

[k] Auguſt. epiſt. 164. ad

[l] Optat. lib. 3.

siliis, dictis, factis, scriptis: & quæ vix redarguas absque monumentorum aut inventu, aut intellectu, aut dijudicatu difficiliorum perveſtigatione. Documentum rei exhibent Petrus Martyr, Beza, & Calvinus. De quorum primo [a] Genebrardus hunc in modum ſcribit: *Petrus Martyr, non ſine ſuſpicione veneni à Calvinitis propinati, dum reſpondere parat Brentio monſtroſam ubiquitatem introducenti, & Calvinitis, à quibus ut ſpectrum in Euchariſtia conſtituentibus proximè in Poſſiaco conventu diſſenſerat, exclamans pro ſua parte, neque reipſa corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, neque reipſa ſumi, quum iſti affirmarent reipſa quidem abeſſe, reipſa tamen ſumi quod eſt prodigii pluſquam ſimile, infelicem exhalat ſpiritum.* Ubi, non obſtante teſte, [b] cujus nomen probationis loco additur, quàm multa ſunt in una periodo mendacia? Primum, Petrum Martyrem à Calvinitis in Poſſiaco conventu diſſenſiſſe. Nam is ſententiam ſuam his verbis expoſuit; *Reſpondeo pro mea parte, corpus Chriſti non eſſe verè & ſubſtantialiter alibi quàm in cœlo; non tamen inficior, Chriſti corpus verum, & ſanguinem illius verum, quæ pro ſalute humana tradita ſunt in cruce, fide percipi à fidelibus in ſacra cœna*: & Beza ceteriq; collegæ univerſi diſertè ſunt teſtati ſe prorſus idem ſentire, neque credidiſſe aut docuiſſe aliter. Ex illis autem verbis, *Reſpondeo pro mea parte*, quibus Petrus Martyr propterea uſus eſt, quoniam inter ipſos antea convenerat (ne coactę conſenſionis ſuſpicionem incurrerent, tanquam alter alterius niteretur fide) ut primùm Petrus Martyr ſentẽtiam ſcripto expreſſam veluti pro ſeipſo peculiariter exhiberet; deinde Beza & ceteri, quiſque pro ſe item diſtinctè

[a] Chronogr. lib. 4. anno Dom. 1562.

[b] *Eſpencæus in apolog.*

distinctè ac seorsum, vel eandem approbarent, vel aliam traderent si videretur: ceterùm ex illis Petri Martyris verbis conclusit intulitq; perperam Espencæus, eum à Beza & reliquis collegis suis dissensisse. Hoc testatur Autor [a] historiæ ecclesiasticæ Ecclesiarum reformatarum in Gallia: [b] qui *Deum testem invocans, se nihil tradidisse nisi bene testatum*, fide dignior est quàm Espencæus injuratus. Et, ad obturandum os impudens Genebrardi, testatur idem [c] Poplinerius: cujus *Commentarios* [d] Genebrardus ipse referens *proscriptos esse à Ministris, quòd purè & simpliciter ad historiæ veritatem, non ad Causæ gratiam, cuncta narraret*; hîc quoque suo more Ministros calumnians, ut persuasum habeo; sed de illis pergens, *Suis scilicet*, inquit, *leges iniiciunt, ut vel mentiantur, vel verum prætereant; quod tamen nunquam à tanto, tam candido, & erudito viro consequentur*. Quum igitur Poplinerius, tantus, tam candidus, tam eruditus vir, qui ad veritatem historiæ cuncta narrat, fatente Genebrardo, affirmet *nullam fuisse inter Ministros dissensionem de doctrina; sed Espencæum & alios* (in quibus Genebrardus est) *perperam ex illis Petri Martyris verbis, pro mea parte, concluisse, Ministros nihilo magis consensisse inter se ipsos, quàm Prælatos, quorum ab aliis alii dissidebant*: restat, Genebrardum confessione sua convinci mendacii in eo quod impingit primùm Petro Martyri, dissensisse ipsum à collegis quum diceret, *Respondeo pro mea parte*. Hinc dependent cetera. Secundum; Petrum Martyrem negasse corpus Christi reipsa sumi in Eucharistia. Nam *verum Christi corpus fide à fidelibus in sacra Cæna percipi* dixit

[a] Lib. 4.
[b] In præfat.
[c] Hist. Gall. lib. 7.
[d] Chronogr. lib. 4. anno Dom. 1581.

[a] Petr. Mart. defens. doctr. Apost. adverſ. Gardiner. de Euchariſt. part. 1. obiect. 13.

Petrus Martyr: nec [a] *rem* negavit unquam, ſed Papiſticum *rei modum; ſpiritualiter* enim, *non corporaliter, carnaliter, realiter id ſumi*. Tertium, prodigii pluſquam ſimile ſpectrum ab illis introduci, qui corpus Chriſti in cœlo tantùm eſſe verè, & tamen verè in ſacra Cæna ſumi aſſerunt. Qua in re ſi eum non ſatis

[b] Loco citato.

coarguat [b] Poplinerii candor atque eruditio, qui Eſpenceum taxans, *Quaſi*, inquit, *hæc verba, in uſu Cænæ, & in cœlo, eſſent pugnantia*: at coarguit Chriſtus, di-

[c] Ioh. 6. 56.

cens, [c] *Qui comedit corpus meum & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in ipſo*; at coarguit Paulus,

[d] Eph. 5. ver. 29.
[e] ver. 30.
[f] ver. 32.

ſubjungens dicto de [d] Eccleſia, [e] membris corporis Chriſti, ex carne Chriſti, ex oſſibus Chriſti, [f] *Myſterium hoc magnum eſt*. Nam &

[g] Ioh. 19. 36.
[h] Luc. 24. 39.
[i] Act. 1. 9. & 3. 21.

[g] integer Chriſtus, corpore, [h] carne, oſſibus, [i] verè eſt in cœlo; & myſterii tamen veritate membra ejus ſunt in terra, caro ex carne ejus, oſſa ex oſſibus ejus, ac ipſe in nobis eſt, & nos in eo: quamvis nec carnaliter eum comedamus, ut

[k] Homer. Odyſſ. lib. 9.
[l] Virg. Æneid. lib. 3.

[k] Cyclops ſocios Ulyſſis, [l] *Et tepidi tremerent ſub dentibus artus*; nec ex oſſibus ejus ſic formati ſimus, ut

[m] Ovid. Metamorphoſ. l. 6.

[m] Pelopis humerus ex ebore, oſſe elephanti. Jam ad quartum mendacium; paraſſe Petrum Martyrem in Calvinitas ſcribere, qui ipſius verba conſenſu tanto comprobaverant; quid attinet lucernam in luce Solis accendere? Quintum, de veneni à quoquam ei propinati ſuſpicione, refellit fides, probitas, peri-

[n] Ioſ. Simler. orat. de vit. & obitu Petri Mart.

tia [n] medicorum atque amicorum, qui frequentes ſeni morbo epidemico laboranti aderant. Sextum; de exhalato infelice ſpiritu, è nequiſſimi ſpiritus ſentina exhalatum oſtendit

[o] Apoc. 14. 13.

[o] *Spiritus* ille, cujus verba ſunt, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*. Porrò, quod hic rabula, in Bezam æquè furens ac in Petrum Martyrem,

tyrem, ut [a] *Calviniſmus, Paganiſmus*, & τὸ * Θεόμωρον ei obiecta ſunt indicio, ſimiliter evomuerat, quũ [b] ſcriberet *Poltrotum, qui proditoriè Ducem Guiſium occîdit, à Beza ſubornatum eſſe*: id reſorbentes Jeſuitæ, [c] Campianus & [d] Poſſevinus, propinârunt ſuis, *Infamis*, inquientes *ſicarius, plenus Bezâ, Gallum heroa Guiſium, admirabili virtute Principem, diſploſa fiſtula clãculum interemit*. Et cujus teſtimonio probatur Beza ad hoc facinus Poltrotum inſtigaſſe? Confeſſione Poltroti: quam & [e] alia erant quæ ſuſpectam redderent; & [f] ipſe hac ex parte falſam eſſe tempore mortis conteſtatus eſt coram Deo & Angelis, ſéq; Bezam accuſaſſe ne ſtatim morte multaretur; & Beza refutavit, [g] non ſolùm affirmando ſe nunquam noviſſe aut conveniſſe Poltrotũ, vel coràm, vel per nunciũ, nec quicquam negotii cum eo habuiſſe; verùm etiam docendo, fidem ſibi fieri ex ipſis verbis Poltroti, in quibus haberetur, *Bezam dixiſſe, Poltrotũ beatum fore ſi in hoc mũdo crucem ſuam ferret, ut Chriſtus eam pro nobis tulit, et* [1] *hoc facinore lucraturum eſſe paradiſum*; nec enim ſe tam malè edoctum quæ ad munus ſuum pertinerent, ut ſic tractaret [2] Scripturam, nedum ut homines paradiſum operibus ſuis lucrari diceret. Adeò ex omnibus circumſtantiis patet, non tam ſicarium illum fuiſſe plenum Bezâ; quàm Genebrardum, Campianum, Poſſevinum, plenos Satana. In Calvino denique ſeipſos vincunt malitia; ſaltem [h] Poſſevinus: qui eum *atheiſmi* accuſat ob ſententiam piam & catholicam de Chriſto, Dei Filio, [i] uno & eodem Deo cum [k] Patre, eáq; re, quod ad eſſentiam attinet,

[a] Genebrard. comment. in Pſalm. præfat. ad lectorem.

* *Theomorum Bezam*, pro *Theodoro*, ibi nominat: an Deo huius Caiaphæ linguam dirigente, ut in Beza & ipſo impletum recordaremur id quod ſcriptum eſt; Τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστί? 1. Cor. 1. 25.

[b] Chron. lib. 4. anno Dom. 1562.

[c] Ration. 8.

[d] Biblioth. ſelect. lib. 7. cap. 14.

[e] Popelin. hiſt. Gall. lib. 9.

[f] Hiſt. eccleſ. Eccleſiar. reform. in Gall. lib. 6.

[g] Ibid. in reſponſione D. Caſtilion. Amirali. Quæ & apud Simonem Schardium habetur, hiſtor. tom. 3.

[1] *Pour lequel acte il gaigneroit paradis.* [2] *Tollat crucem ſuam.* Luc. 9. 23. [h] Biblioth. ſelect. lib. 8. cap. 6. [i] 1 Ioh. 5. 20. [k] Ioh. 17. 3.

[1] αὐτοθέῳ, defensam contra Valentinum Gentilem hæreticum: quam à [a] Genebrardo, [b] Campiano, & [c] aliis objectam ut hæreticam, non solùm [d] Beza, & [e] Zanchius, sed etiam [f] Bellarminus docuerat orthodoxam esse. Sanctum Cyrillum hæresiarcha [g] Nestorius Paganismi, Apollinarismi, & Arianismi arguit. Quem ad locum [h] Peltanus è Societate Jesu, annotans *Nestorium per meram sycophantiam transferre ea omnia ad naturam Christi, quæ Cyrillus personæ propter naturarum coitionem & ἰδιωμάτων κοινωνίαν tribuit: Sed hæ sunt*, inquit, *hæreticorum artes; ea videlicet sceleratissimè impingere Catholicis, quæ nunquam somniârunt*. Verissimũ insignis Jesuitæ dictum siquis exemplis illustrare cupiat; non est opus ut veteres adeat hæreticos: Possevini modò selectam Bibliothecam, aut ratiunculas Campiani, aut Genebrardi Chronographiam evolvat, quum vacabit. Interim quanto vestro cum periculo, fratres, odium in Calvinum, Bezam, Petrum Martyrem, similésq; excitent, ex Osorio discite: [i] qui, ut Calvino, quem exosum habebat, dissimillimus esset, Augustini sententiam de prædestinatione, Calvino approbatam, carpsit & damnavit. [k] Cæsar Baronius, ex antiquitatis con-

[1] *Atque hæc ut tibi furendi causa est, quòd Athanasius Filium facit αὐτόθεον*; inquit Calvinus Valentino Gentili: [in explicat. perfid. Valent. Gent.] & addit, eum istis vocibus delectatum; *Vnũ esse Deum Patrem, qui & sit αὐλόθεος, & solus αὐτουσίαν in se habeat.* Itaque adversus errorem hæretici affirmantis *Christum essentiatum esse* (ut loquebatur) *à Patre, nec eandem cum eo habere essentiam, sed aliam*, Filium αὐλόθεον nominat Calvinus:

quo sensu Athanasius [dialog. 1. de Trinit.] attribuit ei οὐσίας ταυτότητα *cum Patre*; & Epiphanius [hær. 69.] τὴν αὐτὴν θεότητα, τὸ αὐτοδεδοξασμένον, καὶ τὸ αὐτοτέλειον; ut ipsum etiam nomen αὐτουσίας [hær. 76.] ac αὐτοθεὸς ex consequenti; & omnes orthodoxi Christum esse verum unúmq; & eundem cum Patre Deum asserunt contra Arianos. [a] Chronogr. lib. 4. anno Dom. 1560. [b] Ration. 8. [c] Canis. præfat. lib. de Iohanne Baptista. Lindan. Dubitant. dialog. 2. Anglorhemens. annot. in Evang. Ioh. cap. 1. & 10. [d] Præfat. in Athanasii dialogos de Trinitate, Latinè ab ipso versos. [e] De tribus Elohim, part. 2. lib. 1. cap. 3. [f] De Christo, lib. 2. cap. 19. [g] Act. synod. Ephes. cap. 13. epist. Nestorii ad Cyrillum. [h] Actor. Conc. Ephes. tom. 1. cap. 13. in argument. epist. Nest. [i] Osor. de iust. lib. 9. [k] Annal. eccles. tom. 6. anno Dom. 490.

sensu

ſenſu animadvertens doctrinam Auguſtini de eo fidei capite ſanctam eſſe Catholicæ Eccleſiæ doctrinam, ídq; ex [a] Hormiſda Papa & [b] Maxentio probans, ſubjungit: *Quum igitur* * *Fauſti ſententiæ ubique ab Eccleſia Catholica fuerit contradictum; videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in Novatores inſurgunt, ut eos confutent, à S. Auguſtini ſententia de prædeſtinatione recedunt.* Profectò, ſi noſtrorum carpendorum ſtudio eò provehamini, ut negetis Chriſtum eſſe αὐτόθεον, quo ſenſu contra Gentilem afferit Calvinus: multo magis poterit Baronius vos monere, ut videatis quanto periculo recedatis à ſententia [c] Patrum de Chriſti deitate, dum in Novatores ad arma proruitis.

[a] Epiſt. 67. ad Poſſeſſ. epiſc. Tom. 1. epiſt. Rom. Pont.

[b] Reſponſ. ad Hormiſd. Quę exſtat tom. 4. Biblioth. ſanct. ſecundæ edit.

* Pelagiani hæretici: cuius venenatum & hæreticum opus, perſtrictum à Baronio, vocatur *opus inſigne* in ſacra Bibliotheca Bignæi [tom. 4.] editionis ſecundæ: in qua *nihil eſſe non pium, non Catholicum*, affirmant Genebrardus, Feuardentius, & Dadræus. [Cenſura prę-fixa tom. 1.] Ac idem hæreticus, modò *S. Fauſtus*, [tom. 2.] modò *D. Fauſtus* [Ind. autorum alphabet.] ibi nuncupatur.

6 Ceterùm his duobus falſorum enunciatorum generibus accedit tertium, utroque periculoſius: quo ementiuntur tûm ſacrum Dei verbum, tûm humana ſcripta, ut peſtifera ſua & venenata dogmata vobis illorum autoritate commendent. Deus ſeductori Evæ ſerpenti, id eſt, [d] Satanæ dicens de ſemine mulieris, [e] *Ipſum conteret tibi caput*, gratioſam nobis promiſſionem exhibet de ſervando genere humano per Chriſtum, [f] ſecundas ejus, [g] filium Virginis, [h] Principem pacis, ſicut ſcriptum eſt, [i] *Deus pacis conteret Satanam ſub pedes veſtros citò*. Latina quædam Biblia vulgatæ verſionis, non interpretis lapſu, qui, ut Septuaginta, ſenſum exprimentes, reddiderunt, [l] *Ipſe*, ſimiliter *in Hebræo haberi* [k] pronuntiat; ſed deſcriben-

[c] De quibus verè Calvinus, [explicat. perfid. Valent. Gent.] *Nec verò privatam cauſam agimus, ac ſi nos ſeorſum aggreſſus eſſet Valentinus, quando totam vetuſtatem nobiſcum ſimul oppugnat.* [d] Apoc. 12. 9. [e] Gen. 3. 15. [f] Gen. 49. 10. [g] Eſai. 7. 14. [h] Eſai. 9. 6. [i] Rom. 16. 20. [l] Gr. αὐτὸς. [k] Hieron. tradit. Hebr. in Geneſ. cap. 3.

tium

tium culpa, ſicut & [2] Papiſtæ nonnulli confitentur, & ceteri ex tribus Hebræi fontis vocibus, [1] *Ipſe*, [2] *conteret*, [3] *ei*, cunctis maſculini non fœminini generis, perſuaſum habere poterant: verùm quædam veteris vulgatæ editionis Latinæ exemplaria legunt, *Ipſa conteret*; tanquam hoc dixiſſet Deus, non de ſemine mulieris, de Chriſto, quemadmodum [b] Hieronymus & [c] alii exponunt; ſed de muliere, de Maria, cui trophæum erigit [d] Coſterus Jeſuita ſerpentis conculcati, [e] cum adjecto elogio, *Conteret caput tuum.* Jam Romanus Pontifex, in nova Bibliorum iſtorum editione, quam ex [f] Tridentinæ Synodi præſcripto pro emendatiſſima authenticáq; haberi ſtatuit, inſerit contextui ſacro, *Ipſa conteret*, tanquam veram veteris interpretis lectionem, ac germanum ſenſum verborum Spiritus ſancti. Et quāquam fons Hebræus, Septuaginta interpretes, Chaldæus paraphraſtes, Latina quædam Biblia, eáq; correctiora, fatentibus [g] veſtris, ſecus habeant; quanquam Scripturæ ipſę, quan-

[a] Canus, de locis theolog. lib. 2. cap. 15. Andradius, defenſ. fid. Trid. lib. 4. Feliſius, elucidat. decalog. præcept. 1. cap. 49. Steuchus, coſmop. in Gen. cap. 3. Ribera, de templo. l. 2. c. 2.

[1] הוא

[2] ישוף

[3] ו in verbis ſequentibus, *Et tu conteres ei calcaneum.* Cuius mentionem quoque debebat Bellarminus facere, quando, cavillatus את *remotis punctis* (ſi *vau* legatur ut *iod*) *reddi poſſe Ipſa*, [de verbo Dei l. 2. c. 12.] ſubiungit, *non eſſe novum in Scriptura, ut cum nominibus fœmininis coniungantur pronomina, aut verba, generis maſculini.* An fortè verebatur ne videretur ſubabſurdum, ſi, quia hoc nonnunquam in verbo aut pronomine accidit, diceret hîc in utroque pariter accidere; quodammodo & in tertio, legendo את ut את? quum præſertim ipſe ex unica *voce Hebræa maſculini generis* concludat, locum alium *non poſſe fœminæ convenire*: [de ſacram. bapt. c 7] &, quod alibi rurſum, [de Chriſto, lib. 1. c. 5.] *Si licet*, inquit, *perſonarum mutationes ſine cauſa fingere, nihil unquam certi ex divinis literis colligi poterit*; id in hiſce quoque mutationibus locum habeat. [b] Tradit. Hebr. in Gen. cap 3. [c] Ireñ. adver. hær. l. 3. c. 38. Cyprian. teſtim. adverſ. Iud. l. 2. c. 9. Leo, ſerm. 2. de nativit. Dom. Serapion, apud Steuchum, coſmop. in Gen. cap. 3. Moſes Bar-cepha, de paradiſ. part. 1. Rupert. in Gen. 3. cap. 19. Pererius, comment. in Dan. lib. 10. Iſidorus Clarius, Lippomanus, Steuchus, & Theologi Pariſienſes, notation. marg. novæ Ordinariæ Gloſſæ, in hunc locum. [d] Libellis ſodalitatis B. Virg. Mariæ: & meditationum de vita & laudib. eius, in propylæo. [e] Enchirid. controverſ. præcipuar. noſt. temp. in gratiam ſodalit. B. Virg. Mariæ. [f] Seſſ. 4. [g] Theolog. Lovan. in Franciſc. Luc. notat. & lib. variar. lect. ſacri apparat. ad Reg. Bib. tom. 3. Ribera, in Habac. cap. 1. § 32.

quam

quam Patres, quanquam Pontificii theologi legendũ esse *Ipsum* doceant: [a] negotiatores tamen vestri Græca, Hebræa, omnia corrupta censeri potiùs volunt, quàm Pontificem, tali præsertim in re, errasse. Cujus item scopuli declinandi gratia, quia Sixtus Quintus, qui primus hæc authentica Latina Biblia [1] edidit, talia [2] menda illis intexuit ita multa, ut suis in erroris suspicionẽ venire posset; pro integris commendans, quæ non [b] modestiores solùm vulgatę versionis patroni, sed etiã [c] minùs pudentes agnoscunt vitiata esse: Clemens Octavus alia nova Biblia, purgata à cõplusculis crassioribus mendis, [3] biennio pòst emisit, [d] dixítq; *Sixtum Quintum ea sic recognita edi iussisse, quòd præli vitio irrepsisse non pauca animadverteret, quæ iterata diligentia indigere viderentur.* Satis quidem splendido Clemens mendacio. Quod & [e] Sixtus arguit, de sua editione dicens, *Quo magis incorruptè res perficeretur, nostra nos ipsi manu correximus, siqua prælo vitia obrepserant*: & [f] Roccha, editionis administer Sixto; qui factum hoc affirmat testis oculatus, [4] eóq; mortuo affirmat. Sed tale pharmacum maluit, quàm Sixtum putaretis autoritatẽ Canonicã dedisse librariorũ mendis. Quanquã & ipse [5] nonnulla menda ejusdemmodi, [6] pluráq; interpretis graviora, in pari autoritate posuit. Quum verò ita scripta divina tractant domini: quid mirum si humana corrumpant & adulterent servi? [g] Gregorius Nyssenus ait: *Eam solummodo naturam, quæ increata est,* [7] *colere & venerari didicimus.* [h] Theolo-

[a] Canis. de Maria Virg. l. 5. c. 9. Greg. de Valent. analys. fid. Cath. l. 8. c. 5. Carbonar. in illud Gen. Ipsa conteret tibi caput.

[1] Anno 1590.

[2] Exempli gratia, Ios. 11. 19 *se non traderet*, pro *se traderet*; 1. Sam. 19. 24. *cecinit*, pro *cecidit*; Psal. 41. 3. *fortẽ*, pro *fortẽ*. Psal. 106. 40, *contentio*, pro *contemtio*, Luc. 15. 8. *everrit*, pro *everrit*.

[b] Theologi Lovanienses, Canus, Andradius, locis citatis. Masius in Ios. c. 11. Iansenius, in psalm 41.

[c] Bellar. de verbo Dei, l. 2. c. 11. Carbon. asserr. parr. de Hebr. verit. l. 2. c. 3. & 5.

[3] Anno 1592.

[d] Inscriptione operis, & præfat. ad lectorem. [e] Præfat. suis Bibliis præfixa. [f] Commẽt. de Biblioth. Vatican. [4] Anno 1591. [5] Vt Esai. 40. 2 *malitia*, pro *militia*: de quo Pagninus in not. Ioh. 21. 22. *Sic eum volo manere*, pro *Si*: de quo Iansenius, Cõcord. Evãg. c. 148. [6] Vt Eccl. 16. 15. *meritũ operũ*, pro *opera*. 1. Cor. 15. 16. *mecũ*, pro *quæ mecũ est*. Heb. 11. 21. *adoravit fastigiũ virgæ*, pro *adoravit baculo innixus*. [g] Apud Antoniũ Melissẽ. lib. 1. serm. 1. 7 Gr. λατρεύειν κ᾽ σέβεσθαι. [h] Indice Hispano expurgatorio, apud Possevin. select. Biblioth. l. 1. c. 19.

gi Hiſpani in his illius verbis, *Deleatur*, inquiunt, *dictio* SOLVM MODO.[a] Ludovicus Vives, mentione facta *regni*, ſubjungit, *Cuius poteſtas maieſtáſq; eſt in terris ſecundum Deum maxima*. Hîc[b] Cenſores Belgici juſſerunt verba, *ſecundum Deum*, deleri.[c] Lovanienſes autem Theologi, non hęc modò, ſed reliqua etiam expunxerunt.[d] Polydorus Virgilius, decem mandata divinæ legis recitans, ſecundo loco ponit; *Nullius animalis effigiem colito*. Exitioſa doctrina Crucifixis & Agnis dei. Itaque[e] Cenſores delent hanc ſententiam: & mandata novem duntaxat ibi relinquunt. Ac iſta Pontificiæ fraudis exempla, quia peccant potiùs ſupprimendo verum, quàm falſum enuntiando, ab inſtituto meo aliena ducerem: niſi implicarent proderéntq; latens genus mendacii, quo à corruptoribus veſtris ſupplantamini.[f] Nam illi ſuam *fidem* aſſerunt doceri *omnibus* ſcriptis Patrum: *Gregorii Nyſſæ*, nominatim. Quàm verè: SOLVM MODO deleri juſſũ indicat. Nec ſecus alios ſuis hęreſibus aſſenſos exiſtimari volunt, quũ *multa loca à plagiariis contra mentem ipſorũ addita*[g] pronunciant; *cuiuſmodi plurima Cenſores, collatis novis exemplaribus cum antiquioribus, in Polydoro Virgilio de inventoribus rerum deprehendiſſe* perhibent. Ubi, quamvis largiar ex parte verum eſſe, quod aiunt plagiarios multa addidiſſe Polydoro Virgilio; nam[h] hoc videtur factum; ſed utrùm à noſtris, an Papiſtis, teſtentur ea de quibus[i] alibi; verùm plagiarios multa addidiſſe, quàm ineptè colligitur ex veterũ & novorũ exemplarium collatione? quum[k] Polydorus ipſe nonnulla ſe ſcripſiſſe doceat, quæ in editionibus recentioribus exſtant, in prima deſiderantur. Ceterùm, apertè mentiri etiam

[a] Epiſt. ad Henricum VIII. regem Angliæ, præfixa commét. eius in Auguſt. de civit. Dei.
[b] Ind. expurg. Belg. Cenſor.
[c] Oper. Auguſt. edit. Antuerp. apud Plantinum.
[d] De inventr. rer. lib. 5. ca. 9.
[e] Ind. expurg.
[f] Campianus, rat. 10. Poſſevinus, ſelect. Biblioth. lib. 7. cap. 26.
[g] Præfat. Ar. Mont. in expurg. Ind.
[h] De inventr. rer. l. 2. c. 23. interpolata integra pagina, à verbis, *ſic, ut ſi eorum originem*, uſque ad, *Sed cetera proſequamur*, incluſivè.
[i] De Rom. Eccleſ. idololatr. l. 2. c. 2. §. 12.
[k] Hiſt. Angl. lib. 4. & 23.

am vestros addendo verba autoribus, demonstrat [a] Possevinus: qui, quod in [b] Bodino Italicè verso habetur, *religionem unicam unius Romanæ Ecclesiæ veram esse; id piè, piè additum fuisse ab iis, qui librum cupiebant emendatum*, ait. Ut jam intelligamus, [c] *Auctores, ab omni labe emaculatos*, quos ille vobis præparat, non tam autores esse, quo sensu [d] quidam negant * *autorem* dici ab *augeo*, & sunt qui ab *ἀυτὸς* deducãt; quàm auctores, à voce, cui fœmininũ *auctrix*. Porrò isti vestri operum auctores ementiuntur ea, non solùm mutilandis aut addendis verbis: sed etiam, quum verba incorrupta retinent, falso tamen sensu illis affingendo. Hoc [e] Censores Belgici se in aliis Patribus facere profitentur, & in Bertramo fieri jubent. Quanquam in Bertramo, quod nequaquam faciunt in cunctis aliis Patribus, locos item integros expungendos notant: ut utroque genere fraudis simul pugnent; quemadmodum [f] Lysander, quò leonina pellis minimè pertingeret, ibi vulpinam assuendam dixit.

[a] Biblioth. select. l. 1. c. ult.
[b] De repub.
[c] Possevin. Biblioth select. præfat ad Clement. VIII.
[d] Valer. Prob. in Catholicis. Serv. in Virg. Æneid. l. 12. Vall. elegant. lib. 4. cap. 32.
* Sive *auctorẽ* scribendum sit cum Probo: vel, ut in Servio scriptum est, *authorem*.
[e] Ind. expurg.
[f] Plutarch. in vita Lysand.

7 Illud demum omnium malorum gravissimum, & dignum querimonia Thamaris de Amnone, [g] *Maius malum altero, quo me affeciſti, nunc afficis, expellens me*; quòd [h] *cæcam obedientiam* (ut appellant ipsi) tanquam præstantissimam virtutem vobis laudant. Nam quum eo nomine requirant ut præstetis *quicquid imperatur, nisi quod imperatur peccatum esse constet*; quanto aliter ac non solùm [i] religio, sed & [k] ratio, quæ vetat quicquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum? sed erroris antea instillati virus, quo fit ne vobis constet peccatum esse quod præcipiunt, præcipites vos impellit ad mandata quævis Superiorum & seductorum vestrorum exequenda. Nefariam

[g] 2. Sam. 13. 16.
[h] Possevin. Biblioth. select. l. 5. cap. 4.
[i] Rom. 4. 23.
[k] Cic. de off. lib. 1.

fariam putavit [a] Cicero vocem Blasii: qui, quum dixisset *se tanti Gracchum fecisse, ut quicquid ille vellet, sibi faciendum putaret*; ac quæsivisset Lælius, *Etiámne, si te in Capitoliũ faces ferre voluisset?* respondit, *Nunquam voluisset id quidem; sed si voluisset, paruissem.* [b] Campianus, jussus in Angliam contendere, ad quas & cui loco faces inferendas, [c] Italorum copię à Pontifice missæ, [d] bellumq; à Sandero in Hibernia cœptum eodem tempore, sunt indicio, paret mandato Superioris sui, tanquam divino. In illo ut complurium, [c] qui unà missi sunt, elucet cæca obedientia: sic vobis vestra, fratres, conditio repræsentatur, tanquam in speculo. Quid, quòd & Superiores, à quibus mittimini, obedientiam item cæcam debent Papæ? Quid, quòd & Papa potest item [f] cæcus affectibus suis abripi? teste Alexandro Sexto, [g] qui minores deliciarum hortos sceleratis artibus ambivit, quàm est Anglia. Ita vos conjiciunt negotiatores vestri in eum locum, de quo Christus, [h] *Si cæcus cæcũ duxerit:* & iniquiùs tractant, quàm [i] Naas Ammonita Israelitas voluit, quos uno tantùm oculo orbare concupivit.

8 Quę quum ita sint: [k] *Servamini ex natione ista prava*, ut Petri verbis concludam. Imitamini Levitas, [l] qui Jeroboamum vitulos ac dæmonia colentem dereliquerunt. [m] Ruinam Babylonis prædictã esse mementote: eamq; [n] domicilium dæmoniorum factam ex idolis agnoscite. Legite, expendite, absque præjudicio, quæ hac de re scripsi. Denique, ut alii considerabunt, spero, se à Propheta admoneri; [o] *Ne ascendatis Bethaven*: sic vos Evangelistæ verba reputate; [p] *Exite ex ea populo mi, ne participes sitis peccatorum eius, & ex plagis eius accipiatis.*

JOHAN-

[a] In Lælio.
[b] Epist. ad Reginæ Angliæ Consiliarios, cap. 2.
[c] Ciccarell. in vita Gregor. XIII.
[d] Genebrard. chonogr. l. 4.
[e] Diar. adiunct. Sander. l. 3. de schism. Angl.
[f] Apoc. 3. 17.
[g] Fr. Guicciardin. hist. lib. 1. & 6. Onuphr. in vita Alex. VI.
[h] Matt. 15. 14.
[i] 1. Sam. 11. 2.
[k] Act. 2. 40.
[l] 2. Chr. 11. 14.
[m] Apoc. 14. 8.
[n] Apoc. 18. 2.
[o] Hos. 4. 15.
[p] Apoc. 18. 4.

IOHANNIS RAINOLDI, IN libros de Romanæ Eccleſiæ idololatria, *Præfatio.*

* * *

ECCLESIASTES, quum omnia humana rerum fluxarum fugaciumq́; ſtudia vaniſſima eſſe demonſtraſſet, ac documenta tradidiſſet veræ pietatis & reverentiæ Dei: [a] *Ex iſtis*, inquit, *fili mi, admonitus eſto: faciendi libros multos nullus eſt finis, & lectio multorum fatigationi eſt carni: ſumma rei eſt, his omnibus auditis; Deum reverere, & præcepta eius obſerva, quia hoc eſt totum hominis.* Sapienter quidem ille nos adhortans, ut ſtudia ſalutaria, perceptu faciliora, fructu perennia, iis anteponamus, quorum infinita eſt inveſtigatio, nec alius demum exitus quàm labor & ærumna. Quanquam fit quorundam partim ignorantia, partim contumacia, ut in præſtantiſſimo quoque pietatis & cultus Dei ſtudio idem aliquatenus uſuvenire videatur, quod in ceteris notat Salomon. Nam, de conſervanda fide ſarta tecta, de repurganda doctrina, de diſciplina inſtauranda; de eliminandis erroribus, hæreſibus, idololatriis; denique

[a] Eccl. 12. 14.

de cunctis religionis partibus, quas vel superstitio, vel ambitio, vel avaritia, vel incuria corrupit, reformandis & corrigendis; quàm multa exarantur indies volumina? Atq; horum lectio, tametsi propter affinitatem, quã cum illis habent, de quibus scriptũ est, [a] *Ne discedat liber iste legis ex ore tuo*, [b] *Attende lectioni*, [c] *Beatus qui legit*, magno solatio & iucunditate hominem pascit reficitq;; nonnulla tamen etiam aspergit lassitudine: ut [d] libellus, Angeli iussu à Johanne acceptus & devoratus, amaritudinem attulit ventri eius, etsi dulcis esset in ore eius tanquam mel. Quod utinam, qui se Dei & Ecclesiæ filios esse gloriantur, piis Ecclesiastæ monitis acquiescerent: nec [e] frustra Deum colerent, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum; sed [f] verbis sapientum ab ipso traditis instructi, mandata eius observarent. Ita & nos librorum scribendorum cura, & alii legendorum molestia levati, utrique melius exerceremur ea [g] faciendo quæ divinitus edocti sumus, quàm discendo quid in hominum doctrinis fugere debeamus. Verùm enimverò, quàm diu [h] pseudoprophetæ vestimentis ovium, animis luporum, insinuant se in gregem Christi; & [i] multi refractarii, vaniloqui, mentium deceptores, non solùm totas domos, sed etiam regna, subvertunt: tantisper omnis cautio nobis adhibenda est ut ora illis obstruamus, eoq; scriptis contradicentes identidem scriptis convincamus, quod [k] Augustinus rectè asseruit ex Apostolo. Jeremias propheta [l] confecit librum concionum, quibus declaraverat quantæ imminerent Judæis pœnæ ob peccata, ut eius lectione ad resipiscentiam vocarentur. Quem postquàm Joakimus rex indignabundus igne consumsisset: Jeremias alterum

[a] Ios. 1. 8.
[b] 1. Tim. 4. 13.
[c] Apoc. 1. 3.
[d] Apoc. 10. 9.
[e] Mat. 15. 9.
[f] Eccl. 12. 13.
[g] Ios. 1. 8.
[h] Mat. 7. 15.
[i] Tit. 1. 10.
[k] Contr. Cresc. gramm. li. 1. ca. 9.
[l] Ierem. 36. 2.

rum librum confecit, in quo omnia verba libri exusti scripta sunt, & addita sunt illis verba multa eiusmodi. Inter Christianos divinum cultum variæ labes infecerunt: & multiplex impietas irrepsit sensim in ecclesiam. Wiclefus, Husius, Lutherus, & alii, eodem quo Jeremias spiritu, licet non eâdem spiritus mensura, scripserunt varios libros, ad procurandam religionis reformationem. Eos [a] Pontificia tyrannis adiudicavit addixitq; flammis: immò & eorum quoque [b] autores, quos nanciscì potuit. Quid igitur his servis Dei restabat, vel quid nobis potius, quos ecclesiæ pari cura tangi convenit, nisi ut eadem conscribamus iterum, ac plura eiusmodi illis adiungamus. Hoc autem tanto magis hodie videtur à suis operariis exigere dominus messis, quàm olim à Jeremia: quanto Pontificii malitiosiùs & astutiùs, non solùm nostros libros exusserunt, ut Joakimus; sed etiam, ut Celsus, Porphyrius, Julianus, contrarios ediderunt, quibus & perversa instituta sua persuaderent vulgo, & rectam nostram atque iustam reprehensionem ipsorum odiosam redderent. Nec enim capitales isti Christianæ veritatis hostes, aut acerbiore calumniarum rabie, aut sophismatum fuco speciosiore, pro Paganorum templis & ritibus pugnârunt: quàm multi Papistarum, in primis Jesuitæ, & inter Jesuitas præcipuè Bellarminus, pro Ecclesiæ suæ corruptelis dimicant. Quod mihi, cupienti quidem planum facere in cunctis fidei quæstionibus, de quibus controversamur, sed utinam in una cumulatè possim, visum est ab ea potissimùm auspicari, cuius maximum esse apud nos momentum agnoscit-

[a] Æn. Sylv. hist. Bohem. cap. 35. Concil. Constantiens. sess. 15. Bulla Leon. X. advers. Luther.

[b] Æn. Sylv. hist. Bohem. cap. 36.

[a] Tom. 1. controvers. gener. 7. præfat.

[a] Bellarminus, & ob quam in nostros maledicentissimè nequissiméq; debacchatur. Nam *multa*, inquit, *sunt, quæ hæretici in nostra Ecclesia reprehendunt, multa desiderant, multa carpunt, multa emendanda & corrigenda esse clamitant: sed nihil est quod exhorreant, & execrentur magis, quàm invocatio Sanctorum, reliquiarum cultus, imaginum veneratio: his enim tribus manifestam impietatem & idololatriam contineri volunt.* Rectè, quòd manifestæ impietatis & idololatriæ hæc tria nos damnare ait. Impietatem enim & idololatriam item, sed occultam, subesse dicimus fiduciæ, qua in salem, aquam, oleum, aliasq; res exorcizatas & consecratas recumbunt. In latria verò, quam deferunt, ac deferendam esse contendunt sacramento Eucharistiæ, longè manifestissimam impietatem & idololatriam contineri asserimus. Ceterùm, vt [b] Medea, quum videret patrem instare sibi fugienti, fratrem trucidasse & concerpsisse dicitur, eiusq; membra cetera in variis locis dispersisse, caput autem & manus in alto scopulo collocasse, quò filii lanienam conspicaretur pater, & cura dissipatos artus colligendi à persequendo retardaretur: ita Bellarminus orthodoxos religionis reformatæ cultores falsis maledictis hæreticorum, mendaciûm, blasphemorum conscidit; existimationisq; eorum quasi corpus, in frusta discerptum, partim confixit in eminenti scopulo præfationis suæ de Ecclesia triumphante, partim in multis huius controversiæ locis dissipavit. At ego vel hoc ipso maximè eum persequar, si patefecero quàm iniuriosè conviciis istis nos prosciderit: ac tanto expeditiùs in reliqua item omni disputatione deinceps fugientem retraham. Principio igitur universam il-

[b] Cic. pro lege Manil. Ovid. lib. 3. Trist. eleg. 9.

lius

lius præfationem contemplandam dabo: & crimina, quæ passim totius controversiæ tractatu nobis immerentibus obiecit, diluam. Deinde, nefariam committi à Papistis idololatriam, primò, in Sanctorum; secundò, in reliquiarum; tertiò, in imaginum; quartò, in aquæ, olei, & aliarum rerum consecratarum; quintò, in sacramenti Eucharistiæ cultu; manifestum faciam. Omnipotens, pater luminum & miserationum, qui ex ore infantium educit laudem suam, potentiamq; suam per infirmitatem perficit, assistat mihi sancti spiritûs sui gratiâ: ut vera stabiliam, falsa demoliar, religiosa plantem, exstirpem superstitiosa, pretiosum à vili separem. O Deus, docuisti me à pueritia mea: & huc usque indicavi mirabilia tua. Quare etiam tantisper, dum appropinquat senectus & canities, Deus, ne derelinquas me: donec indicavero veritatem tuam huic generationi; atque, si non omni venturæ generationi, (quod a Prophetæ satis fuit comprecari,) at quotæcunque voles, sinceritatem cultûs tui.

a Psal. 71. 18.

De Romanæ Eccleſiæ idololatria,

Liber primus, Caput primum.

Eccleſiam Romanam idololatriæ in cultu Sanctorum, reliquiarum, & imaginum, à Luthero, Melanchthone, Magdeburgenſibus, Calvino, aliiſq; Proteſtantibus, non per calumnias & mendacia, ut Bellarminus falsò aſſerit, ſed verè & meritò accuſari.

Bellarminus.

PErvenimus tandem ad eam Eccleſiæ Catholicæ partem noſtris diſputationibus illuſtrandam, atque ab hæreticorum non tam argumentis, quàm mendaciis, & calumniis vindicandam, quæ in cælo beata cum rege ſuo Chriſto ævo ſempiterno fruitur. Quanquam enim beatæ illæ ſanctorum Angelorum, atque hominum mentes humana defenſione, præſidioq; pro ſe non egent, cùm in altiſſimis, & tutiſſimis arcibus collocatæ de univerſis hoſtibus ſuis novos quotidie triumphos agant, ac (ut S. loquitur Cyprianus) prorſus de ſua felicitate ſecuræ, ſolùm de noſtra ſint incolumitate ſollicitæ: Nobis tamen perutile eſt, ac, ut verius dicam, multis nominibus neceſſarium, ut Sanctorum gloria orbi terrarum nota, atque perſpecta, & omni idololatriæ caligine, quam illi aſpergere, atque offundere conantur hæretici, purgata omnino, & libera emineat, atque ſplendeat.

Quia verò non panegyricam orationem de Sanctorum laudibus inſtituimus, ſed ingreſſum duntaxat ad futuram diſputationem noſtra hac præfatiunculâ aperimus: dicam ſolùm, & paucis, de mendaciis, & conviciis hæreticorum in Sanctos, quorum illa ad ipſorum hæreticorum inſaniam curandam magnum afferunt impedimentum; iſta non ſolùm Eccleſiam inſigni patrocinio ſpoliant, ſed etiam graviſſimam, iuſtiſſimamq; divini Numinis iram mortalibus omnibus conciliant.

Rainoldus

Rainoldus.

SI quanta pietatis ſpecie Bellarminus promittit ſe Sanctorum gloriam adverſus hæreticos defenſurum, tanta veritatis fide id præſtaret: nos ſanè, ut in [a] pugna contra Samoſatenſes atque Arianos, ita in hac cauſa dextras ſocietatis daremus ei libentiſſimè. Etenim beatas ſanctorum angelorum atque hominum mentes, de felicitate ſua ſecuras, de ſalute noſtra ſollicitas, eſſe [b] agnoſcimus: & earum honor ut ab omni labe idololatriæ, qua illum infuſcare conantur hæretici, purgatus omnino & liber emineat ſplendeatq;, elaborandum confitemur. Unde, quod legimus ab [c] Epiphanio ſcriptum contra Collyridianos, idolum ex Beata Virgine facientes, *Revera ſanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus; revera virgo erat, & honorata, ſed non data nobis ad adorationem*: hoc [d] Reformatæ Eccleſiæ in confeſſione, [e] ipſi Tridentinæ Synodo exhibita, teſtantur ſibi probari. Quin etiam conſentimus, tùm mendacia hæreticorum atque calumnias magno eſſe impedimento ne ſanentur ipſi: tùm maledicta & convicia eorum in Sanctos eccleſiam inſigni orbare patrocinio, ſiquidem iis auſcultet, ac divinam iram in homines provocare. Nam [f] retegitur ira Dei è cœlo adverſus omnem iniuſtitiam, eoq; adverſus [g] maledicentiam: & [h] qui obtrectat lingua ſua, excludêtur è tabernaculo Domini; cuius gratia & præſidio nudari,

[a] Bellarm. controverſ. de Chriſto, lib. 1. cap. 1. & 2.

[b] Harmon. confeſſ. fidei reformatar. eccleſiar. ſect. 1. obſervat. ad confeſſ. Saxõ.

[c] Hæreſ. 79.

[d] Harmon. confeſſ. ſect. 2. conf. Wirtéb. cap. 23.

[e] Sleidan. comment. lib. 23.

[f] Rom. 1. 18.

[g] 1. Cor. 6. 10.

[h] Pſal. 15. 3.

[a] Exod. 32.25. [a] nudari, ſummæ eſt miſeriæ. Itaque [b] Calvinus, quum Sanctis, qui ſub Lege vixerunt, detraheret

[b] Refutat. error. Mich. Servet. Servetus, negaretq; illos in Chriſto regenitos fuiſſe, ne Abrahamum quidem, patrem fidelium; contumelioſum hæretici convicium ſeverè & graviter reprehendit. Et [c] invectus acriter in Epicurêum porcum

[c] Inſtruct. adverſ. Libert. cap. 9. Quintinum, qui unumquemque Apoſtolorum aliquo notans ſcommate, Paulum vocaverat vas fractum; Johannem, iuvenem ſtolidulum; Petrum, abnegatorem Dei; Matthæum, fœneratorem: *En*, inquit, *quomodo ille fœtoris gurges putido ore ſuo blaſphemare audebat*. Quare, ſi Bellarminus pro Sanctorum gloria ſincerè propugnaret contra hæreticos, qui vel

[d] Prov. 4. 27. [d] ad ſiniſtram declinant, vel ad dextram, aut divinum cultum Sanctis tribuentes, aut debitum negantes: coniungeremus noſtras copias cum eo adverſus tales hoſtes, ut ſuas cum Achabo coniunxit Joſaphatus rex adverſus Syros; [e] *Sicut ego, ſic tu; ſicut populus*

[e] 1. Reg. 22. 4. *meus, ſic populus tuus; ſicut equi mei, ſic equi tui ſint.*

2 Verùm theſaurus carbones, quod aiunt. Jeſuita, quum ſpem feciſſet, ſe in Idumæos arma converſurum; in Iſraelem Dei, id eſt, in orthodoxos religionis reformatæ profeſſores irruit: atque, ut Tertullus Chriſtianam fidem vocavit [f] hæreſin Nazarenorum, & Paulum, eius principem; ſic nos, addictos ei, hæreticos appellat. Neque tamen negaverim nos meritò in iſtam calamitatem incidiſſe; qui, videntes Paulum ita tractatum, quòd [g] nihil diceret extra ea quæ Prophetæ ac Moſes futura prædixerunt, non didicimus ſapere alieno periculo: ſed Scripturas volumus divini cultus legem eſſe ac normam; nec tam, quid à Pontifice dicatur & eius aſſeclis, quàm

[f] Act. 24. 5.

[g] Act. 26. 22.

quid

quid à Prophetis Apoſtoliſq; , laboramus. Nimirum [a] Italus quidam Epiſcopus dixit Eſpencæo , theologo Pariſienſi , conterraneos ſuos à Scripturarum ſtudio ac lectione deterreri , ne ſic fiant hæretici . Ac percontanti illi, *Quam ergo profitentur artem veſtrates?* reſpondit, *Juris utriuſque, ſed in primis Canonici* . Noſtrapte igitur culpa, qui Catholicorum ornari nomine poſſemus, ſi cum Canoniſtis vellemus eum adorare, de quo in [b] Gloſſa ſcriptum eſt, *Dominus Deus noſter Papa:* iam, dum ius Canonicum Scripturis poſtponimus,& Deo potius auſcultandum eſſe,quàm Pontifici, pertinaciter docemus, evaſimus hæretici. Nec hæretici modò, ſed etiam inſani, ut aſſerit Bellarminus. Quod cui poteſt eſſe dubium? quum & Paulus itidem inſania laborârit, ut affirmabat [c] Feſtus. Ego verò nos inſanos, ſed inſanienti homini, videri ; & hæreticos dici, ſed à Jeſuita ; neque miror, neque doleo. [d] Apoſtoli gaudentes profecti ſunt à conſpectu concilii Sacerdotum, quòd digni habiti eſſent, qui pro nomine Jeſu contumelia afficerentur . Quod ſi æqua lance examinentur ea , quæ Bellarminus nuncupat noſtra mendacia, & convicia in Sanctos: patebit nos non inſanire, ſed verba veritatis ac ſanæ mentis eloqui : & ſecundum viam illam, quam hæreſin vocat, ita (cum [e] Paulo) ſervire patrio Deo , ut qui credamus omnibus quæ ſcripta ſunt in Lege , & in Prophetis. Hoc autem primò in mendaciis, deinde in conviciis, conſequens eſt ut videamus.

[a] Claud. Eſpenc. comment. in epiſt. ad Tit. cap. 1.

[b] Cap. cùm inter. Extravag. Iohan. XXII.

[c] Act. 26. 24.

[d] Act. 5. 41.

[e] Act. 24. 14.

Bellarminus.

Etenim multa ſunt, quibus à nobis huius temporis hæretici diſſident, multa illi in noſtra Eccleſia, templis, monaſte-

monasterijs, gymnasiis, dogmatibus, ritibus, hominibus denique omnium ordinum reprehendunt, multa desiderant, multa carpunt, multa emendanda, & corrigenda esse clamitant: sed nihil est, quod exhorreant, & execrentur magis, quàm invocatio Sanctorum, reliquiarum cultus, imaginum veneratio. His enim tribus manifestam impietatem, & idololatriam contineri volunt. Hoc uno veluti pallio discessionem suam à nobis, hoc est, impiam ab Ecclesia Catholica separationem & defectionem, honestissimè tegere se arbitrantur. hoc solo nomine latrocinia sua, & sacrilegia in Ecclesias, templorum direptiones, imaginum confractiones, sacerdotum cædes, sacrorum omnium profanationes defendunt; quòd se bellum gerere contra idola propietate dicant. Hac ipsa de causa censuram æquissimam Ecclesiæ, & pastorales baculos Episcoporum, quibus interdum ipsorum furor reprimitur, vel retardatur, impiam persequutionem, quasi adversus Deum pro idolis excitatam, nominant: his denique vinculis, & compedibus provincias, & nationes à se deceptas arctissimè irretitas, & constrictas tenent.

Sic enim populis illis persuasum est; nos pro Deo vivente mortuos homines; pro summo & sempiterno spiritu, ossa, & cineres, ligna, & lapides colere: & tam altè mentes eorum pernicioſa hæc persuasio penetravit, ut propterea iniustâ quidem, sed tamen gravi, diuturnâq; apud eos laboremus infamiâ. Et licet multa interdum de nostrorum, hoc est, Catholicorum hominum gravitate, sapientia, iustitia, benignitate, de studio precandi, de moderatione in rebus omnibus audiant; non queant tamen non continuò ab eiusmodi sermonibus aures removere, seq; totos avertere, cùm ad memoriam revocant,

cant, de quibus tam eximiæ laudes prædicantur; eos nihilominus idololatras esse, defunctorum manes, & cadavera, picturasq; & statuas adorare.

Rainoldus.

3 Papistas in Sanctorum invocatione, reliquiarum cultu, imaginum veneratione, manifestam impietatem & idololatriam exercere queruntur nostri. Hoc autem esse falsum, & iniustam ipsis infamiam irrogare, Bellarminus dicit: sed nihil affert hactenus, quo dictum suum adstruat; & pòst, quum affert, nihil affert. Interim, quod nequit probare argumentis, id, ut perturbandis affectibus suffuretur: non solùm nos in odium rapere conatur, verùm etiam amorem & miserationem sui commovere.

4 Atque, ut odium erga nos accendat: criminationes infert, nec paucas numero, & atrocitate graves. Primam, quòd multa in Romana Ecclesiâ, templis, monasteriis, gymnasiis, dogmatibus, ritibus, hominibus denique omnium ordinum reprehendamus; multa desideremus, multa carpamus, multa emendanda & corrigenda esse clamitemus. Ubi, more hominum, nobis vitio vertit, quod debebat sibi. Neque enim medicus accusandus est, qui multos pravos humores, medicamentisq; purgantibus egentes, in ægri corpore deprehendit: sed æger, cuius culpâ & intemperantia humores exundârunt. Nisi fortè Esaias meretur castigationem, qui de Judæis agens, [a] *A planta, pedis usque ad caput non est in ipso corpore integritas: sed vulnus, & tumex, ac plaga saniosa.* Quod si Lutherus, Calvinus, Melanchthon, & reliqui [a] Esai. 1. 6.

reliqui Proteſtantes ſceleratè faciunt, qui multa reprehendunt, deſiderant, carpunt, & emendanda eſſe clamitant in Romana Eccleſia, templis, monaſteriis, gymnaſiis, dogmatibus, ritibus, hominibus denique omnium ordinum: quid fiet Contareno, Sadoleto, Polo, ceteris delectis Cardinalibus & Prælatis, [a] qui, ad Paulum Tertium Papam de emendanda Eccleſia ſcribentes; eam iampridem laborare aiunt graviſſimis morbis, & peſtiferis; nec aut templis parcunt, aut monaſteriis, aut gymnaſiis, aut hominibus ullius ordinis, non Epiſcopis, non Cardinalibus, non Pontificibus ipſis, quin multos reprehendant in illis abuſus, & corrigendos eſſe moneant? Quid fiet Cardinali Quignonio, [b] qui, Clementis Septimi hortatu, Romanum Breviarium ita immutavit: ut Anglicani libri precum, id ſimilius ex maxima parte fecerit, quàm Breviarii Romani? Quid fiet Patribus Tridentinis, [c] qui iubent ea omnia in Miſſa prohiberi, atque è medio tolli, quæ vel avaritia, vel irreverentia, vel ſuperſtitio induxit? Quid Mediolanenſibus, [d] qui repetitis Synodis permulta in ritibus atque inſtitutis eccleſiaſticis emendant? Quid Pio Quarto, & Quinto; [e] quorum alter non modò Breviarium, ſed & Miſſale, caſtigandum cenſuit; alter caſtigavit: quin etiam Officium Beatæ Virginis, quod appellant, refertum fuiſſe [f] ait ſuperſtitionibus, priuſquàm repurgandum ipſe curaſſet? Quid Gregorio Decimo tertio, [g] qui Jeſuitas è diſiunctiſſimis provinciis evocavit ad communem ſtudiorum reformationem, & ſecuriorum opinionum in Theologia delectum ac cenſuram? Quid denique Sixto Quinto, qui, licèt adulteria in [h] iure Pontificio inter minora crimina

[a] Conſil. delect. Card. & alior. Prælat. Concilior. tom. ult.

[b] Præfat. ad Paulum III. in Breviar. Rom. ex ſacra potiſſimùm ſcriptura, & probatis Sanctorum hiſtoriis confectum.

[c] Conc. Trid. ſeſſ. 22. decret. de obſerv. & evit. in celebr. Miſſ.

[d] Conc. Mediolan. quinque habit. à Card. Borrhom.

[e] Præfat. Pii V. in Breviar. & Miſſal. reſtitut.

[f] Pii V. conſtitut. ſuper recitat. offic. B. Mariæ Virg.

[g] Ant. Poſſevin. biblioth. ſelect. l. 1. c. 10.

[h] Cap. At ſi clerici. extra. de iudiciis.

nume-

numerentur; de quibus poteſt Epiſcopus cum clericis poſt peractam pœnitentiam diſpenſare: tamen [a] legem tulit contra adulteros, capitis pœnam illis ſtatuens. Adeò in omnibus illis, & rerum, & perſonarum generibus, in quibus Proteſtantes multa deſiderare notat Bellarminus: Pontificii quoque, immò & Pontifices, paulò ſaniores, multa deſiderant. Ut magno caritatis frigore laborare eum oporteat, cui prima criminatio nos exoſos reddat.

[a] Ant. Cicarell. de vit. Sixti V. in append. ad Platin. de vit. Pont.

5 Secunda eſt iniquior: quòd diſceſſionem ab ipſis fecerimus. Quis enim, niſi lupus, intendat litem ovibus, quòd ſe à lupis ſegregent? Fucum quidem facere poteſt imperitis Eccleſiæ Catholicæ nomen, quo ſuos induit: ut impiam propterea ſeparationem à nobis factam putent. Sed, qui poſſunt [b] lupos à fructibus agnoſcere, ſciunt veſtimentum hoc eſſe ovium, quo ſe lupi tegunt, ut [c] alibi demonſtravi: nec impiè feciſſe [d] Eccleſias reformatas, ſed ſanctè, & convenienter cùm [e] mandatis Dei, tùm [f] exemplo Apoſtoli, quòd ſeſe à Romana Eccleſia ſegregârint.

[b] Mat. 7. 16.
[c] Theſ. 3. de ſacra Script. & Eccleſ.
[d] Ibid. Theſ. 6.
[e] Hoſ. 4. 15. 1. Cor. 10. 14. 1. Tim. 6. 3.
[f] Act. 19. 8.

6 Tertia criminatio inſectatur bellum à noſtris contra ipſos geſtum: in quo affirmat latrocinia & ſacrilegia commiſſa eſſe, templa direpta, imagines confractas, ſacerdotes cæſos, ſacra omnia profanata. Sanè dulce eſt nomen pacis: & bellum multis ſubiacet querelis, etiam iuſtiſſimum. Quo facilior eſt malorum exaggeratio, quæ à militari patrantur licentia: in iis præſertim exercitibus, qui, ut [g] miſcellanea turba multa aſcendit cum Iſraelitis ex Ægypto, [h] illoſq; ad murmurandum impulit; ita fœcem habent mercenariorũ vulturum intermixtam, vero teſtimonio notatam à [i] poëta; *Nulla fides pietaſq;*

[g] Exod. 12. 38.
[h] Num. 11. 4.
[i] Lucan. lib. 10.

taſq; viris qui caſtra ſequuntur Venaleſq; manus. Sed neque Judæorum fides antiquitus, neque Chriſtianorum poſtea, ſalutaris fuiſſe iudicabitur: ſi, quæcunque tales in æſtu belli faciunt, ſic exprobrabuntur, ut per eorum latera quaſi confodiatur religio quam profitentur. Quàm [a] flagitioſè & barbarè ſe geſſerunt Latini, capta Conſtantinopoli, in templis diripiendis, urbe deprædanda, conſtuprandis fœminis, & ſacris omnibus profanandis? Num dicemus iſta doctrinam ſapere Pontificiam: & Catholicos ita fuiſſe inſtitutos ſub Innocentio Tertio? Atqui [b] Antoninus, poſtquàm de illorum ſacrilegio dixiſſet, *Non ſufficiebat eis imperiales exhaurire divitias, ac maiorum diripere ſpolia pariter & minorum, niſi ad eccleſiarum theſauros extenderent manus, tabulas argenteas de altaribus deponentes; & violatis ſacraryjs, cruces, iconas, & reliqua eccleſiarum ornamenta rapiebant:* narrationem ſuam concludit hoc elogio, *Reddidit ergo Deus Græcis iuſtè, quæ aliquando iniuſtè Latinis intulerant.* Pompeii Columnæ Cardinalis copiæ, occupatâ Româ ſub Clemente Septimo, non modò [c] Vaticanum palatium ſpoliârunt omni ſupellectile ſacra & profana: ſed etiam [d] res & ornamenta templi Divi Petri diripuerunt; nihilo magis religionis maieſtatem & ſacrilegii ſcelus veritæ, quàm Turcæ veriti eſſent in templis Hungariæ. [e] Paulus Jovius, factum excuſans quoad poteſt, ait, nullo ducum imperio prohiberi potuiſſe milites, quin ſacra illa omnia nefariis manibus attrectarent. Sed ne ita quidem excuſare auſus eſt Clementem Septimum: [f] qui, Cardinalem & reliquos Columnenſes armis perſequutus, quatuordecim oppida eorum in Latio, inſigni acerbitate, diripuit,

[a] Nicet. Choniat. lib. de Iſaac. & fil. eius Alexio.

[b] Hiſtor. part. 3. tit. 19. cap. 2. §. 3.

[c] Onuphr. in vit. Clement. VII.

[d] Fran. Guicciardin. Hiſt. lib. 17.

[e] De vita Pōp. Columnæ.

[f] Onuphr. Guicciardin. Iov. ibid.

diripuit, incenditq; . Multo minus excusat Cæsarianum exercitum: [a] qui, rursum occupata Roma, idem templum, direptis ornamentis & sacris vasis omnibus, multo cruore ad singula altaria fuso, immaniter fœdavit: atque [b] omnia ferè templa spoliavit, multis necatis aut excruciatis sacerdotibus. Tamen Bellarminus iniuriam, opinor, putaret suis fieri, si, ad inurendam ipsorum fidei notam, diceremus Cęsares, Cardinales, Papas, aliosq; Catholicos, grassatos esse latrociniis & sacrilegiis in ecclesias, diripuisse templa, concremasse imagines, necasse sacerdotes, sacra omnia profanasse. Itaque, nisi nominis Jesu societatem magis adamaret, quàm doctrinæ Jesu, [c] *Quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis; nam hæc est Lex & Prophetæ*: non enitereturconflare nobis odium, istorum, quæ fortasse exercitus nostri faciunt, commemoratione. Namque nec imagines civili bello Gallico fuissent confractæ; quanquam hoc minore eget excusatione, si Legem attendamus, [d] *Confringite statuas earum*; sed [e] ne eæ quidem sustinuissent impetum bellici furoris, si virorum principum, Condæi, & aliorum imperium valuisset. Atque reputantibus, quod Papa [f] Pius Secundus scriptum reliquit, *nihil excellenter malum in Ecclesia Catholica patrari, cuius prima origo à sacerdotibus non dependeat, ni fortè occulto quodam Dei consilio fiat*; patebit dici posse (exemplo Antonini) de sacerdotum cæde, Reddidisse ipsis Deum iustum iudicem, quæ aliquando iniustè aliis intulerant. Pręterea Jesuitam illud quoque Jesu meminisse decuit; [g] *Hypocrita, ejce primùm trabem ex oculo tuo: & tum dispicies ut ejcias festucam ex oculo fratris tui*. Etenim, siquid nostri tumul-

[a] Iov. hist. lib. 24.

[b] Onuphr. in vit. Clement. VII.

[c] Matt. 7. 12.

[d] Deut. 12 3.

[e] Popelin. hist. Gall. li. 8. Hist. Ecclesiast. Ecclesiar. reformatar. in Gal. lib. 6.

[f] In hist. Austr. apud Pandul. Collenut. hist. Neapolit. li. 4.

[g] Matt. 7. 5.

tumultuosè agunt in imaginibus confringendis; altaribúsve profanandis; aut reliquiis, crucibus, pane Eucharistiæ, quæ divino honore coluntur, conculcandis: multo leviùs peccant, quia peccant tantùm in circumstantia rei, ac rem eandem faciunt, quam fieri debere laudatissimis [a] Asæ, [b] Ezekiæ, [c] Josiæ exemplis sunt edocti. At verò Catholici, ut appellari volunt, quum [d] reliquias martyrum in fœda loca præcipitarent; sacramentum sanguinis corporisq; Christi humi effunderent, & abiicerent; sacra vasa, altaria, templa profanarent; imaginibus pro subselliis & scabellis uterentur: id faciebant quod edocti erant, vel ex ritibus potiùs receptis (quid enim illi edocebantur?) credebant esse impium. Huc accedit, quòd nostros etiam moderatiùs & humaniùs agere consueviſſe suis, Roma est experta: quando à Caroli Quinti Cæsaris exercitu, constante ex Hispanis & Italis, Catholicis, atque è Germanis Protestantibus, capta est. Nam (ut [e] Paulus Iovius refert, qui interfuit; nec in nostram gratiam mentiri quicquam solet,) *Germanus à primo impetu, quo armatos deleverat, à gladiis temperabat; usque adeò remissa animi ferociâ, ut exiguo facilè pretio libertatem captivis daret, ac præsentibus tantùm spoliis & compotationibus lætaretur; verteretq; demùm furorem in templa & antiqui operis statuas; deformando cuncta atque evastando, quòd plerique eorum, irrisis Pontificum legibus, Lutherana dogmata sequerentur. Hispani autem astutâ & implacabili crudelitate acerbiores, ut abdita arcanaq; familiarium eruerent, tormentis atque suppliciis in nobilissima corpora grassabantur: tanta auri cupiditate, ut Julii Pontificis cadaver, multa exesum carie, eruere, & anulo spoliare non dubitârint.*

[a] 2.Chr.14.3. & 15.8.
[b] 2.Reg.18.4.
[c] 2.Reg.23.8.
[d] Nicet. Choniat.lib.de Isaac.& fil.eius Alex.
[e] De vita Pomp.Column.

Sed

Sed eius etiam gentis facinora, Itali, Brutijq; præsertim, decerptis vitijs, nec ullis omnino admissis virtutibus, facilè æquabant. Quapropter etsi nostros vacare omni culpa in bellis, quæ suscipiunt, gerendis, absit ut affirmem, aut humani quicquam a nobis alienum esse contendam: tamen Bellarmino, latrocinia, sacrilegia, direptiones, cædes, ac profanationes nobis exprobranti, iure videor illud [a] Satyrici regesturus, *O maior tandem parcas (insane) minori.*

[a] Horat. satyrar. lib. 2. sat. 3.

7 Quarta criminatio nobis vitio vertit, quòd Ecclesiæ censuram æquissimam, ut ait, & pastorales baculos Episcoporum, quibus interdum noster furor reprimitur, vel retardatur, impiam persequutionem nominemus. Censuram autem Ecclesiæ, atque pastorales Episcoporum baculos vocat pœnas illas, quas Innocentius Tertius, ex canone [b] pòst sancito, [c] curavit infligendas primùm Albigensibus: immittendo copias ferro ac flamma sævientes in multa eorum oppida; quorum in uno septendecim millia hominum, sine ullo non modò sexus sed etiam ætatis discrimine, trucidata sunt; in altero, præter stragem trucidatorũ, centum & octoginta simul sunt exusti, quòd hæresin abiurare (Sancti Pauli hæresin, quam dixi,) noluerunt. Ac isti quidem baculi meritò dicuntur pastorales, fateor, quia sunt pastorum: tametsi talium pastorum, quales erant illi, quos Deus graviter increpans, [d] *Vi*, inquit, *dominamini in oves, & per sævitiam.* Verùm, si eiusmodi pastoralium baculorum censura est æquissima, nosq; odio digni qui nominamus eam impiam persequutionem: certè, & [e] Christus notavit Paulum falsò, & [f] Paulus falsò est confessus se iniustum ac impium persequutorem fuisse. Nam si

[b] Conc. Later. sub Innoc. III. cap. 3. Extra. de hæreticis. cap. 13.
[c] Antonin. hist. part. 3. Tit. 19. cap. 1. §. 3. & 4.
[d] Ezek. 34. 4.
[e] Act. 9. 5.
[f] 1. Tim. 1. 13.

[a] Act. 26. 10.

ille impiè perſequutus eſt, quia [a] tulit ſuffragium quum interimerentur ſancti, maturæ ætatis homines, non ita multi: quod verbum ſatis atrox reperiri poteſt ad denotandam horum rabiem, qui, prædicanda indulgentia (quam vocant) & plenaria remiſſione peccatorum, Chriſtianos Principes populoſq; excitant ad multa millia fidelium, non ſolùm adultorum, ſed etiam infantium, ferro & flammis perdenda. Atque hîc inſignis ſe prodit iniquitas Papiſtarum: qui pœnas, iuſtiſſimis huius regni legibus, inflictas reis læſæ maieſtatis Regiæ, Anglicanis transfugis, quos Pontifex huc mittit, verbo, ad Catholicam fidem prædicandam; reipſa, ad animos ſubditorum perfidè, ſub ſpecie religionis, rebellioni præparandos; non modò nominant impiam perſequutionem, ſed etiam [b] picturis, ut talem, repræſentant Romæ. Et ita repræſentant, ut aliquos, urſina pelle indutos, canibus exponi ob Catholicam fidem in Anglia, diſertè aſſerant. Mendacio Roma digno. Cuius vanitatem, cûm indigenæ omnes, quibus noſtra iſtius Catholicæ perfidiæ reos puniendi ratio in oculos incurrit, notam habent: tûm ipſi manifeſtam fecerunt toti orbi, quum, [c] hiſtoriis editis ſuorum pſeudomartyrum, qui uſque ad triceſimum regni Sereniſſimæ noſtræ Principis annum mortem paſſi ſunt, centum & decem aiunt fuiſſe: nec eorum ullum niſi ordinaria pœna affectum memorant. Nobis autem, quorum plures uno die, in uno Albigenſium oppido, mactaverunt, quàm ſe triginta annis, per univerſum Angliæ regnum, amiſiſſe, vel ipſi ſuam cladem exaggerantes queruntur, obiiciunt inter crimina, quòd Antichriſtianas perſequutiones notamus vera voce, & eos, quorum telis ignibuſq;

[b] *Libro inſcripto*, Eccleſiæ Anglicanæ trophæa: ſive, Sanctorum, qui pro catholicæ fidei veritate aſſerenda, antiquo recentioriq; perſequutionum tempore mortem in Anglia ſubierunt, Paſſiones: Romæ, in Collegio Anglico depictæ; typis inciſæ, & excuſæ anno Domini 1584. cum privileg. Gregor. XIII. Pont. Max.

[c] Concert. Eccleſ. cathol. in Angl. adverſ. Calv. & Purit. ann. Dom. 1588.

busq; absumimur, verbo violamus.

8 Postremò, provincias atque nationes deceptas esse à nobis, addit Bellarminus. In quo memoriam renovat illius adhortationis, qua Rabsakes ad populum Judæorum usus est; [a] *Ne vos decipiat Ezekias:* vel potius convicii, quo [b] Sacerdotes & Pharisæi Christum blasphemantes nuncupaverunt seductorem. Nos verò, qui, Apostoli vestigiis insistentes, studemus ut probati ministri Dei incedere, [c] per gloriam & ignominiam, per convicia & laudes; ut seductores, & tamen veraces; acquiescimus [d] testimonio conscientiæ nostrę: cuius arcana quum revelabuntur, [e] reportabimus gloriam, non ab hominibus, sed à Deo. Quanquam & de piis hominibus item interim speramus & confidimus, nos tanto cariores illis futuros, quanto magis provincias atque nationes hoc modo deceperimus, id est, [f] ceperimus animas, instar [g] piscatorum: ut David, [h] filiæ Saulis, damnanti eum vanitatis, quòd gestiens coram Domino se retexisset ante oculos ancillarum servorum suorum, respondit se tanto glorioſiorē apud istos servos & ancillas futurum, quanto adhuc amplius sese abiiceret, & humilior esset ante oculos suos.

[a] 2. Reg. 18. 29.
[b] Mat. 27. 63.
[c] 2. Cor. 6. 8.
[d] 2. Cor. 1. 12.
[e] 1. Pet. 5. 4.
[f] Prov. 11. 30.
[g] Mat. 4. 19.
[h] 2. Sam. 6. 20.

9 Quòd autem Bellarminus porrò, ad movendam cōmiserationem & amorem sui, suorum Catholicorū eximias laudes prædicat, gravitatem, sapientiā, iustitiam, benignitatē, studium precandi, ac in rebus omnibus moderationē: etsi detur eos his dotibus prę stare, utinamq; verè detur, & [i] amore idcirco prosequendos esse cum adolescente, qui de mandatis dixit, *Hæc omnia observavi à iuvētute mea*; tamē audiāt oportet quod Christus dixit ei, *Vnum tibi deest*. Id unum, quod Rom. veteribus defuisse, in religione, qua Deū colere

[i] Mar. 10. 21.

debebant, docet [a] Auguſtinus: quum Bruti, Torquati, Camilli, Mutii Scævolæ, Fabricii, M. Reguli, Deciorum, & ſimilium, virtutes alioqui ſingulares prædicat. Nam, ſi Pontificiis id unum non deeſſe innuere voluit Bellarminus, in eo quod attexuit ſtudium precandi; nihil profecit: quia [b] Phariſæi & [c] Meſſaliani hoc ſtudium habuerunt, quibus id tamen unum, minùs quidem multo quàm veteribus Romanis, veruntamen ex parte defuit. Quare, ſiqui nimium proclives ad erraticos animorum motus commiſeratione Jeſuitæ ſuos ſodales extollentis ſic afficiantur, ut putent Papiſtarum, quia mores probi ſunt, propterea fidem quoque orthodoxam eſſe: meminerint [d] Saracenos humaniùs clementiuſq; tractaſſe Chriſtianos captis Jeroſolymis, quàm Latini tractârunt Græcos capta Conſtantinopoli; & [e] multa laudabilia, iuſta, magnifica, prudenter, generoſè, ſtrenueq; facta, in Turcis prædicari. Neque imitentur Athenienſes illos iudices leviculos; [f] qui Phrynen meretricem, impietatis accuſatam atque compertam, damnare quum cogitarent, abſolverunt tamen, poſtquàm conſpexerunt ſpecioſiſſimum eius pectus, quod, diducta tunicâ, Hyperides patronus ad miſericordiam commovendam nudaverat. Sed, ut apud graves Areopagitas prohibebatur orator movere affectus, aut quicquam extra cauſam loqui; quam legem [g] Ariſtoteles rectè latam cenſet; nec enim oportere, ad iram, aut invidiam, aut miſericordiam impellendo, iudicis, qui normæ inſtar eſſe debet, animum diſtorquere: ita notent Bellarminum conari fucum ipſis facere, quum ſuæ quaſi Phrynes pectus venuſtiſſimum, ſpecioſos mores Eccleſiæ Romanæ, nudat, oſtentatq;, ne idololatriæ,

[a] De civ. Dei. lib. 5. cap. 18.

[b] Mat. 6. 5. & 23. 14.

[c] Epiphan. hær. 80. Auguſt. de hæreſib. cap. 57.

[d] Nicet. Choniat. lib. de Iſaac. & fil. eius Alex.

[e] Hieronym. Com. Alexandr. hiſt. rer. à Turc. in Melit. inſ. geſtar.

[f] Plutarch. vit. decem rhet. in Hyperide.

[g] Lib. 1. rhetoric. ad Theodect.

latriæ, cuius rea peracta est, condemnetur. Etenim, quòd crimen hoc à nobis ei falsò & iniustè intentatum asserit, ut nostra, multa, & gravia, peccata & flagitia tegamus isto pallio: in eo fraudulentiùs & astutiùs agit, quàm Hyperides legitur egisse contra Phrynes accusatorem; sed calumnioſam assertionem suam nihilo meliùs probat, quàm ille Phrynes innocentiam, quemadmodum res indicabit.

Bellarminus.

Atque ut fides mihi faciliùs habeatur, neque me quisquam augendi gratiâ fingere aliquid arbitretur, referam pauca de libris eorum, ut ipsos eosdem suæ impietatis præcones, ac testes habeamus. Primùm Lutherus sectariorum omnium anteſignanus & princeps; in eo sermone, quem de cruce edidit, tanquam ex tribunali pronunciat: Quoniam reliquiæ Sanctorum nihil sunt aliud, quàm fidelium seductiones; ne deinceps populi Deos alienos colant, placere sibi, ut omnes eiusmodi reliquię altissimè sub terram abscondantur: *ut ea ratione videlicet omnis Apostolorum & Martyrum, aliorumq; Sanctorum in terris memoria aboleatur. Idem in Postilla ad Evangelium Dominicæ annunciationis:* Papistæ, *inquit*, virginem Mariam Deum constituunt, omnipotentiam ei in cœlo, & in terra attribuunt. *Et rursum:* In Papatu omnes se ad Mariam contulerunt, & plus favoris, & gratiæ ab ea exspectârunt, quàm à Christo ipso.

Hinc Philippus Melanchthon Lutheri proles, & sectator egregius, cùm in locis communibus primum decalogi præceptum exponeret, & gradus quosdam peccatorum

catorum diſtingueret, nóſq;, hoc eſt, ut ipſe loquitur, Papiſtas, cum infidelibus iungeret; hac una ratione contentus fuit, quòd idem ſit, fingere multos Deos, & ſanctos mortuos invocare; nec differant ab Ethnicis moribus invocatio Sanctorum, & ſtatuarum cultus.

Jam verò Magdeburgenſes Centuriatores, poſteaquàm in poſteriore primæ Centuriæ libro inter fundamenta doctrinæ Catholicæ poſuerunt, B. Mariæ, aliorumq; Sanctorum invocationem, & cultum ab Apoſtolis non ſolùm verbo, aut exemplo nunquam approbatum, ſed etiam ut manifeſtam idololatriam paſſim reprobatum fuiſſe, atque interdictum: Inde poſteà in ſingulis ferè Centuriis nihil ſæpius monent, clamant, repetunt, inculcant, quàm nos Eccleſiam non habere, quòd ab uno vero Deo ad falſorum Deorum multitudinem, & ſimulacra muta defecerimus. In præfatione verò ſextæ Centuriæ, ubi graviter admodum & planè tragicè deplorant ſtatum, ſive caſum potius, & ruinam Eccleſiæ; quam ſecundo & tertio ſeculo vitium facere incipientem, quarto & quinto inclinatam & nutantem, ſexto demùm penitùs corruiſſe, miſereq; collapſam eſſe volunt; de cauſſa tam gravis exterminij ita concionantur!

Inprimis, *inquiunt*, iſtæ horribiles & perniciosæ tenebræ in ipſo docentium cætu, quaſi nubes quædam atræ, totum cœlum occupantes exortæ ſunt, quòd cæremonias cultuſq; humanos partim ipſimet Doctores Eccleſiæ, partim verò alii ſuperſtitioſi homines paſſim in templis auxerunt. Nam ædes ſacræ omnibus in locis exſtrui cœperunt ingentibus ſumptibus, prorſus Gentilium more: non quidem principaliter eo fine, ut ibi verbum Dei traderetur,

ſed

sed ut reliquiis Sanctorum aliquis honor exhiberetur, utq; ibi defunctos stolidi homines venerarentur. Quàm verò facundus est Gregorius ille, Magnus appellatus, quàm ardens, quando rationem consecrandi ista fana veluti ex tripode dictat! *Et infrà:* Cœperunt ea occasione etiam defunctæ creaturæ, atque exanguia, & semicorrosa ossa coli, invocari, honore divino affici, & alligari ad illa ipsa loca preces. Ad ista omnia non modò connivebant Ecclesiæ Doctores, sed etiam ea adiuvabant. Eiusmodi igitur calamitas & pestis fundi Christi, in ipsa Ecclesia, & inter eos, qui custodes & vigiles Ecclesiæ præcipuè volebant perhiberi, nascebatur.

Porrò Joannes Calvinus, qui post multas, gravissimasq; cum suis disceptationes, maximam partem Lutheranorum in sua retia pertraxit, & tantum non regnum aliquod inter Lutheri posteros obtinuit; in eo libro, quem de reformandæ Ecclesiæ necessitate ad Imperatorem Carolum inscripsit, primam & maximam dissensionum caussam inter suos & nostros esse dicit; quòd sui, hoc est, omnes huius temporis sectarij, unum Deum colant; nostri, hoc est, Catholici, sic inter Sanctos distribuerint Dei officia, ut summo Deo, tanquam collegas, eos addiderint, in quorum multitudine delitescat; quodq; non solùm Sanctos loco Dei adorent, sed etiam ipsorum ossa, vestes, calceos, & simulacra. In libro verò institutionis quarto, capite 2. caussas recensens, cur à nobis discessionem cum suis fecerit, illam inprimis ponit, quòd nullum nobiscum conventum habere possint, in quo aperta idololatria non polluantur. Quam autem

apud nos vigere idololatriam dicat, ex cap. 20. lib. 3. poſſit intelligi, ubi de Sanctorum invocatione loquens: Singuli, *inquit*, peculiares ſibi Divos aſciverunt, in quorum non ſecus atque tutelarium Deorum fidem ſe contulerunt. Neque modò (quod olim Iſraëli exprobrabat Propheta) ſecundum numerum urbium Dii ſunt erecti, ſed ſecundum capitum multitudinem.

Incidi aliquando in hominem de ſchola Calvini, qui mihi alioqui perhumanus & candidus videretur, eoq; uterer familiariter, ut eum, ſi quo modo poſſem, ab illa inſaniâ revocarem. cœpi ab eo quærere, quid in noſtris dogmatibus Calviniſtæ potiſſimùm reprehenderent, quídve eis maximè diſpliceret, & quæ tandem præcipuè eſſet cauſſa, cur ab Eccleſiæ communione, ab Epiſcoporum obedientia, à reliquo cœtu fidelium, à maiorum ſuorum veſtigiis, cum tam manifeſto ſalutis æternæ periculo diſceſſerint? Reſpondebat ille; eam eſſe cauſſam præcipuam, quòd nos Sanctos in precibus invocaremus; quodq; eo modo Divinitatem mortuis affingeremus. At hæ impoſturæ, mendaciaq; impudentiſſima ſunt. Quis enim Catholicorum unquam uni vero Deo, vel imagines ſacras, vel beata Sanctorum pignora, vel Martyrum, aut Apoſtolorum, aut etiam Angelorum ſpiritus, aut ipſam denique cœli Reginam, Deiq; Parentem Mariam ullo modo æquavit?

Quis in Catholica Eccleſia ſacrificium, quod uni debetur Deo, vel Sanctis, vel reliquiis, vel imaginibus obtulit? nónne hoc uno externo ſymbolo, quando nulla exſtarent alia, ſatis apertè teſtamur, nos animo quoque & cogitatione unum Deum complecti, eiq; ſoli proprio quodam, & peculiari cultu ſervire? nónne apertè

pertè distinguimus inter eum honorem, qui soli Deo debetur, & eum cultum ac venerationem, quæ Dei amicis, aliisq; sacris rebus, propter ipsum Deum, piè religioseq; tribuitur? Sed licet illa (ut diximus) mendacia, calumniæq; sint; interim tamen ob ea ipsa mendacia innumerabiles populi, regna, nationes, multa millia animarum Christi sanguine redemptarum, à Christi corpore separata, & tanquam rami ab arbore vi tempestatis avulsi & disiecti iacent, & instar ovium, quæ ab ovili suo egressæ, sine ullo pastorum, canúmve præsidio in montibus vagantur, infernalium luporum quotidie præda fiunt.

Rainoldus.

10 Romanam Ecclesiam idololatriæ falsò & iniustè à nobis accusari, significat Bellarminus se comprobaturum è nostrorum libris, quum ipsos suæ impietatis præcones ac testes fore denuntiat. Verùm testimonia, quæ citat è Luthero, Melanchthone, Magdeburgensibus, Calvino, & Calvini discipulo, probant quidem illam idololatriæ à nobis accusari: sed falsò & iniustè accusari non probant. Quin hoc ne ratiunculæ quidem, quas subiungit ad ea quæ Lutherus ceteriq; dicunt mendacii convincenda, probant. Quocirca Protestantes suæ impietatis præcones ac testes non facit, sed Papisticæ. Idq; tanto magis, quanto luculentiùs suam ipse prodit, in variis nostrorum dictis depravandis, calumniandi libidinem.

11 Nam, ut omittam quòd Lutherum tanquam ex tribunali pronuntiare ait, quia, de reliquiis iudicium suum explicans, dicit, *placere sibi*; quasi is non possit,

poſſet, abſque faſtûs notâ, eodem verbo uti, quo Tridenti quivis Epiſcopus Pontificius ſententiam ſuam dixit; niſi hoc interſit, quòd [a] Præſules Tridentini tantummodò reſponderunt, *Placet*; Lutherus autem rationes etiam adiecit, cur hoc placeret ſibi: ſed poſtquàm ei viſum eſſe narraviſſet, omnes reliquias Sanctorum altiſſimè ſub terram abſcondendas, *Videlicet*, inquit Bellarminus, *ut ea ratione omnis Apoſtolorum, & Martyrum, aliorumq; Sanctorum in terris memoria aboleatur*. Sycophanta! Quid enim? An quia [b] Deus Moſen ita ſepelivit, ut ne ſepulcrum quidem eius nôrit quiſquam uſque in hunc diem: idcirco aboletur omnis memoria Moſis in terris? Et erravit ille, qui ſcripſit, [c] *In memoria æternâ erit iuſtus*: quia Moſis, [d] aliorumq; iuſtorum reliquiæ ubi ſint, neſcimus? Aut [e] Michael archangelus, qui adverſus diabolum certans diſceptavit de corpore Moſis, ne locus ſepulturæ eius cognoſceretur, itaq; coleretur, quod volebat Satanas, ut [f] theologis viſum eſt, [g] nec iis ſolis quos Romana improbat Eccleſia: ſaltem, an [h] Patres, atque [i] Pontificii, qui ſepulcrum eius divino cõſilio occultatum cenſent, ne adoraretur, voluiſſe Deum ut omnis memoria eius in terris aboleretur, ſtatuunt? Lutherus verò præter cauſam idololatriæ, cuius evitandæ gratia reliquias omnium Sanctorum ſimiliter ſepultas optat atque Moſis, duas affert alias cauſas cur id optet: quas à Bellarmino ſub iſta calumnia ſuppreſſas minimè mirum eſt. Etenim pro veris Sanctorum re-

[a] Innocent. Gentillet. exam Conc. Trid. lib. 1. §. 6.

[b] Deut. 34. 6.

[c] Pſal. 112. 6.

[d] Heb. 11. 32.

[e] Iud. ver. 9.

[f] Calvin. Marlorat. Bez. & Iun. in epiſt. Iudæ. Zanch. de operib. Dei, part. 1. lib. 3. cap. 14.

[g] Liran. Dionyſ. Carthuſ. Ar. Montan. Gagnæ. & Thom. Aquin. aut quiſquis fuit autor cõmentariorum eius nomine editorum, in epiſt. Iudæ. [h] Chryſoſt. hom. 5. in Matthæum. Autor de mirab. ſacr. ſcript. lib. 1. cap. 35. apud Auguſtin. in append. Tom. 3. Procop. in Deuteronom. cap. ult. [i] Oſor. orat. in laud. D. Æcath. Hieron. Oleaſtr. in Exod. cap. 32. edit. reformata iuxta indicem expurgatorium mandato Card. Gaſp. Quirog.

liquiis

liquiis ſupponebantur paſſim falſæ: ut Apoſtolorum Martyrumq; loco, ſicariorum forſan & meretricum oſſa, nonnunquam etiam pecudum, immò & viliora quàm pecudum, colerentur. Genus impoſturæ, quod Auguſtinus & Gregorius ſuis temporibus pullulaſſe indicant: [a] ille, circumforaneos quoſdam hypocritas membra martyrum, ſi tamen martyrum, venditare conquerens: [b] hic, affirmans Græcos monachos deprehenſos, qui corpora mortuorum in Romano quodam campo iacentia effodientes, & recondentes oſſa, confeſſi ſint ſe illa tanquam Sanctorum reliquias in Græciam portaturos. Sed ita mirabiliter crevit ſub Papatu, ut [c] Divus Petrus (exempli gratia) reconditus integer uno loco, [d] dimidiatus haberetur alio, & neſcio quota parte [e] tertio; in [f] quarto, caput eius aſſervaretur; in [g] quinto, pars capitis; in [h] ſexto, mandibula cum barba; in ſeptimo, vel in [i] ſeptem potius locis, dentes, alibi plures, alibi ſinguli; [k] cerebrum (id erat pumex) in octavo; adde [l] oſſa multa, [m] partem lacerti, [n] partem coſtæ, digitum manus, [o] digitum pedis, [p] articulum digiti gigantêi, præter [q] reliquias abſque nomine. Ac, ne Petro ſoli hoc accidiſſe putemus, [r] multi, Geryonis inſtar, facti ſunt tricorpores. Immò [s] Divæ Barbaræ caput tot locis oſtendebatur, ut eam

[a] Auguſt. de oper. monachor. cap. 28.
[b] Gregor. lib. 3. epiſt. 30.
[c] Romæ, in Vaticano Baron. Annal. eccleſ. tom. 1. & 3. ann. Dom. 69. & 324.
[d] Romæ, via Oſtienſ. Onuphr. de 7. urb. eccleſ. cap. de baſil. S. Pauli.
[e] Conſtantinopoli. Bellar. li. 2. de eccleſ. triumph. cap. 3. & 4.
[f] Romæ, in baſilica Lateran. Onuphr. de 7. urb. eccleſ.
[g] Romæ, in eccleſia S. Praxedis. Onuphr. ibid.
[h] Pictavii. Calvin. admonit. de reliq.
[i] Romæ, in eccleſ. SS. Vincent. & Anaſt. S. Crucis. S. Salvatoris Lateran. S. Laurent. extra muros S. Sebaſt. S. Praxed. Onuphr. de 7. urb. eccleſ. [k] Genevæ. Calvin. admon. de reliq. [l] Treviris. Calvin. ibid Romæ, in templo B. Mariæ populi. *Lib. inſcript.* Mirabilia Romæ, excuſ. permiſſu Superior. cum privileg. Sixti V. In templo S Laurent. extra muros. Onuphr. de 7. urb. eccleſ. [m] Romæ, in baſil. S. Crucis. Onuphr. ibid. [n] Romæ, in eccleſ. S. Sebaſt. Onuphr. ibid. [o] Romæ, in eccleſ. S. Praxed. Onuphr. ibid. [p] In Anglia, ad D. Parathalaſſiæ. Eraſm. peregrinat. relig ergô. [q] Romæ, in eccleſ. S. Sebaſt. S. Crucis. S. Mariæ maioris. Onuphr. de 7. urb. eccleſ. In templo S. Chryſog. Mirabil. Rom. [r] Vadian. in Pompon. Mel. lib. 1. cap. de Ionia. [s] Luther. poſtill. in Evang. feſt. exalt. crucis.

ſeptem

[a] Apoc.17.3.

ſeptem corpora habere oportuerit; ſaltem, inſtar [a] beſtiæ coccinæ, ſeptem capita: eaq; haud ſcio an præter unum & alterum, aut alterius partes, [b] quæ oſtenduntur Romæ. Porrò, hæc rerum qualiumcunque fruſta homines minimè mali, ſuperſtitioſa eorum admiratione, & zelo, non ſecundum ſcientiam, faſcinati, ornabant magno ſumptu: neglectis interim illis, in quibus [c] ſe ipſum victu, veſtitu, hoſpitio, ſolatio, foveri iubet Chriſtus. Ita, quod pauperes capere oportuit, hæc intercipiebant. *Homines virum ſanctum vivum*, inquit Lutherus, *fame tabeſcentem, & cum extrema inopiâ miſerè conflictantem, ſubſidio ſuo deſtituunt; feſtinantes ad inauranda neſcio quorum, vel hominum, vel animalium oſſa*. Quanquam levius eſſet quod ille reprehendit, ſi inaurarent tantùm. Sed Petri & Pauli capita, ſi tamen Petri & Pauli, [d] argento, quod excedere fertur quatuor millia pondo, ſunt incluſa, [e] adiectis gemmis, & margaritis, inæſtimabiliſq; pretii unionibus: & [f] aureum Thomæ Cantuarienſis mauſolêum tectum fuit adamantibus, unionibus, & carbunculis; [g] viliſſima pars erat aurum; gemmis raris ac prægrandibus collucebant, nitebant, ac fulgurabant omnia. Religioſè igitur, ad impios abuſus in Dei cultu vitandos, & opera pietatis in proximum promovenda, Lutherus omnes tales reliquias ſub terram abſcondendas cenſuit: quod calumnioſè, tanquam ita omnis Sanctorum memoria è terris peritura eſſet, arrodit Bellarminus.

[b] In templis S. Barb & S. Laurent. in Dam. Mirab. Romæ.

[c] Mat.25. 42. Luc.16.9. Ioh.12.8. Gal.2.10.

[d] Comment. Pii II. lib.8.

[e] Onuphr. de ſeptem urbis eccleſiis.

[f] Comment. Pii II. lib.1.

[g] Eraſm. colloq. de peregrinat. relig. ergô.

12 Ceterùm Lutheri ſententiam fortaſſe tantùm aliò torſit, atque ipſe voluit: Calvini etiam verba immutat & corrumpit. [h] Is enim pronuntiat, *Vix ullum cum Papiſtis conventum poſſe nos habere, in quo non aperta*

[h] Calvin. inſtitut. lib.4.cap. 2.§.6.

aperta idololatria polluamur: non dicit, *Nullum*, ſed, *Vix ullum*. Bellarminus autem loco harum vocum, *Vix ullum*, ſubiicit, *Nullum*. Sic illum generatim id negare aſſerit, quod ex parte concedit. Præterea, Calvinus ſignificat hoc idcirco potiſſimùm à ſe dici, quòd in præcipuis conventibus Papiſtarum celebretur Miſſa, quæ iam fœdiſſima ſcatet idololatria. Nam ſtatim, *Certè*, inquit, *præcipuum communionis vinculum in Miſſa eſt: quam nos ut maximum ſacrilegium abominamur*. Atqui Bellarminus idololatriam ab eo hîc notatam, tanquam ex alio eius loco interpretans, exponit de Sanctorum invocatione. Non malè; niſi unius iſtius mali mentione, coniuncta cum priore mutatione vocis, id agere videretur, ut falſi ſpecie laboraret Calvini ſententia, itaq; in hominum odium incurreret. Exempli appoſitione res fiet illuſtrior. [a] Quum ad Imperatoris Maximiliani Secundi electionem ſeptem Optimates Imperii conveniſſent in ædem ſacram Francofurti: Palatinus, Saxo, & Brandeburgenſis exceſſerunt choro, ſimul atque Miſſa celebrari cœpit; qua peracta, reverterunt; ac interfuerunt, quum canerentur hymni, *Veni ſancte Spiritus*, &, *Veni creator*. Hîc pii Electores conventum habuerunt aliquem cum Papiſtis, à Calvino non improbatum: quem tamen improbaret, ſi Miſſæ ſpectaculo, & idoli triticei adoratione ſeſe polluiſſent. Quod ſi loquutus eſſet, quomodo Bellarminus eum loquentem facit, & exponit: impietatis notam illis inuſſiſſet, quòd eum Papiſtis communicarent; & ut invocatores creaturarum damnaſſet, qui Deum creatorem tantũmodò invocabant.

[a] Hiſtor. de Maximil. II. in Romanor. regem elect. Hiſt. Simonis Schardii tom. 3.

13 At enim utcunque huius, aut illius, verba, aut ſen-

ſententiam depravet Bellarminus, oſtendit Pontificios argui à Luthero, Melanchthone, Magdeburgenſibus, Calvino, & quodam de Calvini ſchola, tanquam divino cultu proſequantur Virginem Mariam, defunctas creaturas, oſſa, veſtes, calceos, ſtatuas, ſimulacra: & *hæ*, inquit, *impoſturæ, mendaciaq́, impudentiſſima ſunt.* Impudentiſſima? Quî hoc probat? Aculeatis punctis percontationum; quibus aſſevêrat, neminem Papiſtarum unquam uni vero Deo, vel imagines, vel reliquias, vel Sanctos, aut Martyres, aut Apoſtolos, aut Angelos, aut ipſam denique cœli Reginam, Deiq́; matrem Mariam ullo modo ęquaſſe: neminem in ipſorum Eccleſia ſacrificium, quod uni debetur Deo, vel Sanctis, vel reliquiis, vel imaginibus obtuliſſe: quin etiam ſe apertè diſtinguere (per latriam ſcilicet, ac duliam) inter eum honorẽ, qui ſoli Deo debetur, & eum cultũ ac venerationem, quę Dei amicis aliiſq́; ſacris rebus, propter ipſum Deũ, piè religioſéq; tribuitur. Vetus eſt verbum Sapientis, & in ſpirituali, nõ carnali modò, ſcortatione verum: [a] *Mulier ſcortans comedit; deinde abſtergit oſſuum; tum dicit, non ſum operata iniquitatem.* Verùm Romana Eccleſia tales maculas ſuarum ſcortationum tam multis locis aſperſit, &, quod vix fecerũt [b] adulterę Romanę temporibus impuriſſimis, in conſpectum affert tam recentes notas turpitudinis ſuæ: ut, quantumvis verbo neget ſe ſcortatam, evidentia tamen rei teneatur; eodem planè modo, quo Judæorũ ſynagoga, de qua Jeremias, [c] *O quæ torrigia notat vias ſuas.* Nam, ut Bellarmini percontationibus percontationes ſimiles opponam, ſed veraciores, nónne cereas pupas, quas agnos Dei vocant, [d] Deo, cuius ſanguine ſumus redemti, aliquo modo ęquant, quando de earum

[a] Prov. 30. 20.

[b] Sueton. in Auguſt. cap. 69. in Calig. cap. 36. Iuven. ſat. 11.

[c] Ierem. 2. 23.

[d] Act. 20. 28.

rum unaquaq; canũt, [a] *Omne malignũ Peccatũ frangit, ut Christi sanguis, & angit?* Nónne [b] in quocunq; ponunt spẽ suam, & cui dicunt, fiducia nostra; quod [c] Sanctis faciunt, ac reliquiis: id aliquo modo æquant Deo? Nónne quum [d] pro aurea, argentea, lapidea cruce preces fundunt, ut, sicuti per crucem Christi expiatus est mundus à reatu, sic huius crucis merito, qui eam offerũt, omni careãt perpetrato peccato: crucem, ex metallo conflatam, aut è saxo, ęquant Servatori nostro aliquo modo? Nónne Sanctos aliquo modo ęquãt Deo, quando, quod solius Dei propriũ esse confitentur [e] ipsi, & è Scriptura probant, [f] *Gratiã & gloriam dabit Dominus*: id [g] ab illis petunt? Quid? Et tametsi, quemadmodũ Deus [h] *Rex cæli* nuncupatur, sic Mariã *cæli* nominant *Reginam*; nec eodẽ solùm epitheto, quo [i] Judęi, creaturam ornant, pręstantiorem quidem, veruntamẽ creaturam, sed etiam honore pari prosequuntur: tum ipsorum [k] unus ait Regem regum dimidium regni sui dedisse huic Reginę; & ex potioribus regni sui bonis, nempe iustititia, misericordiaq;, iustitiam retinuisse sibi, misericordiam autem ei concessisse: [l] alii porrò narrant, Christum, ad Patris dexteram sedentem, iratum furrexisse, ut interficeret omnes peccatores terrę, & à matre sua, ut parceret tantisper quoad Dominicus & Franciscus ad homines mitterentur, orante, placatum esse: deniq; [m] Pius Quintus victoriam, à Christianis bello navali de Turcis reportatam, acceptam illi retulit; ob eamq; causam commemorationem S. Mariæ de Victoria quotannis fieri instituit: tamen affirmabitur nullum unquam Papistarum Mariam, Dei parentem, æquasse Deo ullo modo? An verò sacrificium non offerunt reliquiis, imaginibusq;, qui thus

[a] Ceremon. Rom. eccles. li. 1. tit. 7. cap de consecratione Agnus Dei.
[b] Iob. 31. 24.
[c] Thom. Aquin. 2ª. 2æ. quæst. 96. art. 4. & part. 3. quęst. 25. art. 4
[d] Pontifical. Rom. part. 2. tit. de benedictione novæ crucis.
[e] Tho. Aquin. 1ª. 2æ. quæst. 112. art. 1.
[f] Psal. 84. 12.
[g] Brevia. Rom. in hymn. ad B. Virg. Apost. Mart. & in offic. defunct.
[h] Dan. 4. 37.
[i] Ier. 44. 17. ex vet. vulg. interpr.
[k] Gabriel Biel. Lect. 80. in expositi. can. Miss.
[l] D. Antonin. hist. part. 3. tit. 23. cap. 3. Theodoric. App. vitæ S. Dominici li. 2. cap. 1. Surius, de probatis Sanctor. historiis, Tom. 4. August. 5.
[m] Martyrolog. Roma. Oct. 7.

[a] thus illis adolent: [b] Θυσίαν, ut Scriptura appellat, & [c] oblationem ſoli Deo vivo, non [d] æneo ſerpenti, nec [e] Baali, debitam? Qui [f] lignum crucis invocant, clamantes, *Salva catervam in tuis laudibus congregatam*, nónne [g] ſacrificium laudis ei offerunt? Etiámne tantum ab humano genere poſtulare audent, ut, quoniam ſe latria dicunt Deum colere, Sanctorum autem ſpiritus & ſacras res dulia, idcirco pii cenſeantur: perinde quaſi [h] Clodia Metelli in pudicitiæ ſuæ laudem diceret, Metello ſe præſtare coniugale obſequium, ſororium autem Clodio; quum inceſta fœmina obſequium, ſoli marito debitum, præſtaret fratri? Aut arbitratur Bellarminus nos tam rudes eſſe doctrinæ Papiſticæ, ut credamus eos vel hac diſtinctione ſemper Dei cultum à rerum ſacrarum, quas vocat, diſcriminare; quum imagines item quaſdam, & reliquias, puta Chriſti & crucis, latria coli aſſerat [i] Thomas Aquinas: [k] cuius doctrina Jeſuitis omnibus, ac pænè omnibus Academiis, maximè probatur: uſque adeò, ut Bellarmino ſuppar [l] Jeſuita, quia videbat negare ſe non poſſe, quin latria quaſdam imagines venerentur, contendat idololatriam quandam eſſe licitam? [m] *O curvæ in terras animæ, & cæleſtium inanes.* Complete menſuram patrum veſtrorum, [n] Baalitarum Iſraelis, & [o] thurificatorum Judæ: ac idololatriam, non quandam, homines timidè ſuperſtitioſi, ſed omnem eſſe licitam, & ſanctam affirmate.

14 Nos autem, quorum verba orthodoxa, vera, pia, Chriſtiana, non ſolùm impoſturas mendaciaq; impudentiſſima nominat Bellarminus, ſed etiam ſic exagitat, tanquam ob ea innumerabiles populi, regna, nationes, multa millia animarum Chriſti ſangui-

ne

[a] Miſſal. Rom. tit. de ritu ſervand. in celebr. Miſſ.
[b] Marc. 9. 49.
[c] Levit. 2. 1.
[d] 2. Reg. 18. 4.
[e] 2. Reg. 23. 5.
[f] Breviar. Rom. in feſt. invent. & exalt. S. crucis.
[g] Pſal. 50. 14. Heb. 13. 15.
[h] Cic. pro M. Cæl.
[i] Part. 3. quæſt. 25. art. 3. & 4.
[k] Ant. Poſſevin. biblioth. ſelect. li. 1. ca. 10.
[l] Gregorius de Valentia, de idololatr. lib. 2. cap. 7.
[m] Lactant. divin. inſtitut. lib. 2. cap. 2.
[n] Hoſ. 2. 13.
[o] Ezek. 8. 11.

ne redemtarum, à Christi corpore separata, & tanquam rami ab arbore vi tempestatis avulsi & disiecti iaceant; & instar ovium, quæ ab ovili suo egressæ, sine ullo pastorum canúmve præsidio in montibus vagantur, infernalium luporum quotidie præda fiant: æquo animo ferimus ut, qui, Athaliæ [a] facta imitantes, totum semen regium, quantum in ipsis fuit, perdiderunt; [b] dictis illam quoque exprimant, & clament, *coniuratio, coniuratio*, id nobis imputantes quod patraverunt ipsi. Nec enim Christiani ex suo, id est, Christi ovili sunt egressi, qui cum [c] Abrahamo egressi sunt è Chaldæa, ubi colebant Deos alienos; cum [d] septem millibus Israelis caverunt ne curvarent genua Baali, nec oscularentur eum; cum [e] tribus pueris in fornacem ire maluerunt, quàm imaginem adorare: sed illi, qui [f] pastorem suum non sequuntur, nec vocem eius audiunt; [g] *Exite è medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & impurum ne attingite*; [h] *Cavete vobis ab idolis*. Hi iacent tanquam [i] palmites à vite avulsi, quia non ferunt fructum: idololatriam committunt, [k] opus carnis; at fructum Spiritus non ferunt. Hi separati sunt à Christi corpore, [l] nec in eo manent: quia non habent Christi verba in se manentia, neque mandata eius servant. Hi vagantur in montibus, scortantes cum meretrice, matre scortationum & abominationum terræ, quæ [m] super septem montes sedet. Hi infernalium luporum præda fiunt: habentes [n] portionem sibi assignatam in stagno ubi ardet ignis & sulphur, quod est mors secunda. Atque huc multa animarum millia, innumerabiles populos, regna,

[a] 2. Reg. 11. vers. 1.
[b] vers. 14.
[c] Gen. 11. 31. Ios. 24. 2.
[d] 1. Reg. 19. 18.
[e] Dan. 3. 16.
[f] Ioh. 10. 27.
[g] 2. Cor. 6. 17.
[h] 1. Ioh. 5. 21.
[i] Ioh. 15. 2.
[k] Gal. 5. 19.
[l] Ioh. 15. ver. 7. & 10.
[m] Apoc. 17. 9.
[n] Apoc. 21. 8.

[a] Act.20.29. nationes, perduxerunt iſti [a] lupi terreni perverſa ſua doctrina; dum idolorum cultum duliæ nomine commendant; latriam, re auferunt, oratione relinquunt Deo, vel potiùs ne oratione quidem relinquunt: dum ſe Eccleſiam vocant, Catholicóſq;, & fideles; ut [b] quidam ſe dicebant Judæos eſſe, & non erant, ſed ſynagoga Satanæ: dum, quos [c] redemit Chriſtus ex vana illa ſua converſatione à patribus tradita, eos ad veſtigia maiorum ſuorum revocant: dum pios Dei ſervos, eccleſiæ paſtores, quia [d] ad ſapientiæ convivium homines invitant, & ſtremiorum canum inſtar pro grege [e] excubant, traducunt ut ſectarios: atque, ſiquis horum excubias nonnunquam egerit vigilantiùs altero, cum [f] Nehemia ſuperans aliqua ex parte principes priores; id non, ut Nehemias, ad excitandum virtutis ſtudium, ſed odioſè memorant; Calvinum, verbi gratia, maximam partem Lutheranorum in ſua retia pertraxiſſe, quum ille [g] Apoſtolorum exemplo, iuſſu Chriſti, rete in dextram navigii partem iecerit, ac piſces ei ceperit. [h] *Beatus ſervus ille, quem dominus eius, quum venerit, invenerit ita facientem.* [i] Beatus, quum opprobriis conviciiſq; laceratur; licet non ſectarius ſolùm appelletur, atque hæreticus, ſed etiam [k] Samaritanus, & dæmonium habens. Quamobrem, ut ego quoque maledictis, ſi fortè minùs ſplendidis quàm Servator meus, at quibus tamen volent Jeſuitæ, decorer; & Pontificios, ſi-quos poſſim, ex idololatria, hoc eſt, [l] ex diaboli laqueo liberatos, in Evangelii rete pertraham: ad ceteras Bellarmini fraudes detegendas, calumniáſq; & mendacia confutanda, pergo.

[b] Apoc.2.9.

[c] 1.Pet.2.18.

[d] Prov.9.5.

[e] Heb.13.17.

[f] Neh.5.15.

[g] Ioh.21.6.

[h] Luc.12.43.

[i] Mat.5.11.

[k] Ioh.8.44.

[l] 2.Tim.2.26.

CAP. II.

Proteſtantes immanis Sanctorum omnium contemtus, & horribilium in omnes cœlites blaſphemiarum, falſiſsimè à Bellarmino argui. Primò Calviniſtas, quos vocat: tum Eraſmum.

Bellarminus.

SED quoniam aliquid diximus de mendaciis, & calumniis; de conviciis & contumelijs aliquid etiam dicendum erit. Sanè tantus eſt in libris, & moribus hæreticorum, Sanctorum omnium contemptus, tamq; horribiles in omnes cœlites blaſphemiæ; ut ego hinc potiſsimùm vehementer admirer divini Numinis patientiam. Nam, ut omittam, quòd in imagines ſacras tanto furore Calviniſtæ debacchantur, ut eas plurimis iam in locis aut penitus confregerint, aut cœno & ſordibus fœdaverint, aut oculis effoſsis, naribuſq; et auribus truncatis deformaverint: ut nihil etiam dicam, quòd ipſum crucis ſignum, Angelis reverendum, dæmonibus formidoloſum, humano generi ſalutare, ubique deiiciunt, conſpuunt, proculcant: ut illud quoque præteream, quòd beata corpora Sanctorum, quæ maiorum noſtrorum pietas thecis aureis atque argenteis incluſerat, quæq; domicilia & organa Spiritus ſancti fuerant, & quæ Deus ſignis

& prodigijs ſæpius illuſtraverat, ipſi ubique altaribus everſis effodiunt, flammis abſumunt, in profluentem abijciunt: Vt iſta, inquam, omnia prætermittam, & ſolùm de contumelijs verborum loquar: Quid, quæſo, Eraſmus Roterodamus? An non Luciani impietatem longo intervallo ſuperavit? Ille enim Deos falſos, vereq; ridiculos irriſit: At novus iſte Lucianus veros Angelorum cives, veriq; Dei amicos & domeſticos, ut Apoſtolus loquitur, contumelioſiſſimè tractavit.

Rainoldus.

Vum ambitioſus ille adoleſcens, cui unus orbis non ſuffecit, [a] ab Athenienſibus depoſceret per legatos, ut oratores eorum, Demoſthenem, Charidemum, & alios, ſibi dederent; Demoſthenes, in populi concionem prodiens, [b] Æſopi fabulam recitavit: lupos, quo tempore animalia inter ſe colloquebantur, bellum ovibus intuliſſe; quibus quum venirent canes auxilio, & arcerent lupos, eos legato ad oves miſſo poſtulaſſe, ut, ſi in pace vivere, neque ullum bellum ſuſpicari vellent, canes ſibi dederent; oves autem, quum ob ſtultitiam perſuaſæ hoc feciſſent, præſidio canum orbatas, à lupis interemtas eſſe. Pontifex Romanus, bonum noſtrum expetens, ut Alexander Atheniẽſium, & pacem abſque omni ſuſpicione belli nobiſcum inire cupiens, per Bellarminum nos ſollicitat, ut Eraſmum, Lutherum, Magdeburgenſes, Calvinum, alioſq; omnes religionis

[a] Plutarch. in vita Demoſth.

[b] Maxim. Planud. in Æſopi vita.

nis reformatæ doctores averſemur. Quod iſte quo faciliùs nobis perſuadeat, declamavit hactenus contra oratorum & canum ferociam, qua in Macedones & lupos invehuntur, dum Athenienſium & ovium ſalutem adverſus eos defendunt. Sed quia forſitan metuit, ne nuſquam inventurus ſit tam ſtultas oves, ſaltem non Athenis, quæ fortem ac fidelem cuſtodum ſuorum operam odio proſequantur; utut mendaciorum calumniarumq; titulo eam decolôret: convertit ſe ad novam criminationem, nec minus atrocem ſuperiore, nec magis veram; & intolerandi Sanctorum omnium cõtemtus, horribiliumq; in omnes cœlites blaſphemiarum, doctores noſtros arguit. Non multo ſecus atque [a] illi è ſynagoga Libertinorum, Cyrenenſium, & ceterorum; qui, quum non poſſent reſiſtere ſapientiæ & Spiritui per quem Stephanus loquebatur, ſubiecerunt quoſdam qui dicerent ſe audiviſſe eum loquentem verba blaſphema in Moſen & Deum. [a] Act. 6. 9.

2 Etenim, ut immanem Sanctorum omnium contemtum in noſtrorum moribus eſſe oſtendat, ea per rhetoricam præteritionem de Calviniſtarum furore in imagines reliquiáſq; primùm memorat: quæ, ſi Calvini verba reformatas Eccleſias defendentis rectè expendantur, Bellarmino ſatius fuiſſe apparebit vero ſilentio præterire, quàm præteritione figurata dicere. Nam [b] ille, poſt detectas craſſas Papiſtarum idololatrias, *Quòd*, inquit, *de ſublatis, tam imaginibus, quàm oſſibus & reliquiis Sanctorum, nobis crimen intendunt, facilis eſt reſponſio. Neque enim pluris æſtimari oportuit hæc omnia, quàm ſerpentem æneum: neque verò minor fuit cauſa* [b] Calvin. de neceſſit. reformand. eccleſ. ad Imperat. Carol. V.

cur hæc removerentur, quàm cur confringeretur ab
[a] 2.Reg.18.4. [a] Ezekia ſerpens æneus. Certum eſt, idolomaniam, qualiter nunc illa faſcinatæ ſunt hominum mentes, non aliter quàm ſubducta inſaniendi materia curari poſſe. Et nos plus ſatis experimur, veriſsimum eſse illud [b] Auguſtini: neminem orare, vel adorare, ſimulacrum intuentem, qui non ſic afficitur, ut ab eo exaudiri ſe putet. Item; plus valere ſimulacra ad curvandam infelicem animam, quòd os, oculos, aures, pedes habent: quàm ad corrigendam, quòd non loquuntur, neque vident, neque audiunt, neque ambulant. Item; hoc fieri & quodammodo extorqueri figura illa membrorum, ut animus in corpore vivens arbitretur ſentire corpus, quod ſuo ſimillimum videt. In reliquijs verò incredibile dictu eſt, quàm impudenter illuſum mundo fuerit. Poſſum tria Chriſti præputia nominare: ſimiliter clavos quatuordecim, qui pro illis tribus oſtentantur, quibus affixus cruci fuit: tres tunicas, pro illa inconſutili, ſuper quam milites iecerunt ſortem: duos titulos cruci impoſitos: tres mucrones lanceæ, qua pectus Chriſti ſauciatum fuit: lintea circiter quinque, quibus corpus eius in ſepulcro fuit obvolutum. Monſtratur præterea tota ſacræ Cænæ ſupellex: & infinitæ eius generis inceptiæ. Nullus eſt Sanctus aliquantum celebris, cui non affinxerint duo aut tria corpora. Poſſum locum nominare, vbi pumex, pro cerebro Petri, magno in honore fuit habitus. Et pudore impedior, quo minùs alia fœdiora referam. Quamobrem immeritò accuſamur, quòd talibus inquinamentis purgare ſtuduerimus Dei Eccleſiam.

[b] In Pſalm.113. concion.2.

Hæc Calvinus. Unde manifeſtum fit, eos qui Calvi-

Calvini doctrinæ fidem adhibent tanquam orthodoxæ, hoc est (Papistico Bellarmini idiomate) Calvinistas, pietatis studio erga Sanctissimum, Deum gloriæ & majestatis, reliquias imagineſq; de medio removere: sed nullam in cujusquam Sancti contumeliam, nedum cum immani Sanctorum omnium contemtu, quem Bellarminus criminatur. Etenim quòd ait corpora illorum à Calvinistis ubique effodi, flammis absumi, in profluentem abjici: calumniatoris maledictum est, in immerentes conjectum, in ipsos justiùs retorquendum. Siquidem Pontificij in pios Dei servos ita sævierunt, [a] Wiclefi corpore, ossibus, postquàm in sepulcro * ampliùs quadraginta annis quievissent, mandato Papæ exhumatis, combustis, & cineribus eorundem in proximum amnem projectis. Utinamq; non in corpora etiam [b] vivorum, primò Johannis Hussi, tum Hieronymi Pragensis, itidem, immaniore perfidia, crudelitate, sacrilegio, grassati essent. Verùm Calvinistas cujusquam Sancti mortui corpus sic tractasse, quàm impudens sit mendacium, nullius prorsus testis, non modò non idonei, autoritate comprobatum: patebit [c] suo loco. Interim, quum Papistæ [d] incensum adoleverint, & usque ad hunc diem adoleant, primò cruci, deinde reliquiis, postea imaginibus: Calvini doctrinam de his tollendis sanctam esse ostendit Ezekiæ exemplum, [e] testimonio Spiritus sancti comprobatum. Namque [f] serpens æneus à Mose, jussu Dei, ad populum à morte liberandum, factus est: & [g] signum erat crucis, neque crucis solùm, sed etiam Christi crucifixi; eoq;, ex elogio & verbis Bellarmini, Angelis reverendus,

[a] Anno Dom. 1428. teste Gulielmo Lindwood, qui tunc vivebat. Gloss. in provinc. constit. Angl. tit. de magistris. c. 2.

* Obiit Wiclefus ann. Dom. 1385. Thom. Walsingh. hypodigm. Neustr.

[b] Æn. Sylv. hist. Bohem. cap. 36.

[c] Huius libri cap. 9.

[d] Missal. Rom. reformat. à Pio V. tit. de ritu serv. in celebr. Miss.

[e] 2. Reg. 18. 3.

[f] Num. 21. 8.

[g] Ioh. 3. 14.

dæmonibus formidoloſus, humano generi ſalutaris:
[a] Num.21.9. ac, ut eximium gratiæ divinæ inſtrumentum, [a] plurimis miraculis ſanationum illuſtratus eſt. Tamen Ezekias confregit illum, contuditq;, propterea quòd uſque ad dies illos Iſraelitæ adolerent ei. Quòd ſi altarium everſionem nobis obiter vitio vertit Bellar-
[b] 2.Reg.18.22. minus eodem conſilio, quo [b] Rabſakes Ezekiæ: hîc item nos defendit pietatis teſtimonium à Spiritu ſan-
[c] 2.Chr.30.14. cto ei datum, quo imperante [c] omnes aræ thurariæ amotæ ſunt. Immò ut ponamus, aras meliorem in finem ſub Papatu excitatas eſſe, quàm ut thus in illis adoleretur æri, aut aliis creaturis; & crucem, ac imagines, antiquiſſimorum Patrum mandato in templa introductas fuiſſe, non recentiorum; nec ſuperſtitione maiorum noſtrorum, ſed pietate, factum, ut Sanctorum corpora includerentur thecis argenteis, aureis, gemmeis: quis tamen Catholicorum unquam contradixit ſententiæ [d] Gratiani, *per illud Ezekiæ, confringentis æneum ſerpentem quem fecit Moſes, hanc magnam autoritatem habendam eſſe in eccleſia, ut, ſi nonnulli ex prædeceſſoribus & maioribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt eſſe ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorem & ſuperſtitionem, ſine tarditate aliqua, & cum magna autoritate à poſteris deſtruantur?* Adeò manifeſtum eſt, ea, quorum nomine mores noſtrorum furoris & immanis Sanctorum omnium contemtus à Bellarmino arguuntur, à Spiritu veritatis laudari, ut fidei, ut zeli, ut pietatis erga Deum indicia; & à Pontificiis ipſis, rem in genere, abſque præiudicio, conſiderantibus approbari.

[d] Diſt. 63. §. Verùm. Laurent. Villavincent. de rat. ſtud. theolog. lib.4.cap.3. approb. Poſſevin. biblioth. ſelect. poſt Gregorianam edit. Decreti Gratiani.

3 No-

3 Noſtrorum autem libris horribiles in omnes cœlites blaſphemias ineſſe ut evincat, orditur ab Eraſmo: à quo Luciani impietatem aſſerit longo intervallo ſuperatam eſſe. Quid ita? Quia Lucianus irriſit Deos falſos, vereq; ridiculos: at Eraſmus veros Angelorum cives, veriq; Dei amicos, & domeſticos, contumelioſiſſimè tractavit. Itáne verò? Irriſit Lucianus falſos Deos tantummodò? Hoc enim comparatio Bellarmini poſtulat. Et ob eorum irriſionem blaſphemus, [a] olim, [b] nuper, appellatus eſt? Blaſphemi igitur etiam [c] Clemens Alexandrinus, [d] Arnobius, [e] Auguſtinus, & [f] Elias propheta. Quod blaſphemus ſit qui dicat. Ceterùm [g] Lucianus Paulum quoque, verum Angelorum civem, veriq; Dei amicum, & domeſticum irriſit: immò & [h] ipſum verum Deum, Dei filium. Ex quo videre licet, quàm rabida veſania in noſtros involet Jeſuita, qui hominem de eccleſia Dei bene meritum, vel [i] Pontifice atteſtante; non ſolùm [k] Pontificiis moderatioribus, virulentiſſimo Dei eccleſiæq; hoſte longè peiorem facit: ac in eo peiorem, in quo, tametſi verum eſſet, quod ei obiicit, cum Luciano tamen conferri non poſſet. Nam quantò lumen Solis omnes lucernas anteit claritate: tantò contumelias cunctas in Sanctos atrocitate vincit ſubſannatio Dei. Minus dixi, quàm res eſt. Quæ enim proportio finiti ad infinitum? Quò deteſtabilior eſt Bellarmini calumnia: quum ne huius quidem tantò levioris quàm Lucianei criminis reus ſit Eraſmus, ut è ſequentibus liquebit.

[a] Suid. in Lucian.
[b] Baron. Annal. eccleſ. tom. 1. ann. Dom. 75.
[c] Orat. adhort. ad Gent.
[d] Adverſ. Gêt. lib. 3. & ſequentib.
[e] Epiſt. 44.
[f] 1. Reg. 18. 27.
[g] In Philopatr.
[h] De obitu Peregrin.
[i] Leon X. epiſt. præfix. tom. 6. oper. Eraſm.
[k] Sadolet. epiſt. lib. 1. & 4. Bemb. epiſt. fam. lib. 6. Villavincent. de rat. ſtud. theolog. lib. 4. ca. 6. obſerv. 1. & 3.

Bellar-

Bellarminus.

In colloquio, quod inſcripſit, Naufragium, quendam introducit alterum interrogantem, an imminente mortis periculo imploraverit alicuius Divi præſidium? Reſpondet ille: Ne id quidem. quamobrem autem? *inquit*. quia ſpacioſum eſt cœlum; ſi cui Divorum commendavero ſalutem meam, putà Petro, qui fortaſſe primus audiet, quòd adeſt oſtio, priuſquam ille conveniat Deum, priuſquam exponat cauſam, ego jam periero. *Iſti ſunt lepidi, vel ſacrilegi potius Eraſmi ioci. In eodem etiam libro, more prorſus Lucianeo, beatiſsimam Virginem Mariam in maris præfectura Veneri ſubſtituit; & auſus eſt homo Chriſtianus Virginem illam, quam ſanctus Joannes Chryſoſtomus Seraphicis ſpiritibus ſanctiorem & puriorem eſſe veriſsimè ſcripſit, cum impuriſsima meretrice conferre?*

Quid, quòd in Dialogo de peregrinatione religionis ergô, epiſtolam confictam nomine Virginis Mariæ edere non erubuit, qua ipſa Mater Veritatis falſorum dogmatum Lutheri auctor introducitur? Sic enim ficta illa Maria ad Glaucoplutum ſcribit: Quòd, *inquit*, Lutherum ſequutus, ſtrenuè ſuades ſupervacaneum eſſe invocare Divos, à me quidem iſto nomine bonam magnamq; gratiam te iniſſe ſcito; nam ante-hac tantùm non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab una petebantur omnia, quaſi filius meus ſemper infans eſſet, quia talis fingitur pingiturq; in ſinu meo. *Sed piget me certè*

certè, pudet q; talia referre, quibus tamen undique scatent Erasmi lucubrationes.

Rainoldus.

4 Primam Erasmi in Divos contumeliam, eamq; insigniſſimam, & ſacrilego illos joco perſtringentem, hanc facit Bellarminus; quòd pueros in Colloquiis ad pietatem inſtituens feſtivè commonefacit, ne ad hunc aut illum Divum in periculis confugiant, ſed ad Deum; ac ipſum, ſicut à [a] Chriſto ſunt edocti, invocent. Quippe, naufragii diſcrimen repręſentans, ait alios imploraſſe Beatæ Virginis opem, alios ligno crucis vota feciſſe, nec defuiſſe qui Divo Jacobo peregrinationem, Chriſtophoro cereum, vovêrent: virum autem pium dicentem introducit, ſe nullum Divum invocaſſe; & alteri, *Quid igitur faciebas?* quærenti, his verbis reſpondentem, *Rectà adibam ipſum Patrem, dicens, Pater noſter qui es in cœlis: nemo Divorum illo citiùs audit, aut libentiùs donat quod petitur.* Hujuſmodi verò documenta indicat [b] Erasmus ſe admiſta ſalibus facetiiſq; tradidiſſe; quòd, ut medici ægrotis non ſemper miniſtrant ſaluberrima, ſed illis nonnihil concedunt ob hoc ipſum, quòd vehementer appetant: ita hoc genus illecebris ineſcandam putârit teneram ætatem, quæ jucundis faciliùs ducitur, quàm ſeriis, aut exactis. Quòd ſi Bellarminus omnes jocos improbet in rerum graviorum pertractatione: invehitur imprudens, non dico in [c] Ciceronem, [d] Horatium, [e] Quintilianum; quanquam ne horum quidem ratio, qua jocos probant, eſt ſpernenda; *ridiculum acri Fortius, & meliùs magnas*

[a] Mat. 6. 9. Luc. 11. 2.

[b] Epiſt. de utilitate colloquior. ad lectorem.

[c] Lib. 2. de orat.

[d] Satyrar. lib. 1. Sat. 10.

[e] Orat. inſtitut. lib. 6. c. 4.

[a] Adverſ. hær. lib. 1. cap. 5.

[b] Adverſ. Valentinian. cap. 6.

[c] 1. Reg. 18. 27.

[d] Ioſ. 7. 21.

[e] Calvin. antidot. adverſ. artic. facult. theolog. Sorbon. art. 15.

[f] Comment. in Aug. de civit. Dei, lib. 8. cap. ult.

magnas plerunque ſecat res: ſed in [a] Irenæum, qui Valentinianorum Æonibus illudens, cucurbitas, cucumeres, peponeſq; vocat: in [b] Tertullianum, qui eoſdem vellicans, *Si & ridebitur*, inquit, *alicubi, materiis ipſis ſatiſſiet; multa ſunt ſic digna revinci, ne gravitate adorentur; vanitati propriè feſtivitas cedit; congruit & veritati ridere, quia lætans; de æmulis ſuis ludere, quia ſecura eſt:* denique in Eliam, qui pſeudoprophetis Baalem invocantibus dicit, [c] *Clamate voce magna, quandoquidem Deus eſt; nam colloquium, aut nam inſectatio eſt ei, aut nam iter eſt faciendum ei; fortaſſe dormit, ut evigilet.* At Bellarminus non invehitur in Eraſmum, quòd iocos, ſed quòd ſacrilegos iocos adhibeat. At errat Bellarminus. Non enim iocus Eraſmi, quo invocationem Divorum carpit, eſt ſacrilegus: ſed plus quàm ſacrilega eſt Papiſtarum conſuetudo, quam Eraſmus ioco aperit & caſtigat. Ac iſta quidem hodie nimium, non, ut [d] Achan, ſacrum theſaurum auro, & argento; ſed honore ſuo Sanctum Iſraelis, Regem regum, ſpoliat. Verùm Eraſmi tempore, antequàm Lutheri & aliorum importunitas Papiſtas ad crebriorem invocationem Dei adegiſſet, invaluit multo magis: uſque adeò, ut ex iſto fonte potiſſimùm manaſſe videatur proverbium vulgare, [e] *Non cognoſcitur Deus inter Sanctos*; nec ulla in re clariùs apparuerit, quod ſcripſit [f] Vives, *Multi Chriſtiani Divos Diváſque non aliter venerantur quàm Deum; nec video in multis, quod ſit diſcrimen inter eorum opinionem de Sanctis, & id quod Gentiles putabant de ſuis Dijs.* Immò, non ſolùm multi, ex plebe forſitan, ita

ſuo

ſuo cultu Divos, Divaſq; , in Deos Deaſq; mutaverunt : ſed etiam qui inter paucos eminebant, Reverendi patres, Doctores, Epiſcopi, in ſacris conventibus, in Synodo generali & Tridentinæ ſimili, ubi, [a] *qui delectus epiſcoporum totius orbis, qui regum & rerumpublicarum ſplendor, quæ medulla theologorum, quæ ſanctitas, quæ lacrymæ, quæ ieiunia, qui flores Academici, quæ linguæ, quanta ſubtilitas, quantus labor, quàm infinita lectio, quantæ virtutum & ſtudiorum divitiæ, auguſtum ſacrarium impleverunt ?* in tali, inquam, Synodo qui conciones habuerunt, pro eo quòd nos Deum precatione à Chriſto tradita invocamus, ut ſancto ſuo Spiritu nobis aſſiſtat, [b] illi Angelica ſalutatione Beatæ Virginis opem auxiliumq; implorabant; & [c] eorum unus, Archiepiſcopus Patracenſis, præter ceteros, hoc cantico:

[a] Campian. ration. 4.

[b] Concil. Lateran. ſub Iul. II. & Leon. X. ſeſſ. 2. 7. & 9.

[c] Seſſion. 10. ann. Dom. 1515.

Omnium ſplendor, decus, & perenne
Virginum lumen, genitrix ſuperni,
Gloria humani generis Maria
Vnica noſtri:
Sola tu virgo dominaris aſtris,
Sola tu terræ, maris, atque cæli
Lumen, inceptis faveas, rogamus,
Inclyta noſtris:
Vt queam ſacros reſerare ſenſus,
Qui latent chartis nimium ſeveris,
Ingredi & celſæ, duce te, benigna
Mœnia terræ.

Quum igitur in celeberrimo totius orbis conſeſſu, coram Pontifice, qui & nomen DEÆ Mariæ [d] antea tribuerat, ſic tribueretur illi honor Dei, ut, ſi tacerent

[d] Ann. Dom. 1514. Epiſtolar. à Bemb. Leon. X. nom. ſcriptar. lib. 8. epiſt. 17.

rent homines, lapides clamaturi fuiſſe viderentur: Eraſmus, ex ore infantium & lactentium perficere laudem cupiens, eos erudivit, Deum Optimum Maximum, & velle libentiſſimè audire preces noſtras, & citiſſimè poſſe; Sanctos non item; quòd hi certo loco in cœlo definiti & quaſi circumſcripti ſint; at [a] Deus cœlum & terram impleat, & [b] propinquus ſit omnibus invocantibus ipſum, omnibus qui invocant ipſum fide. Cuius documenti partem, de Sanctis, per ironiam explicans, ait S. Petrum fortaſſe primum auditurum, quòd adſtet oſtio: ut hoc modo aliud deliramentum corrigat eorum, qui, quod Chriſtus metaphoricè dixit de regno gratiæ in hac vita, [c] clavium œconomis commiſſarum nomine adumbrans poteſtatem miniſtris verbi datam ad [d] remittenda peccata [e] credentium Evangelio, incredulorum retinenda; id capiunt velut propriè dictum de regno gloriæ in vita futura. Tanquam cœlum, ſcilicet, materiale haberet oſtium, cuius ianitor eſſet Petrus, id quibuslibet (ut [f] non nemini olim, [g] tunc pluribus, perſuaſum erat) aperturus: quemadmodum ſucceſſor eius, [h] Romanus Pontifex, in anno Jubilæi, malleo argenteo Romæ portam aperit Petro conſecratam, typum & figuram portæ paradiſi. Addit autem Eraſmus, *Priuſquàm ille conveniat Deum, priuſquàm exponat cauſam, ego iam periero*; ut ſimilitudinem ineptam eſſe doceat, qua ſimplices ſeducuntur ad exemplum veterum idololatrarum, [i] dicentium per creaturas iri poſſe ad Deum, ſicut per comites pervenitur ad regem. Ita, niſi Sanctis contumeliam faciant, qui eos nec honore Dei coli volunt, nec ſuperſtitioſis & falſis opinionibus: Bellarminus Eraſmum in hoc primo

[a] Ier. 23. 24.
[b] Pſal. 145. 18.
[c] Mat. 16. 19.
[d] Mat. 18 18. Ioh. 20. 23.
[e] Marc. 16. 16.
[f] Bed. eccleſiaſt. hiſt. gent. Anglor. lib. 3. cap. 25.
[g] Eraſm. peregrinat. relig. ergô.
[h] Cyril. Frãch. de anno Iubil. cap. 27.
[i] Ambroſ. comment. in epiſt. ad Rom. cap. 1.

primo capite tractavit calumnioſè; ſed Eraſmus Sanctos contumelioſè non tractavit.

5 At in proximo quî poteſt non contumelioſiſſimum eſſe Divæ Mariæ, quòd Eraſmus eam in maris præfectura Veneri ſubſtituit, more prorſus Lucianeo: & homo Chriſtianus Virginem illam, quam Sanctus Chryſoſtomus Seraphicis ſpiritibus ſanctiorem & puriorem eſſe veriſſimè ſcripſit, cum impuriſſima meretrice conferre auſus eſt? Equidem non miror Eraſmum horribilium in cœlites blaſphemiarum meritò hîc damnatum videri Pontificiis, quibus illius Colloquia legere nefas eſt, ne veritatem odorentur, & impias Bellarmini ſimilium impoſturam fraudes deprehendant. Sed nos, qui ſingulari Dei beneficio per Moſen & Aaronem ex Ægyptiaca ſervitute liberati ſumus, inſpecto codice videmus, non Eraſmum, ſed Papiſtas Mariam Veneri ſubſtituere in præfectura maris; eoſq; ab Eraſmo propterea reprehendi. Nam poſtea quàm dixiſſet, nautas canentes, *Salve Regina*, imploraſſe matrem Virginem, appellantes eam *ſtellam maris*, *Reginam cœli*, *dominam mundi*, *portum ſalutis*, aliiſq; multis titulis illi blandientes, quos nuſquam illi tribuunt ſacræ literæ: ſciſcitanti alteri, *Quid illi cum mari, quæ nunquam, quod ajunt, navigavit?* reſpondet, *Olim Venus agebat curam nautarum, quia nata credebatur ex mari: ea quoniam deſiit curare, ſuffecta eſt huic matri non virgini Virgo mater. Suffecta eſt*, inquit: à quibus? An ab Eraſmo? Immò à nautis, qui ex Pontificiæ ſcholæ diſciplina, Mariæ tribuunt [b] titulos *ſtellæ maris*, *Reginæ cœli*, *dominæ mundi*, *portus ſalutis*, *dulcedinis*, *vitæ*, *ſpei noſtræ*. Quorum nonnulli, diu ante Naufragium ab

[a] Ind. libror. prohibitor. cum regulis confectis per patres à Trident. Synod. delect. autorit. Pii IV.

[b] Offic. B. Mariæ Virg. in hymn. & antiphon. Litan. B. Mariæ Lauretan.

Eraſmo ſcriptum, in naufragii ſæpe diſcrimine verſantes, ad eam (ut [a] Pontificius narrat, qui interfuit,) devotiùs clamitabant, cantantes crebrò hos verſus:

[a] Bernard. Breidenb. peregrinat. montis Sinai.

* *Salve ſplendor firmamenti,*
Tu caliginoſæ menti
Deſuper irradia:
Placa mare, maris ſtella,
Ne involvat nos procella,
Et tempeſtas obvia.

* Miſſal. Sariſbur. infr. octav. aſſumt. B. Marię, die 7. & Breviar. in Miſſa quotidiana de B. Maria.

Ita, quod Pagani Venerem orabant, [b] *Sic te Diva potens Cypri*; quippe qui putarent ab ea regi navigantes, [c] *In mare nimirum ius habet orta mari*: id nautas à Maria petere ſub Papatu, itaq; Virginem lectiſſimam in præfectura maris turpiſſimo ſcorto ſubſtituere, indicat Eraſmus. Et cuius iniquitatis eſt aſſeverare, hoc profana audacia & more prorſus Lucianeo ab illo factum eſſe: quod ille à Papiſtis Gentilitio prorſus more factum notat, & ſancta libertate loquendi vellicat, perſtringitq;? Sanctus [d] Epiphanius, inſectans Collyridianos, qui placentam eidem Virgini offerebant, & quaſi ſacrificabant, *Hæ fœminæ*, inquit, *rurſum inſtaurant* [e] *fortunæ mixtam potionem, & menſam dæmoni parant, non Deo, ſicuti ſcriptum eſt: &* [f] *fœminæ depſunt maſſam, at filij ligna colligunt, ut faciant placentas militiæ cœli: compeſcantur à Jeremia tales fœminæ, & ne turbent orbem terrarum; ne dicant,* [g] *honoramus reginam cœli.* Quibus in verbis comparat Mariam, non prout eſt; abſit; ſed ut à Collyridianis hæreticis colebatur, Beatam, inquam, Virginem comparat cum fortuna, cum dæmone, cum [h] ſidetibus, cum regina cœli. Ac reginæ cœli nomine fortaſſis exiſtima-

[b] Horat. lib. 1. carm. od. 3.
[c] Ovid. Heroid. epiſt. 15.
[d] Hæreſ. 79.
[e] Eſai. 65. 11. ſecundum Septuaginta interpr.
[f] Ierem. 7. 18.
[g] Ierem. 44. 17.
[h] Ier. 8. 2.

vit

vit Venerem ſignificatam eſſe: eadem ratione adductus, qua [a] Theodoretus, quòd Græci eam [1] cœleſtem nuncupent. Præſertim cùm [b] Cyprij, Phœnices, Aſſyrij, alijq; finitimi, eam ſub hoc titulo tradantur coluiſſe: nec magnopere diſcrepet [2] Aſſyrium nomen Veneris ab [3] Hebræo reginæ. Sin autem Lunam, quam [c] reginæ aſſimilabant Ægyptij, & [d] ἀςροάςχλω appellabant Phœnices, ut [e] Horatius *ſiderum reginam*, reginæ cœli nomine deſignatam cenſuit: at Virginem cum dæmone confert citra dubium; eaq; re cum multo impuriore creatura, quàm ſi cum Venere contuliſſet. Quid igitur? An Bellarminus Epiphanium quoque horribiles in Dei parentem blaſphemias effudiſſe dicet? &, quod is declarat Collyridianos impiè feciſſe, ſimilem Mariæ cultum exhibentes, ac priſci idololatræ exhibuerant dæmoni: hoc in ipſum regeret, tanquam eam dæmoni in cultu divino, Lucianeo prorſus more, ſubſtitueret; & homo Chriſtianus profana temeritate Virginem puriſſimam cum impuriſſimo ſpiritu compararet? Verùm enimverò Eraſmi Colloquia minore cum verecundia & exiſtimationis ſuæ periculo calumniari potuit apud Pontificios: [f] quorum ſiquis ullum iſtiuſmodi librum legerit, habuerítve; ipſo Pontificio jure in pœnam excommunicationis incidit; eamq; ob cauſam in eum tanquam de hæreſi ſuſpectum inquiri & procedi licet. Sed de Chryſoſtomo, quem habere & legere illis eſt permiſſum, [g] modò hæreticus ejus index corrigatur, quî auſus eſt tam apertè & contra conſcientiam ſuam mentiri, ut eum diceret ſcripſiſſe, beatam Virginem Seraphicis ſpiritibus ſanctiorem & puriorem eſſe? Is enim tan-

[a] In Ierem. 44.
[1] οὐρανίαν.
[b] Herodot. in Clione. Pauſan. Atticis. Ælian. de hiſt. animal. lib. 10. cap. 28.
[2] Μύλιττα. Herodot. in Clione.
[3] מלכת
[c] Sext. Empiric. adverſ. Mathemat. cap. 21.
[d] Herodian. hiſt. lib. 5.
[e] Carm. ſecular.
[f] Bulla Pii IV. præfixa Indici libror. prohibit.
[g] Ind. expurgat. pag. 23. edit. Fran. Iun.

tum abeſt, ut tam excellentem puritatem ac ſanctimoniam attribuerit Virgini: ut contrà [a] pronuntiârit illam peccaſſe. Quod etſi [b] Jeſuitæ inviti fateantur, quia eam omnia peccata vitaviſſe, etiam venialia, [c] Tridentinus canon eſt: at fatentur tamen. Et verò [d] Bellarminus, adverſus Chryſoſtomum, è Græcis neſcio quibus liturgiis producit hoc ipſum teſtimonium: beatam nempe Virginem ſanctiorem Cherubim, & Seraphim, perhiberi. Ita, quo majores odii quaſi flammæ concipiantur in Epiphanium, Eraſmum volui dicere, quia talem Virginem perinde coli à Papiſtis, ac Venus à Gentilibus colebatur, aſſerit: ſententiam, quam ſciebat Chryſoſtomi non eſſe, immò, quam Chryſoſtomo refragari ſciebat, non dicam, homo Chriſtianus, ſed homo Jeſuita Chryſoſtomo adſcribit. [e] Thales Mileſius adultero percontanti, num jurejurando negaret ſe adulterium commiſiſſe, *Non eſt*, inquit, *periurium adulterio peius*. Falſò: & malè. Sed mendacium non eſt idololatria pejus. Quamobrem, [f] *quod facis, fac citiùs*, Bellarmine.

[a] Hom. 45. in Matthæum: & 20. in Ioan.
[b] Caniſ. de Maria Virg. lib. 4. cap. 29. Tolet. in Evang. Ioann. cap. 2.
[c] Seſſ. 6. can. 23.
[d] De amiſſ. grat. & ſtat. peccat. lib. 1. cap. 6.
[e] Diog. Laërt. in Thalet.
[f] Ioh. 13. 27.

6 Poſtremò, arguitur Eraſmus Sanctos tractaviſſe contumelioſiſſimè, quòd epiſtolam nomine Virginis Mariæ confictam edere non erubuit, qua ipſam introducit falſa Lutheri dogmata approbantem; negantemq; Divos invocandos eſſe; ac de ſe dicentem, *Antehac tantùm non enecabar improbis mortalium opplorationibus; ab una poſtulabantur omnia, quaſi filius meus ſemper infans eſſet, quia talis fingitur, pingiturq; in ſinu meo, ut ex nutu matris adhuc pendeat, neque quicquam auſit negare petenti; videliset metuens, ne, ſiquid neget roganti, ego viciſſim*

ipſi

ipsi negem mammam sitienti. Ecce plus Erasmi contumeliarum, quàm Bellarminus sibi recitandum censuit. Et plus adhuc adjiciendum est; ut intelligatur ipsum habuisse majorem causam erubescendi, quòd Erasmum roserit: quàm Erasmum, quòd epistolam Mariæ Virginis nomine confictam ediderit. Etenim [a] incertus autor vitæ Bedæ narrat ejus tumulo insculptum fuisse manibus Angelicis hoc carmen: *Hac sunt in fossa Bedæ Venerabilis ossa*. Quod ita manifestò appâret fictum esse, ut non à [b] Trithemio solùm explodatur, sed etiam à [c] Stapletono, patrono alioqui satis impudente nugarum omnium Papisticarum. Item [d] Jacobus de Voragine scribit, Ægidium abbatem, rogatum à rege Carolo ut pro ipso oraret, quia grave quoddam facinus commiserat quod nemini confiteri audebat, ab Angelo syngraphum accepisse, in qua tûm peccatum regi remissum Ægidii precibus ferebatur, si tamen pœnitens confitensq; ab illo deinceps abstineret: tûm adiunctum erat, ut quisquis Sanctum Ægidium pro quocunque commisso invocaret, si tamen ab illo desisteret, ejus meritis sibi remissum non dubitaret. Quam narrationem etsi [e] Vincentius quoque Belvacensis, & [f] Antoninus Florentinus historiis suis intexuerint: tamen vel Papistis judicibus talem esse, quales complures in farragine trium istorum agnoscit [g] Canus, hoc est, apocryphum fabulam, fit inde verisimillimum, quia Cardinalis Quignonius & Pius Quintus eam è [h] Breviariis, in quibus [i] decantata fuerat, expunxerunt. Jam Erasmus, inveteratas superstitiones & superstitionum fibras evellere cupiens, epistolam ab Angelo, qui Mariæ Virgini

[a] Bed. tom. 8.

[b] De viris illustr. ord. S. Benedict. lib. 2. cap. 21. & lib. 3. cap. 155.

[c] In vita Bed. è Trithem. præfixa Anglico eius Bedæ.

[d] Aur. Legend. cap. 125.

[e] Specul. hist. lib. 23. ca. 140.

[f] Hist. part. 2. tit. 13. cap. 6. §. 33.

[g] De locis theolog. lib. 11. cap. 6.

[h] Septembr. 1.

[i] Breviar. seu Portifor. Sarisbur. Aventin. annal. Boior. lib. 3.

ſit ab epiſtolis, ſcriptam finxit: ut, quemadmodum
[a] Iud. 9. 8. [a] Jotham apologo frugiferarum arborum, & cynoſbati, modeſtiam patris ſui, & ambitionem fratris adumbravit; ita falſorum miraculorum ſub Papatu formam, & finem, hoc ludicro repræſentaret. Cujus rei commodam occaſionem ſumſit à ſtatuarum & imaginum è templis ejectione, quam eo tempore
[b] Sleidan. comment. li. 6. [b] quidam reformationis cupidi moliebantur. Quippe ſignificans huic inſtituto obtrectatum iri ab iis qui ad errores ſuos confirmandos talia finxerant miracula, & plura fortè ficturi erant; jocatur, circumferri Mariæ Virginis epiſtolam, ab Angelo, ut patebat è literarum ſimilitudine cum Ægidii ſyngrapha, & epitaphio Bedæ, ſcriptam, in qua minetur Virgo lapidea, ſi ipſa è templo ejiciatur, ejectum ſimul iri, quem ulnis teneat, filium ſuum, & templum fore ſine Chriſto. Nec verò, quum hanc imaginum propugnatricem docentem introducit, ſupervacaneum eſſe invocare Divos, eam falſorum dogmatum Lutheri, ſed Lutheranæ veritatis approbatricem facit. Quod vel hinc appareret, quia docet Divos ſic invocatos eſſe, ut ab ipſa una peterentur omnia: etiam perennis felicitas
[c] Eod. dialog. de peregrinat. religion. ergò, [d] Tho. Aquin. 2ª. 2æ. quæſt. 112. art. 1. [e] Act. 14. 13. in futuro ſeculo, ſicut [c] Eraſmus pòſt declarat. Talem autem Divorum inuocationem ſiquis neget meritò damnatam à Luthero: is autoritate [d] acerrimi Papiſtarum contra Lutherana dogmata patroni, erroris convincitur, uti docui. [e] Quum ſacerdos Jovis Lycaonumq; turba ſacrificare vellent Paulo & Barnabæ: hi, diruptis palliis ſuis, indicârunt quantopere id deteſtarentur. Et dubitabit quiſquam
[f] Ioh. 2. 6. an beata Virgo, pro ea obſervantia, [f] quam in cunctis

voluit

voluit deferri [a] verbo Christi, hortetur quasi, suadeatq; , ut [b] sacrificia laudis & [c] invocationis, tanquam [d] suffitum & munus vespertinum, offeramus soli Deo, non ipsi? Quid, quòd illud etiam obiter rectissimè significatum est, ansam præbuisse isti errori picturas & simulacra Virginis filium suum infantem in manibus gestantis, quasi adhuc ex nutu matris pendêret; ac non, ut contrarium docêret, ei dixisset, [e] *Quid mihi tecum mulier?* Exemplum insigniſſimum ejus documenti, quod Prophetæ inculcant, quum [f] eruditionem ligni affirmant eruditionem esse vanitatum, & [g] simulacrum doctorem falsi. Quapropter, cùm beatis Angelorum civibus domesticisq; Dei nihil sit gratius, quàm ut Deo suus servetur honor illibatus; nec eorum quisquam se, sed [h] illum coli & adorari velit, [i] ante cujus thronum coronas suas abjiciunt: quæ ad Regis cœli honorem & gloriam ab Erasmo scripta sunt, ea in cœlites quoque honorifica, non contumeliosa, nedum horribiliter blasphema, censeri debent.

[a] Col. 3. 16.
[b] Heb. 13. 15.
[c] Psal. 50. 15.
[d] Psal. 141. 2.
[e] Ioh. 2. 4.
[f] Ier. 10. 8.
[g] Abac. 2. 18.
[h] Psal. 115. 1.
[i] Apoc. 4. 10.

7 Quo injuriosius est, quod Bellarminus, ut eum adhuc magis magisq; odiosum reddat, *Me*, inquit, *piget certè, pudet q; talia referre: quibus tamen undique scatent Erasmi lucubrationes*. Quanquam subest causa non injusta, fateor, cur ipsum pudeat pigeatq; talia referre. Nam ut Chæream [k] Terentianum puduit in via videri cum eunuchi veste, patrati stupri indice, quem tamen non puduerat ingenuam virginem constuprare: ita licet multas abominationes commiserint Papistæ sine verecundia, verecundari tamen possunt, ac utinam verecundarentur, sed ne ad verecundiam earum indiciis,

[k] Eunuch. act. 5. scen. 2.

quæ multi viri docti patefecerunt, adigantur, propterea confecerunt expurgatorium indicem; indicem? immò indices, jam [a] multiplicatos, & multiplicandos indies, [b] collegio Conſultorum Sacræ (quam appellant) Congregationis Indicis erecto; ubi tales etiam ſuorum, quales ſunt Janſenii, libros expurgandos eſſe quiritantur, ob periculum Lutheraniſmi. Atque in Janſenii quidem commentariis id nominatim [c] carpitur, quòd Eraſmum ſæpe appellet honorificè: ad quem quæcunque pertinent, expungenda cenſet magnus Bellarmini ſodalis Poſſevinus. [d] Qui & in Sigonio corrigendum monet, quòd *imitatus Eraſmum dicat, Melchiſedech non ſacrificaſſe, ſicuti tenet Eccleſia; ſed panem & vinum protuliſſe*: imitatus [e] Moſen, debuit dicere. Porrò, ſi Pontificem maximum Judæorum & Sacerdotes piguit audire Stephanum dicentem, [f] *Duri cervice, & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto obnitimini*: quanto magis pigeat oportet Jeſuitam ea referre, quæ ad patris ſui, Papæ, & [g] matris, Synagogæ, ſcortationes detegendas à Chriſtianis ſcripta ſunt? Quorum in numero Eraſmum meritò haberi, utut [h] ſemichriſtianis eum accenſeat ſeſquijeſuita, certè qualiſcunque alioqui fuerit, hæc ab eo ſcripta eſſe Chriſtianè, indicio ſunt vel ipſi [i] delecti Cardinales, qui Colloquia ejus à ludis literariis arceri voluerunt, tanquam ad impietatem pueros informantia. Siquidem illorum princeps, [k] Sadoletus, Eraſmo admonito, *ne, quum accepta vulgò quædam ſint, quæ ſuapte natura ita redolent pietatem, ut ſolùm in eis, quod nimium eſt, ſubaccuſari poſſe videatur, (cuiuſmodi*

[a] Poſſevin. biblioth. ſelect. lib. 1. cap. 19. lib. 2. cap. 8. & 11. li. 5. cap. 10.

[b] Didac. Caſtill. diſput. in cap. 6. S. Ioan.

[c] Biblioth. ſelect. lib. 2. cap. 18.

[d] Lib. 4. cap. 13.

[e] Gen. 14. 18. Vnde Sigonius, comment. in lib. 1. Sacr. hiſt. Sulp. Severi, depromſit ſua verba: idq; ſecundum veterem vulgatam verſionem Latinam.

[f] Act. 7. 51.

[g] Hoſ. 2. 2.

[h] Bellarm. lib. 1. de verbo Dei, cap. 9.

[i] Cõſil. delect. Card. Sleidan. comment. lib. 12.

[k] Epiſt. lib. 4. epiſt. 1. & 2.

iusmodi est, inquit, *Sanctorum quorundam veneratio, & picturarum crebritas, opinionibus studiisq; populi obsisteret*; hæc subjungit verba: *Non quin multo sit rectius figere in Christo cogitationum summam; sed neque ista à fide nostra aliena sunt, & non queunt omnes ad sublimiora illa facilè ascendere*. En, id multo rectius est, fatente reo, quod Erasmus suasit: sed populi opinionibus & studiis non est obsistendum. *Bona tua veniâ dixerim*, inquit [a] Cicero: *ista sententia maximè & fallit imperitos, & obest sæpissime reipublicæ, quum aliquid verum & rectum esse dicitur, sed obtineri, id est, obsisti posse populo, negatur*. Verùm ille docet obsisti posse populo: atque, si non possit, at, quoad possit, debere. Sadoletus contrà, ne debere quidem obsisti populo, contendit: parum attendens ad id, quod scriptum est; [b] *Indica populo meo defectionem ipsorum, & domui Jacobi peccata ipsorum*. Nam, quamvis oratoriè rem extenuans, dicat, *venerationem Sanctorum quorundam sic redolere pietatem, ut solùm in ea, quod nimium est, subaccusari posse videatur*: tamen hoc *nimium* [c] superstitio est in genere; & in specie, quam Bellarminus ab Erasmo notatam arguit, idololatria. Sed [d] *magna est Diana Ephesiorum*: nec debuit [e] Erasmus tam quæstuosum ulcus tangere: & Bellarmino videndum fuit, nequid Ecclesia Romana detrimenti caperet.

[a] De legib. li. 3.

[b] Esai. 58. 1.

[c] Col. 2. 23.

[d] Act. 19. 28.

[e] Peregrinat. religionis ergô.

CAP. III.

Lutherum horribilium in omnes cœlites blaſphemiarum falſiſsimè à Bellarmino argui.

Bellarminus.

IAm verò Martinus Lutherus in ſermone de natali die Virginis Mariæ, tanti fecit patrocinium Matris Dei, ut audacter dicere non dubitaverit; ſe non pluris æſtimare preces beatæ Mariæ, quàm cuiuſlibet è populo; propterea quòd omnes ſimus æquè ſancti & iuſti, atque eſt ipſa Virgo Maria, ceteriq; Divi, quantumvis magni.

Deſinat ergo Bernardus Mariæ prærogativas enumerare: non dicat ampliùs Chryſoſtomus, Virginem Deiparam Cherubin eſſe honoratiorem, & Seraphin incomparabiliter glorioſiorem: neque vox illa Anſelmi deinceps audiatur, ea puritate Mariam nitere, qua maior ſub Deo nequit intelligi; nam omnes ſumus æquè iuſti & ſancti, atque ipſa Virgo Maria. Nihil ergo Mariæ profuit, quòd prima trophæum virginitatis erexit; quòd Deum Virgo concepit, peperit, educavit; quòd omnium penè itinerum laborum, ærumnarum, & moleſtiarum eius comes, ad crucem uſque, diſcipulis fugientibus, ipſum ſequuta, martyrium denique acerbiſſimum, doloris gladio viſcera eius penetrante, ſuſcepit. Nam ſine tot laboribus omnes ſumus

conda exaggeratio. cui ar-
tiſſimè respondit Rainold.
ſpra, p. 92.

mus æquè iusti & sancti, atque ipsa Virgo Maria. Sine causa Petrus & Paulus, ceteriq; Apostoli tanto labore ad Evangelium disseminandum orbem terrarum peragrârunt; frustra Martyres sanguinem suum pro Christo fuderunt; inanes vigiliæ, ieiunia, solitudines, humi cubationes, horridi sacci, assidua cum Dæmonibus bella sanctorum Anachoretarum fuerunt; quoniam sine tot laboribus & sudoribus, Lutherani quiescentes domi in uxorculæ sinu & complexu, bene pasti, benéq; poti cœlum rapiunt, & æquè sancti & iusti sunt atque ipsa Virgo Maria, ceteriq; Divi, quantumvis magni.

Rainoldus.

Erasmus à Friderico Saxoniæ Duce rogatus, ut suum de Luthero judicium ei aperiret, [a] responsum orsus est à joco; *duo esse magna Lutheri peccata: unum, quòd Monachorum ventres; alterum, quòd Papæ coronam attigisset.* Serióq; pergens, dixit, *irrepsisse errores in Ecclesiam, quorum emendatio necessaria sit; Lutherum iustè hos taxare; & summam doctrinæ eius veram esse: sed lenitatem se in eo desiderare.* Sententia viri magni prudens & vera. Nam & in ratione scribendi leniùs quandoque, nec in nulla parte doctrinæ castigatius, agendum ei fuisse, [b] theologi pietate & eruditione præstantes demonstraverunt. Quod [c] ipse item piè ac modestè fassus est, quum suorum operum editionem

[a] Chron. Carion. auct. à Melanch. & Peucer. lib. 5.

[b] Admonit. de lib. concord. cap. 6.

[c] Luther. præfat. Tom. 1.

nem excuſans, *Ante omnia*, inquit, *oro pium lectorem, & oro propter Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut iſta legat cum iudicio, immò cum multa miſeratione: & ſciat me fuiſſe aliquando Monachum*. Sed errores eum taxaviſſe juſtè, & ſummam doctrinæ ejus veram eſſe, vel hæc, quæ Bellarminus exagitat ut maximè falſa & impia, documento erunt.

[a] Miſſal. Rom. Epiſt. in nativit. S. Mariæ Virg.

2 Etenim Lutherus, poſtquàm oſtendiſſet [a] Papiſtas in feſto nativitatis Mariæ, illud, per mendacium & blaſphemiam in Deum, ad Mariam accommodare, quod divinæ tantùm ſapientiæ competit, ipſi ſcilicet Chriſto; [b] *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequàm quicquam faceret à principio; ab æterno ordinata ſum*, & quæ ſequuntur: hoc infert corollarium; *Prima igitur derogatio & incommoditas ex hoc profundo Dei genitricis honore proficiſcens, eſt; quòd hinc Chriſti honor & cognitio violatur, quum tamen à Chriſto Chriſtianorum nomenclaturam indepti ſimus, ut ei ſoli adhæreamus, atque ita in filios Dei & heredes evadamus. Alioqui ſacroſancto Jeſu Chriſti ſanguini derogabitur, per quem omnes pariter abluti, & in cæleſtia bona tranſlati ſumus. Si hoc ita habet, ut certè habet; tam nos ſancti ſumus, atque Maria & alij Divi, quantumvis magni, ſi modò in Chriſtum credamus: nam illa fides nos omnes fratres & ſorores conſtituit; etiam ipſam Mariam. Ceterùm, quòd maiori gratia exuberavit, non ſuo merito, ſed miſericordiæ divinæ hoc acceptum ferre habet; non enim omnes Dei parentes eſſe poteramus: in alijs nihil à nobis diſcrepat. Tam*

[b] Prov. 8. 22.

enim

enim per Christi sanguinem ad gratiam ei aspirandum fuit, quàm nobis. Hæc Lutheri verba sunt: ex quibus Bellarminus [a] pervagatissima sophistarum techna, videlicet ambiguæ vocis captione, Lutherum carpere deprehenditur. Nam sententiam ejus de communi omnium fidelium sanctitate ita citat, urgetq; tanquam affirmasset omnes vita & moribus æquè sanctos esse, ac Maria fuit, & alii Divi, quantumvis magni. Lutherus autem loquitur de *sanctitate passiva*, quam [b] appellat, non de *activa*; de justitia imputata, non de inhærente: de gratia qua in filios Dei adoptamur, abluimur Christi sanguine, remissionem peccatorum per fidem consequimur, heredes cœli constituimur; non qua renovati spiritu mentis nostræ, & novum hominem induti, fructus convenientes resipiscentiæ ferimus. Hac enim præstitisse Mariam aliis perhibet, quum *eam exuberasse maiori gratia* dicit; & [c] *gratia, dotibúsq;, insignem præ ceteris mulieribus extitisse*. At illa pares esse cunctos fideles, quoniam ex æquo adoptantur cuncti, ex æquo à peccati reatu absolvuntur, ex æquo sortiuntur hereditatem cœli, verissimè affirmat. Eodem planè modo, quo [d] duo debitores, quorum alteri plus est remissum, alteri minus, ambo æquè levati sunt ære alieno; sed non æquè diligunt creditorem ambo: & [e] decem leprosi, quos mundavit Christus, fuerunt omnes æquè mundi; sed non omnes æquè ob mundationem grati: & Jacobi filii, [f] duodecim patriarchæ, fuerunt omnes æquè filii; sed non omnes æquè laudati filii Jacobi.

[a] Aristot. de reprehens. Sophist.

[b] Comment. in epist. ad Galat. cap. 5.

[c] Ead. postill. in Evang. nativit. Mariæ.

[d] Luc. 7. 41.

[e] Luc. 17. 14.

[f] Act. 7. 8.

3 Unde

3 unde vel cæco apparere poteſt, quàm inſulsè & putidè Bellarminus inferat varia ex eo Lutheri dicto conſectaria: *Deſinat ergo Bernardus; Non dicat ampliùs Chryſoſtomus; Ne audiatur vox Anſelmi, Nihil profuit Mariæ; Sine cauſa Apoſtoli terrarum orbem peragrârunt; Fruſtra Martyres fuderunt ſanguinem; Inanes vigiliæ Anachoretarum fuerunt.* Non ſecus, ac ſi contra meum de duodecim patriarchis enuntiatum ita fulminaret argutulus quiſpiam ſophiſta. Deſinat ergo Matthæus [a] genealogiam Chriſti à Juda deducere: ne dicat ampliùs Jacob, [b] *Catule leonis, Juda, à præda fili mi aſcendiſti:* neque vox illa Moſis deinceps audiatur, [c] *Exaudi Jehova vocem Judæ, & ad populum ſuum reduc eum:* nam omnes patriarchæ fuerunt æquè filii Jacobi, atque ipſe Juda. Nihil ergo Judæ profuit, quòd genuit Davidem, [d] cujus filius Chriſtus eſt; quòd [e] Joſephum mortis periculo liberavit; quòd [f] Benjaminem à patre, ad conſervandam multorum vitam, extorſit; quòd [g] promiſſi fidem præpoſuit ſuæ libertati; quòd [h] laborem itineris ſuſcepit ad Joſephum; denique, quòd [i] à fratribus ſuis celebrandus, & adorandus prædicatur. Nam ſine tot laboribus ac prærogativis, omnes patriarchæ fuerunt æquè filii Jacobi, atque ipſe Juda. Sine cauſa [k] Simeon in terra peregrina à ſuis derelictus, atque vinctus eſt; fruſtra [l] captivitatem, [m] carcerem, [n] ferrum, ſubiit Joſephus; incaſſum [o] amabiles flores ad matrem ſuam attulit Ruben; & [p] veſtimenta ſua, præ dolore fratris amiſſi, laceravit: quoniam ſine tot ſudoribus & curis, [q] Dan, Aſer, Nephthali, officiis erga Deum, parentes, conjuges, & liberos domi fungentes, here-

[a] Mat. 1.3.
[b] Gen.49.9.
[c] Deut.33.7.
[d] Mat. 1. 1.
[e] Gen. 37.26.
[f] Gen. 43. 8.
[g] Gen. 44. 32.
[h] Gen.46. 28.
[i] Gen.49. 8.
[k] Gen.42.24.
[l] Gen. 37. 28.
[m] Gen.39.20.
[n] Pſal. 105.18.
[o] Gen. 30. 14.
[p] Gen. 37. 29.
[q] Gen.49 16. Deut 32. 8. Ioſ. 14. 2.

hereditate obtinent terram promissam, & æquè numerantur in Jacobi filiis, atque ipse Juda, ceteriq; patriarchæ maximi. Nónne hæc oratio miserabilem mihi plagam infligeret? Atqui Bellarmini contra Lutherum ineptior est multis modis, & perversior.

4 Nam primò, quid absurdi, si de nonnullis prærogativis, quas Bernardus Mariæ tribuit, annuamus Bellarmino: *Desinat Bernardus eas enumerare?* Nisi fortè putet æquius esse dicere: Desinat Paulus enumerare prærogativas Christi. Is enim ait [a] Christum excellere omnibus creaturis, etiam ipsis Angelis: ex eoq; Deum esse concludit. At Mariam item exaltatam esse super omnem creaturam asserit [b] Bernardus. Desinat ergo [c] Epiphanius argumentari contra Collyridianos: *Si Deus Angelos adorari non vult, quanto magis Mariam?* Nam Collyridiani respondere poterunt cum Bellarmino ex Bernardo, hoc argumentum esse futile: quandoquidem Maria cunctos Angelorum choros transcendit. Præterea [d] Bernardus Mariam, ut [e] Davidem, & [f] alios universos ex Adamo natos, in peccato conceptam tradit; solum [g] Christum excipit; secundum Scripturas. Quod à [h] Bellarmino, & ceteris [i] Pontificiis, festum immaculatæ conceptionis Mariæ celebrantibus, improbatur. Et licet illis prohibere, ne Bernardus veras prærogativas Christo vindicet: nobis, ne falsas Mariæ prærogativas affingat, non licet? Aut horribiles blasphemias in eam fundere judicabimur, quoniam [k] Bernardi vocem usurpamus: *Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum?*

[a] Heb. 1. 4.

[b] Serm. 1. in assumt. B. Mariæ.

[c] Hæres. 79.

[d] Epist. 174.

[e] Psal. 51. 7.

[f] Rom. 5. 12.

[g] Luc. 1. 35. Heb. 7. 26.

[h] De amiss. grat. & stat. peccat. lib. 4. ca. 16.

[i] Conc. Trident. Sess. 5. decret. de pecc. orig. c. grave nimis. Extravag. commun. tit. de reliq. & vener. Sanct.

[k] Epist. 174.

tum? & id, quod Chriſti proprium eſt, illi communicare, *Non eſt hoc Virginem honorare, ſed honori detrahere?*

5 Secundò, Bellarminus aiens, *Non dicat ampliùs Chryſoſtomus Virginem Deiparam Cherubim eſſe honoratiorem, et Seraphim incomparabiliter glorioſiorem*, perinde loquitur ac ſi Chryſoſtomus hactenus id dixiſſet. Hoc autem falſum eſt. Nam [a] Chryſoſtomus dicit, Chriſtum, niſi natura eſſet Dei filius, Angelis non ſolùm non excellentiorem, ſed minorem etiam fore. Itaque Maria, quæ ex [b] gratia Dei adoptata fuit, non ſolùm non honore & gloria ſuperior, nedum incomparabiliter ſuperior Angelis; ſed etiam inferior eſt, Chryſoſtomo judice. Quid igitur? An Bellarminus denuò Chryſoſtomum tam impudenter ementitur? & ſententiam tanto viro adſcribit, quæ nuſquam in operibus ejus habetur? Minimè verò. Habetur enim in liturgia Chryſoſtomo inſcripta, quæ [c] Romæ ante annos ſexaginta Græcè, [d] Venetiis Græcè & Latinè primùm eſt excuſa. Sed cui multa ineſſe, quæ non ſint Chryſoſtomi, demonſtrat cùm aliorum qui poſt Chryſoſtomũ vixerunt, tùm Chryſoſtomi ipſius, ut mortui, commemoratio; immò hujuſce etiam invocatio. Habetur item in eâdem [e] Pariſiis rurſum edita, & elegantiùs verſa, cum hac inſcriptione: *D. Joannis Chryſoſtomi Miſſa Græcolatina, Eraſmo Roterodamo interprete*. In qua mentiones illæ mortuorum, è quibus Romanum exemplar evincitur habere quæ Chryſoſtomi non ſint, ſupprimuntur omnes: ſed ne ſic quidem ipſius eſſe comprobatur illa ſententia. Nec enim habetur in Miſſa, quam appellant, Chryſoſtomo adſcripta [f] ante annos

qua-

[a] Homil. 2. in epiſt. ad Hebr.

[b] Luc. 1. 28. Eph. 1. 6. & 2. 3.

[c] Præfat. Miſſæ Chryſoſt. Venetiis excuſæ.

[d] Apud Io. Antonium, & Fratres de Sabio. Ann. Dom. 1528.

[e] Apud Chriſtianum Wechelum. Ann. Dom. 1537.

[f] Circiter annum Dom. 1180.

quadringentos : quo tempore, Constantinopoli, à Leone Thusco in Latinum versa est. Etsi tum quoque in ea erat aliquid, quod Chrysostomi esse nullo modo posset : nempe, mentio Nicolai, Alexii, & aliorum, qui septingentis annis post Chrysostomum nati sunt. Ne aliquot quidem seculis post Leonem Thuscum, quando Cabasilas liturgiam exposuit, adhuc [a] videtur quicquam de incomparabili illa hyperbole auditum apud Græcos. Immò nec in Græca Chrysostomi liturgia, [b] Parisiis ante annos triginta excusa, quæ Romanum tamen exemplar refert in Chrysostomi invocatione, & ejus aliorumq; commemoratione; sed nec in ea tanto præconio tollitur Maria. Proinde verisimile est superstitiosos aliquos, primùm Græculos, ad errorem suum viri celeberrimi nomine fucandum, Chrysostomi liturgiæ sententiam illam inseruisse : deinde Pontificios, quo in vulgus redderent plausibiliorem, Erasmi, ut interpretis, nomine commendasse. Quod eo magis fit probabile, quia & Erasmus [c] anno antè obierat quàm in lucem exiret hæc versio ei attributa : & Episcopus Roffensis, in cujus gratiam (aucta [d] pòst inscriptione) dicitur vertisse, obierat [e] anno ante Erasmum. Præterea, Lutetiæ primò in lucem exiit : ubi theologus quidam Dominicanus, Erasmo vivo, (quod [f] Erasmus liquidò convincit, meritóq; taxat,) quædam Erasmi nomine scripsit, & excudit, ad fidem Pontificiæ doctrinæ conciliandam illius autoritate, quæ ille nunquam somniavit. Quanto credibilius est hoc factum eo mortuo? Huc accedit quòd Frobenius & Episcopius, typographi, quibus universa Erasmi

[a] Nic. Cabas. liturg. expos. cap. 33.

[b] Apud Gul. Morelium, in Græcis typographum Regium. Ann. Dom. 1560.

[c] Sleidan. comment. lib. 10.

[d] In edit. operum Chrysostomi.

[e] Sleidan. comment. lib. 9.

[f] Catalog. lucubrat. suarũ ad Io. Abstem. tom. 1.

Eraſmi optimè nota & explorata erant, quamvis hujus operis non ſeorſum modò, ſed etiam inter integra opera Chryſoſtomi, titulus interpretem eum præferebat: tamen, nec quum Eraſmi opera excuderent, hoc cum [a] reliquis è Chryſoſtomo verſis conjunxerunt, & in [b] Chryſoſtomo ſuo correxerunt titulum, hac clauſula, UT FERTUR, inſerta mentioni verſionis Eraſmi. Quocirca mihi quidem videtur perveriſimile, verba illa Miſſæ, ab Eraſmo mortuo in mortui Roffenſis Epiſcopi gratiam verſæ, Chryſoſtomo poſt milleſimum ab ejus obitu annum tandem attributa, à ſuperſtitioſis homuncionibus, Græcè ſub Chryſoſtomi, Latinè ſub Eraſmi nomine, ficta eſſe. Verùm undecunque manârit tam indignum modeſtiſſima Virgine Virginis encomium: Bellarminus certè ſuppoſititio Chryſoſtomo id imponit, quod à Chryſoſtomo vero confutatur.

[a] Oper. Eraſm. tom. 8.
[b] Excuſ. ann. Dom. 1558.

6 Anſelmo, qui ſequitur, veriſimillimum eſt illatam eſſe parem injuriam, ac Chryſoſtomo: [c] ubi poſt hæc verba, *Omnes mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto*, ſubtexitur, *demta matre Dei*. Quo ex loco [d] alibi contendit Bellarminus Anſelmo placuiſſe opinionem Pontificiam de immaculata conceptione Virginis: mirum ni, ut Chryſoſtomo, de incomparabili illius gloria ſupra Seraphim. Sed, quam hîc producit Anſelmi ſententiam, etſi Pſeudochryſoſtomi verbis ſic ſubjiciat, tanquam idem prorſus ſonare, vel putârit, vel nos putare voluerit: tamen, ut Anſelmus eam enuntiat, vix potuit Bellarminus acutiorem gladium, quo ſe confoderet, adhibere. [e] Anſelmus enim explicans cur Deus homo factus ſit, *Licet Chriſti*, inquit, *conceptio ſit munda*,

[c] Comment. in cap. 5. epiſt. 2. ad Cor.
[d] De amiſſ. grat. & ſtat. peccat. lib. 4. cap. 17.
[e] Cur Deus homo. lib. 2. cap. 16.

& abſque carnalis delectationis peccato : Virgo tamen ipſa, unde aſſumtus eſt, eſt in iniquitatibus concepta, & in peccatis concepit eam mater eius; & cum originali peccato nata eſt, quia & ipſa in Adam peccavit, [a] *in quo omnes peccaverunt*. Et poſtquam oſtendiſſet mundam nihilominus Virginem fuiſſe, quia mundata eſt à peccatis, credendo mortem Chriſti : [b] addit, in eandem omnino ſententiam, *decuiſſe ut nitêret ea puritate, qua maior ſub Deo nequit intelligi; ac mundatam eſſe propterea per fidem ante conceptionem Chriſti*. Itaque Anſelmus negat majorem puritatem in homine, qui Deus non ſit, eſſe poſſe : quàm Petrus Apoſtolus, de Gentilibus loquens, explicat his verbis, [c] *Deus nihil diſcrevit inter nos & illos, quum fide purificârit corda eorum*. At Papiſtæ multo majorem puritatem tribuunt Mariæ : quippe quam non modò non natam in peccato, ſed ne conceptam quidem volunt. Papiſtæ igitur Mariam ex homine Deum faciunt, ſi audiatur vox Anſelmi, quam Bellarminus laudat : ob eamq; cauſam, ut [d] Epiphanius arguit Collyridianos Mariam loco Dei habentes, committunt idololatriam.

[a] Rom. 5. 12.

[b] De concept. Virg. & pecc. orig. cap. 18.

[c] Act. 15. 9.

[d] Hæreſ. 78. & 79.

7 Poſtremò, Bellarminus adjiciens hanc coronidem, *Lutherani quieſcentes domi in uxorculæ ſinu & complexu, bene paſti, beneq; poti cælum rapiunt*; per contumelioſam ironiam innuit, eos, qui Lutheri doctrinam ſequuntur, heredes cœli non futuros, quoniam in cœtibus hominum civiliter comitérq; vivunt. Quod amplificat antitheſi Anachoretarum, ad cœlum per vigilias, jejunia, ſolitudines, humi cubationes, horridos ſaccos, aſſi-

dua cum dæmonibus bella, contendentium. Ego verò primùm ex hoc cenſore quæro, quo ſenſu accipiat adverbium *bene*, quum dicit, *bene paſti, benéq; poti?* Utrùm, ut [a] Cicero, *Bene potus*, id eſt, valde, ac plus ſatis potus; &, [b] *Qui ſemel verecundiæ fines tranſierit, eum bene & naviter impudentem eſſe oportet*, id eſt, valde impudentem: an, ut [c] Ariſtoteles *bene* fieri docet, quæ, mediocritatis regula obſervata, ex virtutis habitu, convenienter rectæ rationi fiunt; ſicut de Chriſto ſcriptum eſt, [d] *Bene omnia fecit*? Si priore ſenſu: reſpondeat mihi velim, num negare poſſit ſe petulanter & mendaciter calumniari Lutherum? [e] Qui comeſſatorum & ebrioſorum luxum graviter reprehendens, ut pluſquam beſtialem, ait eos *opera carnis* perpetrare: ideóq; horribilem ſententiam audire, quòd [f] *qui talia faciunt, regni Dei heredes non erunt*. Si poſteriore: quæro, quantulo intervallo abſit à profana illorum blaſphemia, qui, quum [g] Filius hominis veniret edens ac bibens, dicebant, *Ecce homo edax, & vini potor*? Simul etiam illud ex eo quæro, num Chriſtus non, ut victu, ita & veſtitu, minùs auſterus fuerit quàm [h] Johannes: quem [i] peculiare mandatum Dei, & vocatio, ſeveriorem his in rebus fecit? Nónne in reliqua item cura corporis ſimiliter ſeſe geſſerit: nec [k] ſomnum refugiens, quum fatigatus eſſet; ac eum, etiam in navigio, [l] ſuper cervical capiens? Quem eo quoque magis veriſimile ſit in lecto alibi capere ſolitum, non humi, ſive quum ageret [m] domi apud ſuos, ſive quum ab aliis exciperetur [n] hoſpitio; quòd ne cibum quidem humi, ſed in [o] lecto,

[a] Epiſt. ad fam. lib. 7. ep. 22.
[b] Lib. 5. ep. 12.
[c] Ethic. lib. 2.
[d] Marc. 7. 37.
[e] Comment. in epiſt. ad Gal. cap. 5.
[f] Gal. 5. 21.
[g] Matt. 11. 19.
[h] Matt. 3. 4.
[i] Luc. 1. 15.
[k] Luc. 8. 23.
[l] Marc. 4. 38.
[m] Matt. 4. 13.
[n] Matt. 21. 17.
[o] Luc. 7. 36. & 11. 37. & 22. 12. Ioh. 13. 23. Petr. Ciaccon. de triclinio.

cto, ex recepto gentis more, cui humaniter se in conviviis conformabat, capere consuevit. Ut in ista morum austeritate, & tristitia, ob quam Anachoretas cœlum meritos esse Bellarminus autumat, Christus non solùm iis inferior fuerit, sed etiam Cretensibus atque Lacedæmoniis : [a] quorum alteri nunquam gustaverunt cubantes, alteri quotidianis epulis accumbebant in robore, non in lectis. Et posteaquàm responderit Christum in his omnibus se Lutheranum præbuisse, illud percupio quoque ut respondeat, an non à Christo significatum sit, [b] accumbere in regno cœlorum Abrahamum, atque Isaacum? Quantumvis, [c] hunc legamus cum uxorcula collusisse in loco minimè deserto : [d] illum, etiam senem, quievisse domi in sinu & complexu uxorculæ. Quin & illud aveo ex eo audire, num [e] Christo nullum fuerit bellum cum diabolo, nisi in solitudine? num [f] Petrus Christianos, qui versabantur inter Ethnicos, sine causa monuerit, ut in excubiis starent adversus ejus impetus? num [g] Paulus Apostolus falsò affirmârit sibi fidelibúsq; ceteris luctam esse adversus imperia, adversus potestates, adversus mundi principes tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales malitias in sublimi : ac debuerit dicere non futura talia bella cum dæmonibus, donec [h] Paulus Thebæus, primus Anachoreta, sub Decii tyrannide, post ducentos annos, in eremum fugeret? Secundum hæc quæro, num Apostolus erret, quum ad reportandam de Satana victoriam [i] usum conjugii præcipit nonnullis : omnes autem docet armandos [k] verbo Dei, tanquam gladio Spiritus, quo [l] profligavit cum militiæ nostræ Princeps?

[a] Cic. pro Muræn.
[b] Matt. 8. 11.
[c] Gen. 26. 8.
[d] Gen. 21. 2.
[e] Luc 4. 13. Ioh. 14. 30.
[f] 1. Pet. 5. 8.
[g] Eph. 6. 12.
[h] Hieron. in vita Pauli Eremitæ. Bellarm. lib. de monachis, cap. 1. Baron. Annal. eccles. tom. 2. anno Dom. 253.
[i] 1. Cor. 7. 5.
[k] Eph. 6. 7.
[l] Matt. 4. 4.

Ac utrùm Spiritus ſanctus hominum ſaluti pejùs conſuluerit, inſtituendo [a] cœtus eccleſiaſticos, in quibus verbum Dei prædicando, legendo, interpretando, diſceretur: quàm ii, quos Bellarminus appellat ſanctos Anachoretas, [b] aggregationem mutuam deſerendo? Quorum pæne ſummus, certè ([c] Theodoreto teſte) ſummis par, ut ex eo facilis de aliis conjectura ſit, Macedonius, qui [1] κριθοφάγος & [2] Gubba dictus eſt, quòd quadraginta annis nihil comêdit niſi hordeum, & quadraginta quinque nec tugurio uſus eſt, nec tabernaculo, ſed ſtans in foſſa vixit, non modò non vacavit divinis eloquiis, ſed etiam eorum ità rudis fuit; ut, quum ad eccleſiam quodam die Dominico veniret accerſitus à Flaviano epiſcopo, qui presbyterum ibi eum ordinavit, omnino ignoraret, quid ab Epiſcopo factum eſſet: req; pòſt cujuſdam admonitu intellecta, quum Dominico proximo rurſum ab Epiſcopo accerſeretur, ut ſacris intereſſet, iis qui vocabant reſponderet, vereri ſe ne rurſum ordinaretur presbyter; propterea non venturum. Quòd ſi Bellarminus non poterit diffiteri, quin Paulus Apoſtolus, Chriſtum imitatus, [d] inter homines vixerit; & in ordinario [e] victu, [f] cultúq; corporis, probârit [g] ſobrium uſum [h] creaturarum Dei, & [i] Lutherus ſua jejuniis eſſe tempora docuerit, ut [k] Paulus; nec à Paulo declinârit, quum [l] Eremitarum taxavit opera; quoniam [m] *mandata & doctrinæ hominum, Ne attigeris, neque guſtaveris, neque contrectaveris, rationem quidem habent ſapientiæ in cultu voluntario, & ſummiſſione animi, & in eo quòd corpori non parcant, nec tamen ullius ſunt pretij, quum ad ea ſpectent quibus farcitur caro:*

non

[a] Act. 2.42. & 10.33. & 13.15. Iuſtin. mart. apolog.2. Tertullian. apologet. cap.39.
[b] Heb. 10.25.
[c] Hiſt. religioſ. cap.13.
[1] Id eſt, hordei comeſtor.
[2] Id eſt, foſſa: Syriacè.
[d] Act. 9.19. 1.Cor. 9 19.
[e] 1.Cor. 10.25. 1. Tim. 5. 23.
[f] 1. Tim. 2.9 & 3.2.
[g] Gal. 5. 22. Eph. 5.21.
[h] 1. Tim. 4.4.
[i] Poſtill. in Evang. Dominic. prox. poſt Nat. Chr.
[k] 1. Cor. 7.5. & 9. 27.
[l] Comment. in epiſt. ad Gal. cap.5.
[m] Col.2.21.

non exſpectabo ut reſpondeat, quî minùs nos ſalutem ſperare debeamus, ſi præceptum ſanctis Corinthiis datum obſervemus, [a] *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*; quàm ſi cum Anachoretis in ſolitudine degamus, & imitatores ſimus Gubbæ. Immò tanto major nobis ſpei cauſa eſt, illam quaſi regiam viam ineuntibus, quàm ſecedentibus in deſertum: quanto certiùs ſcimus, [b] Chriſtum ab electis opera caritatis erga fratres exigere; & [c] Paulum adhortari ut ſimus benefici erga omnes, maximè verò erga domeſticos fidei. Namque hæc quàm minimè omnium præſtiterint ii, qui Anachoretæ exſtiterunt maximi; teſtis ſit [d] Pior: qui, è patris domo in eremum exiens, Deo vovit ſe neminem ex ſuis ampliùs viſurum: & quinquaginta pòſt annis, quum ſoror ejus, quæ conſenuerat, cognito fratrem vivere, quietem capere non poſſet niſi ipſum videret, Epiſcopúſq; fœminam commiſeratus ſcripſiſſet ad præſides monachorum in eremo degentium ut Piorem ad ſe mitterent: ille, in patriam veniens, & ſtans pro foribus domus, evocavit ſororem; cui, clauſis oculis, *Ego ſum*, inquit, *Pior frater tuus, age, contuere me, quantum lubet*: nec ſibi à ſorore, maximopere orante ut domum ingrederetur, perſuaderi paſſus eſt; ſed prope fores precatus, revertit in eremum. Teſtis [e] Acepſemas: qui ſe concluſit in cellulam, & ſexaginta annos continuos ita vixit, neque viſus à quoquam, neque cuiquam loquutus. Teſtis [f] Salamanus: qui ſimiliter concluſus, nec oſtio relicto, nec feneſtra, ſemel in anno terram fodiens, accipiebat totius anni nutrimentum, cum nullo unquam homine loquens; idq; facere

[a] 1.Cor.11.1.

[b] Mat.25.35.

[c] Gal.6.10.

[d] Pallad.hiſt. Lauſ.cap 87. Sozom. hiſt. eccleſ.lib.6. cap.29.

[e] Theodoret. hiſt.eccleſ.lib. 4.cap.28.

[f] Idem hiſt. religioſ. ca.19.

perſeveravit, non parvo tempore, ſed longiſſimo: & quum ab Epiſcopo, perfoſſa cellulæ parte, ingreſſo ordinaretur presbyter, ac ſæpe officii admoneretur, tacuit: quum populares eum ſui in ſuum vicum, ex eo in quo degebat, arreptum exportarent, celluláq; ſimili conſtructa includerent, tacuit: quum incolæ ejus vici, ex quo exportatus eſt, illum noctu rurſus itidem perfoſſa cellula aggreſſi reportarent, tacuit. Teſtis denique [a] Didymus: qui nonaginta confecit annos, nec per totum vitæ ſpatium ullius unquam hominis ſocietate & conſuetudine uſus eſt. Quorum quum unicum officium erga fratres id commemoretur, quod [b] Jacobus nota cenſoria caſtigavit; ſtudia bene optantium, ſed nihil boni facientium: quid tandem habebunt, quod pro ſe dicant, quum illi ad ſiniſtram à [c] Chriſto ſtatuentur, qui nec cibo famelicos, nec potu ſitientes, nec hoſpites cura, nec veſtitu nudos, nec ægrotantes, aut in carcerem conjectos, ſolatio aliquo juverunt? An opponent iſtam defenſionem juſto judici? Nos quidem hæc quę memoras, Domine, Domine, non fecimus, nec facienda nobis judicavimus. Sed tamen tua cauſa, aut vovimus nos nihil horum facturos eſſe; aut, ne faceremus, intra cellas nos abdidimus; aut, talparum inſtar, latuimus ſub terra; aut procul ab hominibus in ſolitudine vagati ſumus. Quam ibi non miſeriam vidimus in horridis ſaccis, & humi cubationibus? nec quenquã aut conſolando, aut conſilio, aut re juvimus. In eccleſias verò, in quibus plebs inſtruitur ut [d] adhortentur alii alios, & ędificent ſinguli ſingulos, [e] ſéq; mutuò obſervent, & ad caritatẽ ac bona opera acuant, ne ſolitarii eſſe deſineremus, non intravimus. Immò, vel

[a] Socrat. hiſt. eccleſ. lib. 4. cap. 18.

[b] Iac. 2. 16.

[c] Mat. 25. 41.

[d] 1. Theſſ. 5. 11.

[e] Heb. 10. 24.

hæc

hæc omnino Christianorum esse officia nescivimus: vel, si scivimus, ad imperfectos spectare rati sumus: & ipsi in majoribus, ut [a] Scribæ & Pharisæi in decimanda mentha, & anetho, & cumino, nos exercuimus. Igitur & linguam, etsi in eum finem nobis datam ut [b] arbor vitæ sit, ac [c] sermone gratiam auditoribus adferat: tamen, velut à [d] muto dæmonio obsessi, perpetuo silentio compressam tenuimus. Neque hanc solùm [e] talenti tui partem, sed etiam alias multas, in terra occultavimus: ecce habes quod tuum est. Sed ut istos ei judici relinquamus, qui meliora opera facientibus dixit, [f] *Quis quæsivit hoc à manu vestra?* [g] *Benignitate delector, non autem sacrificio; & cognitione Dei magis quàm holocaustis*: Bellarminus interim ostendit se præcipitem affectus æstu abripi, qui, ut ad infernum usque nostros deprimat, in cœlum tollit Anachoretas; & immenso laudũ præconio dilatat, quod [h] antea verbo complexus est, quum *vitam Eremiticam* asseruit *perfectissimam esse*. Satis erat dicere, *studiosam perfectionis*; saltem, *perfectam, sanctam, Deo gratam:* sed hisce non contentus pronuntiavit *perfectissimam*. Etiámne, licet nullus patriarcha, nullus propheta, ne Abrahamus quidem, [i] pater fidelium; nullus evangelista, nullus apostolus, ne Christus quidem, Dei filius, Eremita fuerit? Etiámne, licet [k] Ignatius Loiola perstrinxerit Eremitas, in iis quos aiebat, quum *dulcedine solitudinis & divinæ familiaritatis illecti proximos adiuvare negligerent, partim dæmonum illusionibus obnoxios esse, partim etiam contumaces, ac sibi placentes?* Etiámne, licet [l] quidam è lectissimis Loiolæ sociis, qui admiratione Itali cujusdam Eremitæ captus dubitare cœpit, forétne Deo gratius

[a] Mat.23.23.
[b] Prov.15.4.
[c] Eph.4.29.
[d] Luc.11.14.
[e] Mat.25.25.
[f] Esai.1.12.
[g] Hos.6.6.
[h] Lib.de monachis,ca.39.
[i] Rom.4.11.
[k] Maffei. vit. Ignat.Loiol. lib.3. cap.2.
[l] Ribadeneir. vit.eiusd. lib. 2.cap.9.

ac ſibi utilius Jeſuiticam vitam vivere, an Eremiticam, non ſolùm à Loiola reprehenſus ſit, dicente, *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* ſed etiam divino viri armati diſtrictum ei gladium intentantis ſpectro perterritus, & in fugam actus, quòd ad Eremitam, hac de re cum eo colloquuturus, ire pergeret? Etiámne, licet [a] Bellarminus ipſe affirmet Eremitarum & omnium Monachorum ſtatum minùs eſſe perfectum quàm Epiſcoporum: quòd ſtatus Epiſcoporum ſit ſtatus perfectionis adeptæ, Monachorum autem ſit perfectionis acquirendæ? Etiam: quicquid ipſe, quicquid Patres ejus, quicquid Scriptura tradat de aliorum præſtantia excellentiáq; præ Anachoretis & Eremitis: tamen horum vitam pronuntiat perfectiſſimam. Quid ergo reſtat, niſi ut optem, ſicut ſcriptum eſt de iis quos nullo modo è volutabro cœni extricare queas, [b] *Qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc:* ſic Jeſuitæ, qui perfecti ſunt, evadant perfectiſſimi, & in eremum abeuntes è cunctis cœtibus Chriſtianis fiant [i] Anachoretæ. Cuius dignitatis culmen & faſtigium (ne cui [c] Anglicana ſanctio ſuſpecta ſit ob religionem) Pariſienſis, tûm [d] Academia cenſuit jam pridem, tandémq; [e] advocati ſui ore docuit, eos meruiſſe: tûm [f] Senatus publico decreto definivit, & omnes Jeſuitas ex vniverſo Galliæ regno in exilium perpetuum ejecit. Nec magnopere dubito quin multi Senatores & advocati, in aliis item nationibus, perfectiſſimorum titulum libenter ipſis conceſſuri ſint ea conditione, ut in deſertas inſulas, unde nec facta Pelopidarum nec nomen audiamus, ſecedant; & in illiuſmodi perfectionis ſtatu totam vitam tranſigant. Aut, ſi juriſprudentia

[a] Lib. de monachis, cap. 2.

[b] Apoc. 22. 11.

[i] ἀναχωρηταὶ, παρὰ τὸ ἀναχωρεῖν.

[c] Anno regni Eliz. 27. cap. 2.

[d] Ribad. vit. Ignat. Loiol. lib. 4. cap. 11.

[e] Ant. Arnald. act. habita pro Academ. Pariſ. contra Ieſuitas.

[f] Senatuſconſ. Parlam. Pariſ. adverſ. I. Chaſtel diſcipulũ Ieſuitarum, propter parricidium in Regem attentatum.

dentia negabit sibi hoc licere per [a] Justinianeam legem de dignitate perfectissimatus: at poëtica facilè nobis permissura sit, ut titulum æquè celebrem ex [b] Virgiliano versu à *Britannis* ad eos transferamus: *Et penitus toto divisos orbe* * Suitas.

[a] L. un. C. de perfectissimatus dignitate.

[b] Eclog. 1.

* *Sicut* Coniam *pro* Iconia *dicit Scriptura:* Ier. 22. vers. 24. & 28.

8 Jam verò, ut Apostoli Pauli imitatio, similiúmq; Pauli, à [c] Spiritu sancto commendata, Lutherum liberavit ab altera Bellarmini criminatione, quòd asseveraverit omnes fideles æquè sanctos esse, atque est ipsa Virgo Maria, ceteriq; Divi, etiam Anachoretæ: ita & ab altera eum liberabit, quòd dixerit se æquè magni æstimare preces cujuslibet hominis fidelis, ac preces Mariæ. Hac enim sententia, Lutherus, ut impias & blasphemas preces Pontificiorum, ea, quæ Dei propria sunt, ancillæ Dei (ut [d] ipsa se modestè agnovit) tribuentium, dum [e] Mariam, vitam, dulcedinem, spem suam, & Reginam cœli appellant, corrigeret; significavit ejus preces ex gratia, fidelibus omnibus communi, non ex ulla ipsius potestate & merito, efficaces esse: haud multo secus, atque Paulus & Barnabas [f] dixerunt, se quoque esse homines, iisdem, quibus Lystrenses, affectionibus obnoxios, ut eos revocarent ab impio sui cultu; & Jacobus, excitans fideles ut orent alii pro aliis, ait [g] Eliam hominem fuisse iisdem, quibus nos, affectionibus obnoxium, cujus preces tamen exauditæ sint. [h] Elias quidem excelluit inter Judæos multis ac magnis prærogativis divinæ gratiæ: atque, si justitiam spectemus inhærentem, erat aliis sanctior. Sed quoniam efficacitas precum humanarum pendet ex promisso facto credentibus, [i] *Petite, & dabitur vobis*; [k] *Quæcunque precando petieritis, si credideritis, accipietis*;

[c] Phil. 3. 17. Heb. 13. 7.

[d] Luc. 1. 38.

[e] *In canticis,* Salve regina, *&,* Regina cœli.

[f] Act. 14. 15.

[g] Iac. 5. 16.

[h] 1. Reg. 17. 4. & sequentib. 2. Reg. 2. 11.

[i] Mat. 7. 7.

[k] Mat. 21. 22.

pietis; [a] *oratio fidei ſervabit laborantem*: propterea Jacobus Eliam hoc reſpectu aliis exæquat; eóſq; ſimiliter, ſi cum [b] fide poſtulent, à Deo impetraturos quæ poſtulant, affirmat. Quò ſpectat, quod [c] Lutherus, quum dixiſſet ſibi tam gratam eſſe alterius orationem quàm ſanctiſſimæ Virginis Mariæ: *Nam ſi credis*, inquit, *Chriſtum æquè in te atque illa habitare, non minùs tibi quàm illi proclive eſt, ut me adiuves*. Et hæccine eſt horribilis blaſphemia Lutheri in eam, quam appellat Virginem ſanctiſsimam? In eam, quam ut matrem Dei veneratur; & Dei filiam eſſe, ſingulariter dilectam, præ ceteris mulieribus gratia & dotibus inſignem, pronuntiat? In eam, cui honorem, quemcunque Deus tribuit, à ſe concedi docet: ſed, ut DEAM quandam & idolum ex ea faciamus, hoc non placere? In eam demum, quam negat ſe agniturum pro [d] advocata: at pro deprecatrice libenter habiturum, ut & alios Sanctos? Atqui tantum abeſt ut illa in ſententia, non dico, blaſphemaſſe, ſed vel deliquiſſe omnino videatur: ut molliùs ſit loquutus quàm neceſſe fuit, id aſſerens non minùs proclive eſſe cuilibet fideli ſuperſtiti, quod magis eſt proclive. Nam ſancti defuncti precantur pro eccleſia in genere duntaxat; ut declarabo libro tertio, ſi Deus voluerit: nec vident quarum rerum inopiâ premamur in particulari, aut gemitus noſtros audiunt. Sancti autem vivi, & ſigillatim preces fundere pro nobis, & certiores per ſermonem epiſtolámve de rebus noſtris reddi poſſunt. Quòd niſi has ob cauſas potiùs expetendum ſit, ut precibus vivorum fidelium adjuvemur, quàm ut defunctorum: cur Paulus [e] Romanorum, [f] Epheſiorum, [g] Coloſſenſium, [h] Theſſalonicen-

[a] Iac. 5. 15.
[b] Iac. 1. 6.
[c] Poſtill. Evang. in die Nativit. Mariæ.
[d] Ioh. 2. 1.
[e] Rom. 15. 30.
[f] Eph 6. 19.
[g] Col. 4. 3.
[h] 1. Theſſ. 5. 25. 2. Theſſ. 3. 1.

lonicenſium, & [a] Hebræorum orationes pro ſe ad Deum flagitat; nec uſquam, ut Maria pro ipſo intercedat, orat? Cur Jacobus admonet fideles Judæos è quacunque tribu per orbem terræ diſperſos, ut [b] confiteantur alii aliis offenſas, & orent alii pro aliis: nec, ut Mariæ preces auxiliúmq; poſtulent, eos commonefacit? Aut, ſi excipiat Jeſuita Mariam non fuiſſe adhuc in cœlum aſſumtam, quum Paulus & Jacobus ſcriberent; quanquam hoc parum eſſe veriſimile ex [c] Baronii ſui annalibus poteſt diſcere: cur neuter imploravit, implorandúmve docuit, [d] Jacobum Zebedæi; cujus [e] *numen Hiſpani invocant?* aut Abrahamum; quem dives oravit, [f] *Pater Abraham, miſerere mei?* aut Johannem Baptiſtam; cui [g] Campianus cauſam iterq; ſuum, ut *Divo* ſuo *tutelari*, ſæpe commendavit, eumq; precatorem ad Deum adhibuit? Profectò, vel Apoſtoli, qui [h] dictante Spiritu ſancto ſcripſerunt, deliquerunt aliquid in epiſtolis ſuis: vel Lutherus rectè pronuntiavit, cuivis, in quo Chriſtus per fidem æquè habitet, atque in Maria, non minùs, quàm illi, proclive eſſe ut nos adjuvet. Itaque Lutherum agnoſco duo magna peccata commiſiſſe: ſed illa, quorum Eraſmus eum condemnavit, ob tactam Papæ coronam, & Monachorum ventres; non iſta, quorum Bellarminus. Immò, quum reddetur unicuique ſecundum opera ſua, non dubito quin laudem reportaturus ſit, quòd ad coercendam idololatriam, ut Paulus Barnabáſq; ſeipſos aliis hominibus, ſic ille præſtantiſſimos Sanctorum ceteris æquavit.

[a] Heb. 13. 18.

[b] Iac. 5. 16.

[c] Annal. eccleſ. tom. 1. ann. Dom. 48. 52. 53. 58. 59. 60. & 63.

[d] Act. 12. 2.

[e] Vaſq. Chron. Hiſp. ann. Dom. 825.

[f] Luc. 16. 24.

[g] Epiſt. ad Ever. Mercur. præpoſ. gener. Societ. Ieſu.

[h] 2. Tim. 3. 16.

CAP.

CAP. IV.

Magdeburgenſes horribilium in omnes cœlites blaſphemiarum falſiſsimè à Bellarmino argui.

Bellarminus.

VEniamus ad Magdeburgenſes; ipſi enim ſunt præclari illi, religioſiſsimiq; hiſtorici, qui in priore libro primæ Centuriæ, dum Chriſti vitam exponunt, B. Mariam uſque adeò graviter deliquiſſe volunt, cùm filium in templo amiſit, ut eius peccatum cum illo primo & graviſsimo Evæ peccato non ſolùm comparare non metuant, ſed etiam utrum ſit gravius, quærere & dubitare non vereantur. Iidem poſtea in poſteriore eiuſdem Centuriæ libro, Petro Apoſtolorum Principi quindecim lapſus & errata tribuunt, quorum aliqua ſempiternis cruciatibus digniſsima eſſe docent: nec multò infrà, Apoſtolum Paulum reprehendunt, quòd in Aſia ſupra modum gravatus, de vita deſperaverit; quodq; in gratiam Jacobi Judaicas cæremonias Hieroſolymis obſervaverit, & eo facto magis Judæos in errore confirmaverit, quàm imbecilles fratres adiuverit. In tertia verò Centuria, & ſequentibus omnibus,

ad

ad finem capitis quarti, Patres omnes accusant, quòd non opiniones tantùm incommodas, & nævos, sed etiam errores, & stipulas, & fumos in Ecclesiam scriptis suis invexerint, adeò ut nisi Lutherus facem nobis doctrinæ prætulisset, caliginemq; illam tempestivè dissipasset, iam fumo excæcati, enectiq; omnes essemus.

Rainoldus.

HOrribiles blasphemias à nostris jaci, non in unũ, sed in omnes cœlites, Bellarminus improbè falsissimèq; conatus est ex Erasmo & Luthero evincere. Sed Magdeburgenses, quos appellat præclaros & religiosissimos historicos, per ironiam, tanquam contemnendos & inprimis impios; Magdeburgenses, qui Sanctorum retegunt peccata, ut [a] Elihu Jobi, quia [b] nullius personam accipit; Magdeburgenses ii sunt, ex quibus luce clariùs ostensurus est hoc crimen nostris meritò à se objectum esse. Nam [c] antea, quum viam per Petri prærogativas sibi muniret ad prærogativas Papæ, quem errare posse suspicabuntur Protestantes si Petrus sæpe errârit, Bellarminus dixerat, è quindecim Petri lapsibus, quos Magdeburgenses affirmant in divinis literis exstare, quatuordecim esse horrenda mendacia & blasphemias Magdeburgensium. Hîc verò, ad horribiles illas quatuordecim blasphemias in Petrum, alias

[a] Iob. 33. 12. & 34. 7.
[b] Iob. 32. 21.
[c] De Rom. Pont. lib. 1. cap. 17.

lias in Mariam, in Paulum, & in Patres omnes adjungit. Atque, ut remordeat Magdeburgenſes, Lutherum, cujus opera Deus, ad ſuorum in tenebris & umbra mortis ſedentium conſolationem, doctrinæ facem accendit, irridet, ſicut ſcriptum eſt: [a] *Inter hypocritas facetos ſanniones faceti, frendentes contra me dentibus ſuis.* Quocirca, ſi patebit, Magdeburgenſes negare Mariæ peccatum peccato Evæ par fuiſſe; nec omnino quicquam blaſphemè de Petro, aut Paulo affirmare; & Patribus nævos erroréſq; verè attribuere: non impedio quin omnes Bellarminum habeant pro petulante rabula, & malitioſo ſycophanta.

[a] Pſal. 35. 16.

2 Ac de Maria quidem manifeſtiſſimum eſt eum Jeſuiticè & ſplendidè mentiri, dicendo Magdeburgenſes velle Beatam Mariam uſque adeò graviter deliquiſſe, quum [b] filium in templo amiſit, ut ejus peccatum non ſolùm comparent cum illo primo & graviſſimo Evæ peccato; ſed etiam, utrum ſit gravius, quærant & dubitent. Nam illi, quum recitaſſent quid alii faciant, his verbis, [c] *Solet hîc de peccato Mariæ, ob amiſſionem filij Meſſiæ, facta collatione ad peccatum Evæ, quæ ſalutem hominum initio evertit & amiſit, quæri; exaggeratur factum Mariæ, quia circa maius obiectum verſatur, nempe mundi Salvatorem:* num comparationem exaggerationemq; iſtam probant ipſi? Immò improbantes, ac redarguentes, *Vtraque*, inquiunt, *delicta non ſunt exigua: ſed tamen non tantùm ſecundum obiecta diſcernuntur peccata, verùm magis principaliter etiam*

[b] Luc. 2. 43.

[c] Cent. 1. lib. 1. cap. 10. in vita Chriſti.

am ſecundum interiores cauſas, nempe iudicium & aſſenſum voluntatis : Eva ſciens & volens facit contra mandatum Dei ; Maria inſciens & contra voluntatem amittit filium. Ita Magdeburgenſes non modò non dubitant utrum peccatum gravius ſit : ſed etiam peccatum Evæ gravius eſſe affirmant adſtruúntq;. Et verò, licèt illam graviter peccaſſe in amiſſione filii arbitrentur, eo forſan adducti, quòd ipſa ſe [a] angore cruciatam fuiſſe dicit; unde & [b] Janſenius colligit metuiſſe, ne in gravem & culpabilem negligentiam ſibi apud Deum imputaretur derelictio pueri, quem ſciebat ſuæ curæ commiſſum eſſe : tamen à tanta peccati gravitate, quantam innuit Evæ collatio, ſic exculant, ut pium dignitatis ejus tuendæ ſtudium perſpicuè teſtentur. Quemadmodum enim [c] Stella, inter Pontificios, quum exemplo Virginis, quæ Chriſtum non amiſit à perſequutione Herodis fugiens in Ægyptum, nec ibi exiſtens, aut rediens, ſed in feſto & maxima ſolennitate, hoc innui obſervaſſet, *in mundi felicitate & affluentia potiùs quàm in perſequutionibus & tribulationibus Chriſtum amitti* ; illuſtrat rem exemplo Adami, *qui, in magnis honoribus conſtitutus, graviſsimè in Dominum Deum ſuum peccavit* : haud diſſimiliter nonnulli inter noſtros (ii ſunt [d] Major & [e] Pomeranus, niſi me [f] Caniſius fallit) de Mariæ Chriſtum amittentis culpa, quaſi comparanda cum peccato Evæ, mentionem fecerunt. Quorum ſententiam quum Magdeburgenſes, non ſolùm teſtificentur ſibi diſplicere, ſed etiam refellant : nónne, ſiquis candor in Bellarmino foret, contu-

[a] Luc. 2. 48.
[b] Comment. in concord. Evang cap. 12.
[c] Comment. in Evang. Luc. cap. 2.
[d] In Evang. Dom. 1. poſt Epiphan.
[e] In cap 44. Prophetæ Ieremiæ.
[f] Præfat. in opus de Maria Virg.

[a] Deut. 33. 9. contuliſſet eos potiùs cum Levi,[a] qui fratres ſuos non agnoſcit, quàm alienam culpam ipſis imputaſſet? Sed

[b] Rom 8. 29. nimirum Magdeburgenſes [b] conformari oportuit illi-

[c] Pſal. 69. 5. us imagini, in cujus typo dictum eſt: [c] *Quod non rapui, rependere cogor.*

3 Verius affirmantur Petro quindecim lapſus & errata tribuere, quorum aliqua ſempiternis cruciatibus ſint digniſſima: ſed nihilo verius traducuntur tanquam vel unam horribilem blaſphemiam, nedum quindecim, in Petrum jaciant. Immo neque ipſe tam multarum eos apertè inſimulare & accuſare audet: qui [d] antè affirmavit unum è quindecim, ſcilicet quo [e] Petrus negavit ſe noviſſe Chriſtum, idq; pejerando, graviſſimum fuiſſe; ac meritò, ut fœdum & horrendum lapſum, à Magdeburgenſibus notari. Proinde quum atrocem blaſphemiarum horribilium dicam iis impegerit, & loco probationis mentionem quindecim lapſuum ita faciat, ut ſuſpicari poſſit lector in omnibus erratis, quæ objiciunt, culpæ eos argui; potiſſimùm verò in quibuſdam, quæ ſempiternis cruciatibus digniſſima eſſe docent: injuria eſt, tametſi levior. Gravior, quòd [f] ibi quoque, ubi planiùs actionem illis hanc intendit, ait: *Magdeburgenſes, Cent. 1. lib. 2. cap. 10. col. 558. & ſequentibus, diligenter enumerare ſtuduerunt quindecim peccata, atque horrendos lapſus (ut ipſi loquuntur) S. Petri; quæ divino conſilio in divinis literis exſtare dicunt, ne nimis multum Petro tribuamus: & excepta Chriſti negatione, quam graviſſimum peccatum fuiſſe, negari non poteſt, cetera quatuordecim, non B. Petri horrenda peccata, ſed Magdeburgenſium horrenda mendacia & blaſphemiæ ſunt, ut poſtea demonſtrabimus.* De-

[d] De Rom. Pont. lib. 1. cap. 17.

[e] Matt. 26. 74.

[f] De Rom. Pont. lib. 1. cap. 17.

metrius

metrius Phalereus, orator parum vehemens, dulcis tamen, inquit [a] Cicero. Bellarminus, contrà, orator valde vehemens est, sed amarus. Nec enim satis habet orationem suam mendaciunculis aspergere; quod in narratione jocosa probat [b] Julius; ne ipse quidem (arbitror) in seria probaturus; certè nec rhetori id permittit [c] Vives, nedum theologo: verùm Bellarminus eam refercit mendaciis tam crassis & inverecundis, ut impudentiora non putem hæresiarcham, primogenitum Satanæ à [d] Polycarpo dictum, fingere potuisse. Nam Magdeburgenses, postquàm declarassent *operæpretium esse, non modò singularia dona, quibus Apostoli ornati erant, explicare, sed ipsorum etiam imbecillitates, peccata, & lapsus quosdam insignes; præsertim quorum non puduit ipsum Spiritum sanctum in monumentis sacris mentionem facere; quòd hæc erudiant pios, nullo modo omnibus numeris absolutam perfectionem in Apostolis fuisse; posse vel præstantissimos viros hallucinari, & labi; nec ipsos alia ratione, quàm nos miseros peccatores, nempe gratis, per fidem in Christum, remissionem peccatorum, iustitiam, & vitam æternam consequutos esse:* recensent varios lapsus & errata Petri, Apostolorum principis, atque ad extremum ea sic concludunt; [e] *Hi nævi & lapsus Petri, non sine consilio Spiritus sancti, memoriæ sunt in sacris libris traditi: fuitq; non postrema causa procul dubio, ne Petro nimium attribueretur; id quod posterioribus seculis futurum esse Deus prævidit.* Jam verò Bellarminus, hanc Magdeburgensium sententiam quasi recitans, ait illos enumerare studuisse quindecim, nævósne & lapsus, ut loquuntur ipsi,

[a] De offic. lib. 1.

[b] Apud Cicer. lib. 2. de orat.

[c] De tradend. disciplin. lib. 4.

[d] Euseb. hist. eccles. lib. 4. cap. 14.

[e] Cent. 1. lib. 2. cap. 10. col. 560.

notantes partim levia, partim gravia errata? immò *quindecim*, inquit, *peccata, atque horrendos lapſus.* Nec puduit eum addere, *ut ipſi loquuntur*; tanquam non ſententiam modò, ſed & verba Magdeburgenſium exprimeret de peccatis quindecim: quum illi [a] duos tantùm horrendos lapſus nominent; unum, ob quem Petrus [b] Satanas à Chriſto nuncupatus eſt; alterum, quem negari non poſſe, ait Bellarminus, graviſſimum fuiſſe. Quin etiam diſtinctè & accuratè indicavit, qua Centuria, quoto libro, quoto capite, quibus columnis, ſcripta ſint quæ citat; neque hoc ſemel duntaxat, ſed [c] iterum: ut oſtenderet ſeſe ante oculos habuiſſe ipſum volumen, de quo mentiebatur; & tamen, os hominis, non erubuiſſe. Sanè, ut [d] injuſtus ille diſpenſator, qui prudenter ſibi proſpexit de victu, laudatus eſt à domino: ita mihi valde videtur prædicanda [e] Romani Pontificis ſapientia, quòd Lutheranorum, quos appellat, librorum lectionem, non modò laicis, clericíſve imperitioribus, ſed etiam Theologiæ profeſſoribus cunctis, exceptis Inquiſitoribus ſolis, interdicat. Namque nunc quàm multi, famoſis Bellarmini ſcriptis inducti, de Magdeburgenſibus malè ſentiunt; fortaſſis etiam è cathedris Academiarum, templorúmq; ſuggeſtis, in eos, ut Sanctorum hoſtes, debacchantur: qui, ſi locos ipſos citatos inſpicerent, tûm iſtum inſignem eſſe falſarium, tûm illos Chriſtianè loquutos, deprehenderent? Verùm enimverò, ad ſcopum attingendum, ad quem Gregorius Decimustertius ea decretali collineavit, hoc reſtat, ut, quod [f] Poſſevinus ſuadet de Maſio, Janſenio, Sigonio, id

[a] Column. 558. & 560.
[b] Matt. 16. 23.
[c] De Rom. Pont. lib. 1. cap. 28.
[d] Luc. 16. 8.
[e] Septimi decretalium, lib. 5. tit. 4. cap. 6.
[f] Biblioth. ſelect. lib. 2. cap. 8. & 18. lib. 4. cap. 13.

id de Bellarmino item ſtatuatur: nempe, ne legatur paſſim à quibuſvis, priuſquàm Hiſpanorum, aut aliorum ſacræ Congregationis Indicis Conſultorum cenſura repurgetur. Etenim, quia mendaces non poſſunt ſemper eſſe memores, ſuas ipſe fraudes calumniáſq; ſæpe prodit. Ut hîc, quum ait *Petro à Magdeburgenſibus quindecim lapſus & errata tribui, quorum aliqua ſempiternis cruciatibus digniſſima eſſe doceant*. Quis enim, cui noti ſint Magdeburgenſes atque Bellarminus, aut illos exiſtimet ullum lapſum horrendum non ſempiternis cruciatibus digniſſimum judicaturos: aut hunc, ſi illi quindecim iſtiuſmodi lapſus Petro tribuiſſent, affirmaturum fuiſſe, aliquos è quindecim ab illis tales perhiberi. Sed ut Bellarminum in eo quoque ſui ſimilem eſſe pateat, quòd ait ſe demonſtraturum, quatuordecim lapſus qui à Magdeburgenſibus Petro tribuuntur, eſſe quatuordecim horrenda mendacia & blaſphemias Magdeburgenſium: percurramus eos ſigillatim ordine; & quales Bellarminus demonſtrationum cuniculos agat, videamus.

4 Primò igitur Petrus, [a] quum ei aliiſq; diſcipulis turbatis, quòd Jeſum ſuper mare videntes noctu ambulantem ſpectrum eſſe putarent, dixiſſet Jeſus, *Confidite; ego ſum, ne timete: Domine*, inquit, *ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas*. Quo jubente, venire cœpit. Sed videns ventum validum, timuit: & quum cœpiſſet demergi, clamavit, dicens, *Domine ſerva me*. Statim autem Jeſus, extenta manu, apprehendit eum, dicítq; ei: *Exigua fide prædite,* [a] Matt. 14. 25.

quid dubitaſti? Hîc Magdeburgenſes aiunt Petrum labi, quòd præter *vocationem ex quadam curioſitate petat, ut evocetur in mare : ideóq; poſtea puniri, & in maiora peccata incidere, nempe in dubitationem, ac imbecillitate fidei laborare.* [a] Bellarminus contrà, *nullum in hac re Petri eſſe peccatum* aſſerit. Quid ita? *Nam*, inquit, *ſi peccaſſet Petrus petendo, ut evocaretur in mare, non obtinuiſſet quod petiit : non enim miracula Dei cooperantur peccatis noſtris.* Præclarè. Quaſi verò non peccârint [b] Iſraelitæ, dicentes, *O ſi quis daret nobis comedendam carnem; recordamur piſcium quos edebamus in Ægypto :* quum tamen [c] obtinuerint carnem quam optabant? aut [d] miraculum Dei propterea ſit dicendum cooperatum eſſe peccato illorum : quia Deus rectè operatus eſt, quod illi malè concupiſcebant. Mirum ni Chriſti etiam miracula dicat Bellarminus cooperata eſſe incredulitati, cûm regii illius viri, cui dixit, [e] *Niſi ſigna & miracula videritis, non credetis :* tûm Apoſtoli Thomæ; [f] cujus cauſa venit in domum, foribus clauſis, in qua diſcipuli erant, eíq; ſe ſiſtens, ut manus ſuas & latus videret tangeretq;, *Ne eſto*, inquit, *incredulus, ſed credens.* At ego arbitrabar imbecillitatem fidei, quam Chriſtus in his duobus notat, non impediviſſe quin is, qui [g] arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, in eorum gratiam ederet miracula. Quòd ſi [h] Janſenius Thomam inſimulat curioſitatis, &, ut reor, meritò; nec enim Poſſevinus hoc in eo carpit; & [i] Auguſtinus Thomam ejuſdem culpæ arguens laudatur à [k] Toleto; ſed ſi illi rectè Thomam inſimulant curioſitatis, quoniam Apoſtolis Chriſtum

[a] De Rom. Pont. lib. 1. cap. 28.

[b] Num. 11. ver. 4.

[c] ver. 31.

[d] ver. 18.

[e] Ioh. 4. 48.

[f] Ioh. 20. 26.

[g] Matt. 12. 20.

[h] Comment. in concord. Evang. cap. 147.

[i] Serm. 159. de temp. 55. in append. de diverſ. tom. 10.

[k] In Evang. Ioan. cap. 20.

Christum se vidisse dicentibus non credidit, nisi ipse etiam videret ac tangeret: adeóne horrendum scelus commiserunt Magdeburgenses, curiositatis Petrum arguentes, qui non credidit Christo se Christum esse asserenti, nisi miraculo rei fidem faceret? Timorem autem Petri & dubitationem jure etiam culpari, quid affert Bellarminus cur inficietur? *Est*, inquit, *singularis in hac re Petri fides*. Esto; quoad promtam ingressionem maris: at in timore subsequuto apparet diffidentia. At [a] Maximus ait *Petrum de se diffisum esse, non de Domino dubitasse*. At Christus, major Maximo, eum de Domino dubitasse indicat. Is enim culpat Petri diffidentiam, dicens, [b] *Exigua fide prædite, quid dubitasti?* Rem autem laude dignam feciſſet Petrus, si duntaxat de se diffisus esset, ut agnoscit Maximus: præsertim in edendo miraculo, quod vi divina fit, ut [c] Petrus rectè docuit. Dubitavit ergo Petrus de Domino. In quo si adversarii non credant conclusioni meæ contra Maximum: credant de suis ei, quem [d] Baronius vigilantissimum sacrarum literarum interpretem appellat; cujus commentarios, [e] non solùm Gozeus, sacræ theologiæ professor Lovanii, & librorum censor, magna tûm pietate, tûm eruditione, ac judicio maturo scriptos affirmat; sed etiam Molanus, censor Regius & Pontificius, summa diligentia castigatos & auctos, propter singularem pietatem, & eruditionem, reipublicæ Christianæ utilissimos esse, communiter à doctis viris judicari ait; quem denique [f] Possevinus, censor censorum, in omnibus, quæ scripsit, præsertim in concordiam Evangelicam,

[a] Serm. 1. de natali Apost.

[b] Matt. 14. 31.

[c] Act. 3. 12.

[d] Apparat. ad Annal. ecclesiast. Tom. 1.

[e] Censura cõment. Ianſ. in concord. Evang.

[f] Biblioth. select. lib. 2. cap. 18.

& in Proverbia, ſe magno valentem judicio, & eruditum, oſtendere confitetur. Quis is eſt? Janſenius; [a] qui Petri ſuper aquas ambulantis fidem infirmam fuiſſe colligit ex diffidentia, quam venti conſpectus excitavit: & *hinc docemur*, inquit, *quæ ſit naturæ noſtræ in diffidendo ſtupida facilitas: Petrus enim, qui fide quod maius erat ſuperavit, nempe undas maris, à minori turbatur & ſuperatur, nimirum à venti impulſu*. Quare, ſi Magdeburgenſes tribuiſſent Petro, non imbecillitatem fidei, ſed ſtupidam in diffidendo facilitatem: nihil feciſſent ampliùs, quàm quod à Baronio, Gozeo, Molano, & Poſſevino probatur. Quum autem lenioribus verbis hunc illius nævum aperuerint: judicent Chriſtiani, quo ſpiritu Jeſuita eos horrendi mendacii & blaſphemiæ primo loco arguat.

[a] Comment. in concord. Evang. ca. 58.

5 Secundò, [b] Jeſum indicantem oportere ſe abire Jeroſolymam, & multa pati à Senioribus, & primariis Sacerdotibus, & Scribis, & occidi, ſed tertio die reſurrecturum, Petrus reprehendit, dicens, *Propitius tibi eſto, Domine: nequaquam erit tibi hoc*. Quo ille ſic commotus eſt, ut diceret Petro, *Abſcede à me Satana, offendiculo es mihi: nam non ſapis quæ ſunt Dei, ſed quæ ſunt hominum*. Hiſce autem verbis Magdeburgenſes aiunt *horrendum lapſum deſcribi, quo æternam Petrus damnationem meruiſſet, niſi ex ingenti miſericordia eſſet retractus*. At Bellarminus regerit, *Reſpondeo, longè aliter hoc factum Divus Hieronymus æstimavit. Nam in caput decimum quartum Matthæi, In omnibus locis, inquit, ardentiſsimæ fidei invenitur Petrus. Inter-*

[b] Matt. 16. 21.

terrogatis discipulis, quem homines dicerent Jesum, Dei filium confitetur : volentem ad passionem pergere prohibet; & licet erret in sensu, tamen non errat in affectu. Et in caput decimum sextum : Mihi, inquit, hic error Apostolicus, & de pietatis affectu veniens, nunquam incentivum diaboli videbitur. Malè factum à Bellarmino, quòd non decimum quintum item Petri lapsum, quo [a] negavit se nosse Christum, defendit contra Magdeburgenses, eum, ut horrendum, similiter traducentes. Siquidem in eundem modum, immò pleniùs, regerere potuisset; Respondeo, longè aliter hoc factum Divus Hilarius, & Divus Ambrosius æstimaverunt. Nam ille, canone tricesimo secundo in Matthæum, *Diligenter*, inquit, *contuendum est, qua conditione Petrus negaverit : ait se hominem non nosse : & verè propè iam sine pinculo hominem negabat, quem Dei filium primus agnoverat.* Hic autem, libro decimo commentariorum in Lucam, *Proditus*, inquit, *quòd cum Jesu Nazareno fuisset, ait, Nescio hominem : & cum iuramento respondit, quia nesciret hominem : & bene negavit hominem, quem sciebat Deum.* Quin etiam [b] Possevinus, utcunque rigidissimus criticorum criticus, tamen remissè ac molliter se gessit in libris de ratione studii theologici, quos Villavincentius edidit, tantopere, sine ulla censoria nota, collaudandis. [c] Is enim duos hosce Petri lapsus copulans atrocissima voce, *Satanicus*, inquit, *fuit Petrus, tûm semel Christum negando; tûm & eundem, quasi errantem, aut imprudentem, corrigendo.* Neque verò Hyperii fuit hæc sententia, ex cujus erudito opere opus

[a] Matt. 26. 72.

[b] Bibliothec. select. lib. 2. cap. 17.

[c] Laurent. à Villavincentio de rat. stud. theolog. lib. 4. cap. 2.

ſuum compilavit Frater Villavincentius, correctis illis omnibus quæ Pontificios tangunt; ut alieno labore magno partam gloriam verbis ſæpe in ſe tranſmovent, qui habent ſalem, quod in Papiſtis eſt: ſed ab ipſo prodiit, in iis ob quæ, adverſus Hyperium interpolata, Poſſevino maximè probatur opus plagiarii. Nimirum iſti fures, etſi Magdeburgenſibus æquè ſint infeſti, ac lupi canibus eſſe ſolent: tamen non ſunt auſi in eo contradicere, in quo nefariæ poſſent convinci impudentiæ clariſſimis verbis Chriſti. Etenim, ſi Chriſtus, qui [a] leniſſimus fuit, neque [b] vel lingua unquam lapſus eſt, eum tantummodò Satanam vocaſſet: certè atrocitas nominis, inſigniſſimum Dei adverſarium [c] plerunque ſignificantis, ſed quàm molliſſimo ſenſu, Petrum adverſatum eſſe voluntati Dei oſtenderet. Sic autem adverſari, ut offendiculo ſis; idq; non cuivis, ſed Chriſto Dei filio: quiſquámne dubitabit, quin peccatum ſit æterna morte dignum, qui nôrit quid mereatur [d] quiſquis offendiculo fuerit uni ex parvis in Chriſtum credentibus? Præſertim quum obſtare atque impedire ne unus quiſpiam horum inoffenſo curſu in mandatis Domini, hoc eſt, in via vitæ pergat, mortiferam importet peſtem uni ſoli: at Petrus objiciens impedimentum Chriſto, quo abrumperet iter vocationis ſuæ, nec mortem pro humano genere pateretur, omnes electos; quantum in ipſo fuit, ſalute ſpoliavit. Quare, ſi quid aliter ſenſiſſet Hieronymus: id celare potiùs debuit Bellarminus, quàm Chriſto opponere. Verùm & Hieronymus verborum ſpecie magis diſſentit, quàm reipſa. Nam affirmat Petrum erraſſe in ſenſu, quia Dei filio indignum eſſe

[a] Matt. 12. 19.
[b] 1. Pet. 2. 22.
[c] Matt. 4. 10. & 12. 26. Luc. 10. 18. & 22. 31.
[d] Matt. 18. 6.

esse duxit, ut occideretur: quem errorem ejus [a] postea vocat *pravæ confessionis errorem*. Quum autem eum dicit fidei ardentissimæ hac in re fuisse, notat alteram culpam, ardorem nempe nimium: sicut, de hoc ipso Petri lapsu agens, *Sæpe*, inquit, *diximus nimij ardoris amorísq; quàm maximi fuisse Petrum in Dominum Salvatorem*. Et quantumvis neget errasse in affectu, quòd amârit Dominum: tamen, quòd amantis affectu dissuaserit ne mortem pro salute hominum oppeteret, in eo cúm ipsius, tûm Dei patris voluntati repugnasse asserit. Quod, quàm graviter peccent, qui præ amore faciunt, agnoscit observando, Christum, ad grandem terrorem audientium, illud adjeciisse: [b] hujusmodi affectus à discipulis suis sic abdicandos esse, ut crucem suam tollant; & ad quævis mala perpetienda, etiam mortem, exemplo ejus sint parati. Inficiatur denique Petri errorem sibi incentivum diaboli visum iri, non ut eum absolvat, quod Bellarminus videtur velle, sed ut accuset potiùs. Nam [c] Hilarius, disputans non esse existimandum Petro Satanæ nomen & offensionem scandali deputari, hunc in modum scripserat: *Sciens Dominus diabolicæ artis instinctum, Petro ait, Vade retro post me; id est, ut exemplo se passionis sequatur: in eum verò, per quem opinio hæc suggerebatur, conversus, adiecit; Satana, scandalum mihi es*. Hieronymus autem hoc commentum taxans, *Multi*, inquit, *putant quòd non Petrus correptus sit, sed adversarius spiritus, qui hæc dicere apostolum suggerebat: sed mihi hic error apostolicus, & de pietatis affectu veniens, nunquam incentivum diaboli videbitur*. Nec immeritò. Chri-

[a] Comment. in Matth. cap. 16

[b] Matt. 16. 24.

[c] Canone 16. in Matthæum.

stus

[a] Matt. 16. 23. ſtus enim Petro dixit,[a] *Sapis quæ ſunt hominum*; non dixit, quæ ſunt dæmonis: oſtendens eum loquutum ex humano affectu, quod Hieronymus ait; non ex diabolico afflatu, quod Hilarius. Quum ergo Hieronymus agnoſcat Petrum ſapuiſſe quæ humana

[b] Rom. 8. 6. ſunt, quæ carnis,[b] eóq; mortifera; & nimio amore obſtitiſſe Chriſto ne vitam deponendo præſtaret vo-

[c] Matt. 16. 25. luntatem Dei,[c] quo pacto qui ſeipſum ſervare vellet, ſe ipſum perderet: Bellarminus perperam ait Hieronymum longè aliter Petri factum æſtimaſſe, quàm Magdeburgenſes. Et quocunque modo id æſtimârit Hieronymus, homo ex illorum nu-

[d] Hieron. epiſt. 62. ad Theophilum. mero ſe non eximens, quos[d] ſcribit in quibuſdam, ut homines, aberrare: is certè, qui errare non poteſt, ſic æſtimavit, ut Magdeburgenſes hac in re horrendi mendacii & blaſphemiæ accuſari nequeant, quin Chriſtus (quæ ſit verè horrenda blaſphemia Bellarmini) eodem crimine involvatur.

[e] Matt. 17. 1. 6 Tertiò,[e] quum Jeſus gloriæ cœleſtis in monte, coram Petro, Jacobo, & Johanne, ſpecimen exhiberet, Petrus, conſpectis Moſe & Elia cum Jeſu colloquentibus, dixit ei; *Domine, bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, & Moſi unum, & Eliæ unum.* In quo Magdeburgenſes *peccaſſe Petrum* aiunt, *quòd extra verbum Dei memoriam iſtius rei cultúmq; cogitaret inſtituere: quæ ſuperſtitio voce Patris cœleſtis caſtigata ſit, dicentis, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum eſt; ipſum audite.* Bellarminus contrà, *Quòd Petrus nullo modo*, inquit, *peccaverit, patet ex Marc. cap. 9. qui ait: Neſciebat*

ſciebat quid diceret ; erant enim timore exterriti . Itaque Petrus raptus erat quodammodo extra ſe , quum ea dixit : & licet in tali exceſſu mentis errare potuerit , certè peccare nullo modo potuit . Immò docet Chryſoſtomus in hunc locum , ex maximo ſervore Petri hæc verba procedere : Vides , inquit , quanto Chriſti ſervore incendebatur ; non enim quærere debes quàm prudenter hortabatur , ſed quàm ſervens caritate Chriſti , quámq; inflammatus eſſet . Sed Bellarminus errat , ignorans , aut non ſatis attendens phraſin Scripturarum : in quibus ii dicuntur neſcire quid agant , qui agunt imprudenter & inconſideratè ; peccantes ob id ipſum, quòd imprudenter agant . Jacobus & Johannes, petentes à Chriſto , ut in gloria ejus unus ad dextram ſedeat , alter ad ſiniſtram , [a] *neſciunt quid petant.* [a] Marc. 10. 38.
Judæi poſtulantes latronem Barabbam dimitti , & Jeſum innocentem crucifigentes , [b] *neſciunt quid faciant .* [b] Luc. 23. 34.
Sophiſtæ divertentes ad vaniloquentiam à fide Chriſtiana , & volentes eſſe Legis doctores, [c] *non intelligunt nec quæ loquuntur , nec de quibus aſſeverant .* [c] 1. Tim. 1. 7.
Et tamen Jacobus , ac Johannes , Judæíq; , & Sophiſtæ , non errabant ſolùm , ſed etiam peccabant. Neque verò minùs occæcabatur horum judicium aliis affectibus , ambitione, odio, æmulatione : quàm Petri mens timore . Quòd ſi vehementia perturbationis multo magis omnem ei ſapientiam ex animo excuſſiſſet , in culpa tamen eſſe poſſet nihilominus : haud ſecus , ac ſi quiſpiam ebrius impuras voces ore proferat , quas corde ſobrius conceperat . Nam , quod antè ſuaſerat conſultò & cogitatò , quum [d] dixiſſet Chriſtus [d] Matt. 16. 21.

ſibi

ſibi Jeroſolymam abeundum eſſe, ibíq; moriendum: id jam, quum [a] idem dicitur à Moſe & Elia, perturbatus ſuadet; Domine, quorſum iſta de obitu tuo in Jeruſalem? Bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis, faciamus hîc tria tabernacula, in quibus tecum maneant Moſes & Elias; & in hoc ſplendore, claritate, gloria, perpetuò degamus. Verùm ut oratio Petri ſatis indicat, non adeò conſternatum & attonitum fuiſſe, quin ſciret quid ſibi vellet; tametſi parum reputans quid velle potiùs deberet: ita Bellarminus, dicens raptum eſſe quodammodo extra ſe, non ſimpliciter raptum extra ſe, & animi impotem, ſed quodammodo, ſatis labefactat aſſertionem ſuam, Petrum nullo modo in tali mentis exceſſu peccare potuiſſe. Immò, & peccaſſe, docet laudando Chryſoſtomum in hunc locum. Quippe cujus verba, Petrum amore maximo, ſed haudquaquam prudenter hortatum eſſe, reſpiciunt quod præmiſerat, eum, qui apertè & audacter antea hortatus erat Chriſtum ne morti ſe offerret, id jam occultiùs agere: nec enim moriturum, niſi adiret Jeroſolymam, locum illius morti deſtinatum; & eam non aditurum, ſi maneret in monte, tabernaculis ad perpetuæ habitationis commoditatem excitatis. Ita, quum idem à Petro factum eſſe [b] hoc loco doceat Chryſoſtomus, quod ſuperiore factum docuerat; & in [c] eo Petrum lapſum, immò graviter lapſum eſſe, dicat: reſtat ſententiam Magdeburgenſium judicio Chryſoſtomi in genere probari; videlicet Petrum peccaſſe. Peccati quidem ſpeciem videntur Magdeburgenſes non ſatis animadvertiſſe, qui eum in memoriam rei iſtius tabernacula fieri voluiſſe autumant.

[a] Luc. 9. 31.

[b] Homil. 57. in Matthæum.

[c] Homil. 55.

tumant. Nam ipsius verba; *Bonum est nos hîc esse*, desiderasse arguunt tria tabernacula, non in memoriam rei præteritæ, sed ad præsentem habitationem cum Christo glorioso. Quanquam Bellarminus, hoc probans ex Leone, Leonis sententiam suo more mutat. Nam [a] Leo, consentiens prorsus cum Chrysostomo, ait, *non quidem improbum, sed inordinatum esse, quod cupiebat Petrus, quum salvari mundus nisi Christi morte non posset.* Nec verò erat opus ut Bellarminus adderet; *Mirum est præterea, unde novum cultum in memoriam transfigurationis, & superstitionem olfecerint Magdeburgenses.* [b] Borchardus enim monachus, in sua terræ sanctæ peragratione describens montem Thabor, *In eo etiam hodie*, inquit, *apparent trium tabernaculorum ruinæ, quæ Apostolus Petrus, nesciens quid diceret pro dulcedine & abundantia spiritus, petebat fieri.* Et [c] Beda, ante Borchardum, *In vertice*, inquit, *montis est grande monasterium, tres ecclesias habens, iuxta quod Petrus ait, Faciamus hîc tria tabernacula.* Quin etiam ad templum ibi tribus Apostolis in memoriam facti ab Helena, Constantini matre, exstructum, ut [d] Nicephorus refert, [e] Adrichomius perhibet *accessisse postea duo monasteria, ut hîc essent quasi tria, ex Petri desiderio, tabernacula: eorúmq; unum se invenire* ait *Eliæ consecratum; ac verisimile esse, alterum fuisse dedicatum Mosi.* Quo minùs est mirandum, si Magdeburgenses id Petro adhuc rudi atque infirmo in mentem venisse arbitrati sint: quod iis, qui valde firmi & periti habiti sunt, in mentem venit. Verùm, si hic error, peccati unius pro altero substituti, ac levioris quidem fortasse pro graviori, non videatur venia

[a] Homil. de transfigur. Dom.

[b] Descript. terr. sanct. part. 1. cap. 6. §. 9.

[c] De locis sanctis. ca. 17.

[d] Hist. eccles. lib. 8. cap. 30.

[e] Theatr. terr. sanct. in trib. Zabulon. cap. 95.

nia dignus Bellarmino: ſaltem ſibi temperet, vel in ſuorum gratiam, ne horrendis mendaciis atque blaſphemiis eum annumeret. Nam [a] Baronius Petrum etiam accuſat iræ immeritò conceptæ in Mariam, quæ pretioſum unguentum effudit ſuper caput Chriſti, dum *non unum Judam, ſed omnes qui aderant diſcipulos indignatos eſſe* pronuntiat. In quo aberrat ab Evangeliſtis, qui [b] *diſcipulos*, [c] *quoſdam*, arguunt ejus culpæ; omnes non arguunt. Meminerit itaque Bellarminus ſuis commune eſſe cum noſtris, quod [d] Canus è [e] Vopiſco ad hiſtoricos omnes, exceptis ſacris, accommodat: *neminem hiſtoricorum non aliquid eſſe mentitum*. Et Magdeburgenſibus eo magis parcat, quòd, tametſi lapſi ſint in ſpecie lapſus: at lapſum tamen eſſe Petrum in imprudenti & inconſiderata de tribus tabernaculis oratione, verè prædicant.

[a] Annal. eccleſ. tom. 1. ann. Dom. 34.

[b] Matt. 26. 8.
[c] Marc. 14. 4.

[d] De loc. theolog. lib. 11. cap. 4.
[e] In vita Aureliani.

7 Quartò, Magdeburgenſes, *Eſt Petrus etiam*, inquiunt, *unus ex diſcipulorum numero, & fortè non poſtremus, qui agitet quæſtionem, quis inter ipſos futurus eſſet maximus? Quam quidem inſcitiam & ambitionem Chriſtus gravi oratione crebrò retundere cogitur. Matth.* 18. 20. *Marc.* 9. 10. *Lucæ* 9. 22. Et ſanè his ſex locis, quæ Magdeburgenſes è Scripturis notant, narrantur tres diſcipulorum contentiones de primatu, in quibus omnibus Petrus adfuit: & in [f] prima, non excipitur ex eorum numero, qui agitabant quæſtionem: in [g] proxima, certiſſimè iis annumeratur, quos hæc ambitio tetigit: in [h] tertia, fit probabile eum cum ceteris ægrotaſſe, cui [i] communis ſaltem cum ceteris medicina à Chriſto eſt adhibita, ut teſtatur Lucas; ſi non [k] peculiaris etiam præ ceteris,

[f] Matt. 18. 1. Marc. 9. 35. Luc. 9. 46.
[g] Matt. 20. 24. Marc. 10. 41.
[h] Luc. 20. ver. 24.
[i] ver. 30.
[k] ver. 34.

teris, quod [a] Chryſoſtomus cenſet. Bellarminus igitur, ad certitudinem rei tam evidentis obſcurandam, excogitat ſtratagema mirificentiſſimum: & in quo prudentiam injuſti diſpenſatoris, [b] qui viginti tantùm, aut ad ſummum quinquaginta, de centum expungi juſſit, longè ſuperat. Nam in recitandis Magdeburgenſium verbis, primùm expungit dictionem *crebrò*: & pro eo quod illi habent de Chriſto, *Crebrò retundere cogitur*, ponit, *Retundere cogitur*. Tum è ſex locis, quibus ſuum *crebrò* confirmant, expungit quinque: itáq; è tribus diſcipulorum contentionibus relinquit tantùm unam; & è tribus locis eam enarrantibus relinquit tantùm unum, nempe *Matth.* 18. Quo facto, jam aggrediens horrendum mendacium & blaſphemiam Magdeburgenſium, *Scriptura*, inquit, *nuſquam dicit, in eo numero fuiſſe Petrum. Patres autem in cap.* 18. *Matthæi, Origenes, Chryſoſtomus, Hieronymus, & alij diſertè docent, non Petrum, ſed alios diſcipulos eam quæſtionem moviſſe, quia ſuſpicabantur Petrum omnibus anteponendum: & hoc ipſum ex Evangelio colligitur. Nam quum dixiſſet Matthæus cap.* 17. *extremo Petrum eſſe miſſum ad mare: ſubiungit initio cap.* 18. *In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes, Quis putas maior eſt? Quibus verbis indicat, abſente Petro quæſtionem illam fuiſſe motam. Siquidem in illa hora, qua Petrus ad mare amandatus fuerat, diſcipuli ceteri Dominum adierunt.* Euge Bellarmine: viriliter in unum è tribus quaſi [c] Horatiis involaviſti. Verùm, etſi duos eorum jugulaſſes, tertius ſatis eſſet ad victoriam omnibus Curatiis præripiendam. At tu, ne unum quidem, quem

[a] Homil. 83. in Matthæum.

[b] Luc. 16. 6.

[c] Livi. lib. 1.

quem aggreſſus es, ſuperaſti. Nam, quod ex Matthæo debellatum putas, id Marcus narrat hunc in modum. [a] *Venit Jeſus Capernaum: &, quum intraſſet domum, interrogavit diſcipulos, Quid in via inter vos diſceptabatis? Ipſi verò ſiluerunt: nam diſſeruerant inter ſe in via, quis eſſet futurus ipſorum maximus. Et quum conſediſſet, vocavit duodecim illos, & dixit eis: Si quis vult primus eſſe, erit omnium ultimus, & omnium miniſter.* Quibus verbis Marci id totum evertitur quod Bellarminus exſtruit ex Patribus, & Matthæo. Nam Patres dicunt alios diſcipulos moviſſe eam quæſtionem ex hac occaſione, quòd [b] Dominus didrachma tributi exactoribus pro ſe & Petro ſolvi jubens, eum quodam modo præ ceteris honoraſſet. Errore manifeſto: quandoquidem hoc factum indicat Matthæus, [c] poſtquàm intraſſent domum in urbe Capernaum: & diſcipulos, antequàm eò perveniſſent, de primatu in via diſceptaviſſe narrat Marcus. Præterea Marcus ait omnes duodecim adfuiſſe, quum reſpondit Chriſtus propoſitæ quæſtioni. Neque moram ullam interpoſitam eſſe, quin ad eam ſtatim reſponderit, poſtquàm eſt propoſita, ſignificat [d] Matthæus. Quapropter, quòd *in illa hora* propoſitam ait, qua Petrus miſſus eſt ad mare: aut nomen *horæ* generaliùs uſurpat pro tempore, quod [e] Bezæ & [f] Janſenio placet; aut Petrus eâdem hora rediit, quod facilè potuit, quum [g] urbs Capernaum adjacuerit mari, & [h] citò capiantur piſces quos Chriſtus capi jubet. Ceterùm, ut demus, undecim diſcipulos id abſente Petro à Chriſto quæſiviſſe, & ipſum diſtuliſſe reſponſionem ſuam quoad Petrus reverſus eſſet: at [i] Petrum inter eos fuiſſe qui in via priùs diſcepta-

[a] Marc. 9. 33.
[b] Mat. 17. verſ. 27.
[c] ver. 25.
[d] Matt. 18. 2.
[e] In verſione huius loci.
[f] Comment. in concord. Evang. cap. 70.
[g] Mat. 4. 13.
[h] Ioh. 21. 6.
[i] Matt. 17. 24.

ceptaverant, dicit Scriptura; & inter [a] eos item, quos Christus ad modestiam ab [b] ambitiosis cogitationibus responsione sua revocat. Quòd si locus esset hîc suspicioni, Petrum, etiamsi inter eos fuerit, non tamen eadem sapuisse: at proximo in loco, *Matthæi cap.* 20. Scriptura manifestissimè Petrum ejusdem culpæ cum ceteris reum peragit, quando ait [c] *decem indignatos esse de duobus fratribus*, petentibus ut in regno Christi, unus ad dextram, & alter ad sinistram ejus, sederent. Etenim cœlestis medici oratio, idem quasi pharmacum admoventis omnibus divina ad modestiam exhortatione, docet ex eodem ambitionis morbo, & duorum fratrum postulationem, & decem reliquorum indignationem progerminasse. Quod Bellarminus poterat ex interpretibus expiscari, non solùm [d] antiquioribus, cujusmodi nobis objicit ad decimum octavum caput Matthæi; observans illud [e] Comicum, *Tu, quod scis, nescis*, ad caput vicesimum: sed etiam recentioribus, iisq; Pontificiis, & Pontificiorum inter Belgas, Gallos, Germanos, Italos præcipuis; ex Jansenio dico, & Guilliaudo, & Fero, & Cardinale Caietano; quorum commentarios ab eo tempore scriptos quo Lutherus Papam, Petri successorem, ambitionis arguit, minùs verisimile est ambitionem Petro fuisse objecturos, nisi clarissima Scripturæ luce cogerentur. Quid ergo? Num hi quoque, viri tantopere, quà [f] Sixti Senensis, quà [g] Papistarum aliorum calculis probati, horrendi mendacii & blasphemiæ condemnabuntur cum Magdeburgensibus, Bellarmino judice? An judices æquiores Bellarminum potiùs censebunt condemnandum,

[a] Marc. 9.35.
[b] Luc. 9.46.
[c] Matt. 20.24.
[d] Chrysostom. oper. & perfect. & imperfect. in Matth. Hieron. Bed. Glossa ord. Theophylact. Euthym. Dionys. Carthusian.
[e] Ter. Eun.
[f] Biblioth. sanct. lib. 4.
[g] Theologor. Parisiens. testimon. de Guilliaudo. Mich. Medin. apologia pro Fero. Andrad. pro Caietano, defens. fid. Trident. lib. 2. Pro Iansenio verò, censur. cor. quos suprà citavi §. 4.

tanquam execrabilis improbitatis sibi conscium: qui Magdeburgensium verba mutilârit, ut eos tam horrenda calumnia non immeritò pressisse videretur?

8 Pergit Bellarminus: & postquàm affirmasset *Magdeburgenses quintum lapsum esse velle, quòd Petrus restringere voluerit remissionem peccatorum ad numerum septenarium, dicens:* [a] *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? nugæ*, inquit, *sunt pueriles; nec enim Petrus restringere voluit, sed interrogat præceptorem suum.* In qua Bellarmini censura nihil magis video probandum, quàm quòd, ut futilis, ita brevis sit, & citò inepta esse desinat. Nam discipulorum præceptorem suum interrogantium quæstiones implicatum sæpe habent errorem, ut è præceptoris responsionibus patet. Jacobus & Johannes, offensi barbarorum Samaritani cujusdam vici incolarum inhumanitate, qui Christum hospitio non recipiebant, [b] *Domine*, inquiunt, *vis dicamus ut ignis descendat è cœlo, & consumat eos, ut etiam Elias fecit?* Putabant sine dubio hoc faciendum esse, de quo interrogabant: alioqui Jesus non objurgasset ipsos, dicens, *Nescitis qualis spiritus vos sitis*. [c] Qui circa Jesum erant, quum viderent manus in eum injectas à magistratuum ministris, dixerunt ei, *Domine, percutiemúsne gladio?* Petrus verò non modò percutiendum ratus est, sed & percussit: séq; id quærentem errasse patefecit, ac propterea audivit, [d] *Quicunque acceperint gladium, gladio peribunt*. Quem eodem modo hallucinatum esse, quum percontaretur, *Domine, quotics peccabit*

[a] Matt. 18. 21.

[b] Luc. 9. 54.

[c] Luc. 22. 49.

[d] Matt. 26. 52.

cabit in me frater meus, & remittam ei? an usque septies? probabile fit è Domini responsione;[a] *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Proinde, ut Pharisæi obtrectantes Christo, tanquam dæmonia per dæmoniorum principem ejicienti, repressi sunt exemplo [b] filiorum suorum, quos judices illis sistit ipse: ita Bellarminus Magdeburgensibus oblatrans, quasi Petrum calumniantibus, quòd eum hîc nonnihil errare existiment, ad silentium adigatur à suis, si non filiis, at fratribus, filiis matris suæ. Nam [c] Jansenius ait; *Petrus, putans se magnum aliquid dicere, quærit num usque septies? Dominus verò longè Petri excedens benignitatem, non septies tantùm, sed etiam septuagies septies dimittendum pœnitenti docuit.* Item [d] Guilliaudus; *Putat Petrus abunde satis esse, si usque septies remittat: & magis inclinare videtur in eam sententiam, rariùs esse remittendum, quàm sæpius.* Neque [e] Ferus aliter: *Magnum aliquid se putavit afferre Petrus, & ob id quasi gloriabundus intulit; Usque septies? Magnum sibi videbatur, & plus quàm satis, si septies dimisisset.* Ita è Scriptura id indubitanter ut liquidum & certum affirmant Pontificii: quod Magdeburgenses minùs affirmatè tradunt, dicentes, *Videtur & hæc pars aliquid habere erroris.* Quæ illorum verba, adeò modesta, ut, si deerrassent paululum à vero, tamen culpam meritò deprecari possent, Bellarminus delet; eorúmq; loco, *Quintum*, inquit, *Petri lapsum esse volunt.* Satis solerter, & convenienter dispensatoris laudati [f] prudentiæ: ne, quod dixerat Magdeburgenses hæc omnia ut horrendos lapsus objicere,

[a] Matt. 18. 22.

[b] Matt. 12. 27.

[c] Comment. in concord. Evang. ca. 72.

[d] Comment. in Matthæi cap. 18.

[e] In eundem locum.

[f] Luc. 16. 8.

patêret falsum esse animadvertenti illos scripsisse, Videri & hanc partem aliquid habere erroris; non asseveraſſe, habere & hanc partem errorem horrendum.

9 In eundem modum, ubi Magdeburgenses ex hisce verbis Petri, [a] *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Somniabat*, inquiunt, *carnalia quædam præmia: at Christus mansuetè respondet, compensationem in futura vita exspectandam esse; in hoc verò mundo suos sectatores plurima suo nomine amissuros esse:* Bellarminus ait *sextum ab illis lapsum constitui, quòd Petrus isto loco videtur somniasse carnalia quædam præmia, & arroganter etiam loquutus.* Nam unde tandem istuc, *loquutus etiam arroganter?* quod illi certè non dicunt. Respondebit forsitan se ex antithesi collegisse: quia dicunt *Christum mansuetè respondere.* Quid? Num illud igitur hujus est consequens? Aut nullum fuit lenius antitheton voce *arroganter?* At sunt è Pontificiis, qui Christum hîc [b] *clementer*, Petrum autem [c] *satis magnificè* loquutum dicant. Et alibi, quum Apostolis interrogantibus, [d] *Domine, num hoc tempore restitues regnum Israeli?* Christus respondet, *Non est vestrum nosse tempora vel opportunitates, quas Pater in sua ipsius posuit potestate; sed recipietis virtutem Spiritus sancti, postquàm supervenerit in vos, eritisq; mihi testes & in Jerosolymis, & in tota Judæa, & Samaria, & usque ad ultimas terras:* [e] Chrysostomus ait *Christum mansuetius responsum dare*; non id quidem dicens respectu quæstionis ab illis propositæ, sed comparans duo Christi responsa inter se, alterum severius, alterum mansuetius.

[a] Matt. 19.27.

[b] Guilliaud. in Matt. cap. 18.

[c] Iansen. comment. in concord. Evang. cap. 100.

[d] Act. 1.6.

[e] Homil. 2. in act. Apostolor.

Carnalia

Carnalia verò præmia Petrum ſomniaſſe, apparet evidenter ex iſta quæſtione, quam [a] ipſe aliiq; in unum congregati, poſt reſurrectionem Chriſti à mortuis, propoſuerunt ei: *Domine, num hoc tempore reſtitues regnum Iſraeli?* Namque cupientes regnum reſtitui, quod Iſraeli ademtum erat, oſtendunt ſeſe loqui, non de ſpirituali & cœleſti regno, ſed de terreno & carnali, quod tunc [b] Romani obtinebant; quod olim Iſraelitis acquiſivit [c] David, finitimis gentibus debellatis, & magna potentia opibúſq; auxit; quod Judæi ſperabant ſe recuperaturos, decepti malè expoſitis verbis [d] Prophetarum, Davidis ſolium & regnum Chriſto promittentium; quod [e] illico manifeſtatum iri, appropinquante Chriſto Jeroſolymis, diſcipuli putabant; quod [f] mater filiorum Zebedæi ſpectabat, quum in regno Chriſti primas ſedes filiis ſuis petebat; denique, quod Cleopas docebat ſe cogitaſſe, quum de Chriſto paſſo & crucifixo loquens, [g] *Nos*, inquit, *ſperabamus illum eſſe qui redemturus eſſet Iſraelem*. Magdeburgenſes itaque verè tradunt, Petrum ſomniaſſe carnalia quædam præmia: quandoquidem ſomniavit carnale regnum Iſraelis, in eóq; ſuam ſub Chriſto, ut Principe terreno, terreni Præſidis dignitatem. At enim in iis verbis quæ citant Magdeburgenſes, [h] *Quid ergo erit nobis?* Petrum nihil tale ſenſiſſe docet Bellarminus. Quibus argumentis? Quia *Chryſoſtomus ait Petrum hæc dicere, ut pauperum plebem introducat: ipſe quoque Dominus non Petrum arguit tanquam peccantem, ſed ei maxima præmia pollicetur*. At hæc ſciebant quoque theologi Pariſienſes: [i] qui tamen *carnales cogitationes* in illis Petri verbis notant.

[a] Act. 1. 3.
[b] Ioh. 19. 15.
[c] 1. Sam. 8. 1. & ſequentib.
[d] Eſai. 9. 7. Ier. 23. 5. Ezek. 37. 24. Hoſ. 3. 5.
[e] Luc. 19. 11.
[f] Matt. 20. 20.
[g] Luc. 24. 21.
[h] Matt. 19. 27.
[i] Comment. in Matthæum, iuxta probatam Eccleſiæ Catholicæ Patrum ſententiam, & ſacræ facultatis Theologiæ Pariſienſis approbationem, à Guilliaudo ſcript.

notant. Et verò plebem pauperum volebat introducere, quum regnum Iſraeli reſtitui optabat. Nec Dominus, [a] quotieſcunque diſcipuli peccarent, eos ſtatim arguit. Immò Ferus, etiam in illum ipſum locum, *Quanquam verba*, inquit, *Petri nonnihil ſaperent humanum affectum, atque adeò imperfectionem: non tamen ei imputatur, ſed conſolationis plenum reportat reſponſum.* Verùm, ut errarint, cùm Pariſienſes & Ferus, tùm Magdeburgenſes, interpretatione loci minùs apta: tamen Bellarminus, [b] qui Catholicos ſimili interpretationis errore aliquando res veras parum ſolidè adſtruere agnoſcit, non poterit accuſare noſtros hanc ob cauſam horrendi mendacii & blaſphemiæ. Ac tanto quidem minùs, quanto & levius eſt quod Petro tribuunt, quum eum tertio anno prædicationis Chriſti aiunt regnum carnale ſomniaſſe; quàm ſi, quod verè poterant, hoc feciſſe dicerent, [c] poſtquàm à Chriſto jam reſuſcitato longè cumulatiùs, quæ ad regnum Dei ſpectant, edoctus erat: & certiùs probatur Petrum lapſum eſſe iiſdem argumentis, quibus Bellarminus ad eum altero loco ab errore & culpa liberandum utitur. Neque enim ſolùm reprehendit Chriſtus ipſum, ceteróſq; ſpiritualem illis militiam obeundam, nondum de triumpho cogitandum, admonens: ſed etiam [d] Chryſoſtomus, & [e] alii interpretes, atque adeò Pontificii recentiores, [f] Stella, [g] Ferus, æquè ac noſtri, lapſos eſſe perhibent. Immò Ferus, vocem aſperiorem edens in cunctos Apoſtolos, quàm noſtri vel adverſùs unum Petrum adhibent, ait eos *ſtultam illam ingerere de futuro & carnali Iſraelis imperio opinionem, quam omnibus eius gentis hominibus imis infixam*

[a] Matt. 17. 4. & 26. 44. Luc. 22. 38.

[b] Lib. 2. de Chriſto, ca. 6.

[c] Act. 1. 3.

[d] Homil. 2. in Act. Apoſt.
[e] Oecumen. Bed. Gloſſa ord. Hugo Card. Liran. Dionyſ. Carthuſ. in Act. Apoſt. cap. 1.
[f] In Evang. Luc. cap. 21. & 24.
[g] Enarrat. in Act. Apoſt. cap. 1.

fixam fuisse pectoribus, & verba [a] *matris filiorum Zebedæi, & responsio* [b] *Cleopæ apud Lucam testantur.*

[a] Matt. 20. 20.
[b] Luc. 24. 21.

10 Porrò, *inscitia quadam & prava devotione lapsum esse Petrum* aiunt Magdeburgenses, *quum Christo, eius pedes abluere volenti, respondit,* [c] *Non lavabis meos pedes in æternum.* Quod à Bellarmino in Magdeburgensium horrendis mendaciis blasphemiisq; numerari pæne incredibile est: quandoquidem id Christus ipse ita docuit, ut vel devotissimi Petro Pontificii pro indubitato habeant, probéntq;. Etenim, dicenti primùm Petro, *Domine, tu mihi lavas pedes?* Jesus respondit, *Quod ego facio, tu nescis nunc, cognosces autem postea.* Nescis, quod ego facio. Ecce quandam inscitiam. Tum Petro excipienti, *Non lavabis meos pedes in æternum:* respondit iterum Jesus, *Nisi lavero te, non habebis partem mecum.* Nunquam lavabis meos pedes. Ecce pravam devotionem. Nam ille, cujus [d] sceptrum est sceptrum rectitudinis, & verbum [e] regula pietatis, non modò non minatur ullum supplicium, sed etiam [f] præmia pollicetur devotioni rectæ. Itaque [g] Ferus, Guilliaudus, [h] Jansenius; quanquam, quid eos memoro, è quorum nonnullis expurgant aliqua Jesuitæ, è cunctis forsan expurgaturi? Toletus, & Jesuita, & Cardinalis, quem [i] Possevinus ait ea commentariis in Johannem præstitisse, quæ in Jansenio desiderabantur; hic igitur affirmat *Petrum ex reverentia, dilectione, fide, sed non secundum scientiam, lavari à Christo recusasse.* Et quid est [k] *zelus Dei non secundum scientiam*, nisi prava devotio? qualem in

[c] Ioh. 13. 8.
[d] Psal. 45. 7. Heb. 1. 8.
[e] Gal. 6. 16.
[f] 1. Tim. 4. 8.
[g] In Evang. Iohann. ca. 13.
[h] Comment. in concord. Evang. cap. 130.
[i] Biblioth. select. lib. 2. cap. 18.
[k] Rom. 10. 2.

adverſariis & perſequutoribus piorum notat [a] Spiritus ſanctus. Ceterùm Bellarminus, quemadmodum [b] Vatinius ſe Pythagorêum dicere ſolebat, & hominis doctiſſimi nomen ſuis immanibus & barbaris moribus prætendere: ſic ipſe impudenti ſuæ Magdeburgenſium reprehenſioni prætendit nomen *ſanctorum Patrum*; eóſq; ait *longè aliter de actis Petri iudicare*. Itáne? Longè aliter, quàm Magdeburgenſes? Qui tandem ſunt hi Patres? *Auguſtinus*, *Chryſoſtomus*, *Baſilius*, & *Cyrillus*. Hos autem longè aliter judicare, quî conſtat? Quoniam affirmant *Petrum recuſaſſe ex magna dilectione, & reverentia Chriſti.* Atqui hoc totum concedunt Magdeburgenſes devotionis nomine. Sed num Auguſtinus, Chryſoſtomus, Baſilius, & Cyrillus negant, devotionem iſtam pravam fuiſſe, & cum inſcitia conjunctam, quod Magdeburgenſes aiunt? Immò verò tantum abeſt ut in eo repugnent Magdeburgenſibus: ut reipſa idem, iiſdem, quos Bellarminus notat, locis aſſerant. Nam [c] Cyrillus *Petrum*, & *ignoraſſe rei cauſam* affirmat, & contradicendo *peccaſſe*. Itidem [d] Auguſtinus, eum *ignoraſſe cur fieret*, obſervat; ac ſeſe præbuiſſe *ægrum reluctantem*. [e] Chryſoſtomus verò acriùs, confert iſtam Petri culpam cum illa, ob quam vocatus eſt *Satanas*: atque *ut tunc valde obiurgatus eſt, ita & nunc*, inquit. Denique [f] Baſilius hanc ejus reluctantis *inobedientiam*, licet *ex reverentia Chriſti prodeuntem*, talem fuiſſe judicat: ut *eum, niſi ſuam contradictionem obedientia emendaſſet, æterna vita cariturum*, ex verbis Chriſti pronuntiet. Quapropter, quum fatentibus & Patribus, & Pontificiis, Jeſus ipſe Petrum quadam inſcitia

[a] Ioh. 16. 2. Act. 13. 50. Phil. 3. 6.
[b] Cic. in Vatin.
[c] Lib. 9. cap. 4. & 6. in Iohan.
[d] In Evang. Iohann. tract. 56.
[e] Homil. 69. in Iohann.
[f] Serm. de iudicio Dei.

ſcitia & prava devotione lapſum eſſe doceat: Sociuſne Jeſu exiſtimandus eſt, qui hoc horrendi mendacii blaſphemiæq; arguit; an contubernalis Satanæ?

11 Octavò, Magdeburgenſes affirmant *Petrum peccaſſe, quòd ipſum Chriſtum, de eius negatione prophetantem, quaſi mendacii arguit, dicens,* [a] *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te abnegabo.* Bellarminus autem contrà; *Sed audi Hieronymum in hunc locum: Non eſt, inquit, temeritas, neque mendacium; ſed fides eſt Apoſtoli Petri, & ardens affectus erga Salvatorem. Audi Chryſoſtomum: Unde, inquit, id tibi accidit? ex multo certè amore, & multa voluntate. Itaque aut nullus hîc lapſus fuit, aut amoris & pietatis exceſſus fuit.* Qua forma obloquendi Satanas iſte rurſum opponit cœlis os ſuum, ut [b] Prophetæ verbis utar, & lingua ejus pervadit terram. Nam Chriſtus dixit Petro: [c] *Amen dico tibi, iſta nocte, antequàm gallus vocem mittat, ter me abnegabis.* Et poteſt quiſquam dubitare, quin Petrus, reſpondens ſe hoc non facturum, quaſi mendacii eum arguat? Certè Pontificiis res adeò clara viſa eſt, ut, ablato *quaſi*, [d] Ferus de Petro ſcribat, *Chriſtum mendacem facere vult:* & [e] Stella, quia Chriſtum vocavit Petrus [f] *Dominum, Si Dominus tuus eſt*, inquit, *O Petre, cur illum mendacij arguis?* Nec verò Hieronymus hoc inficiatur, quum ait Petri dictum non eſſe mendacium; quippe tantùm innuens eum non mentitum, ut [g] mentiri dicitur qui ſecus loquitur ac ſentit: ſed affirmat potiùs in eo quod [h] ſubtexit, *quoſdam dicentes Petrum non Deum negaſſe*

[a] Matt. 26. 35.

[b] Pſal. 73. 9.

[c] Matt. 26. 34.

[d] Comment. in Matthæi cap. 26.

[e] In Evang. Luc. cap. 22.

[f] Luc. 22. 33.

[g] Nigid. Fig. apud Gell. lib. 11. cap. 11.

[h] In idem caput Matthæi.

gaſſe, ſed hominem, ſic defendere Apoſtolum, ut Deum mendacij reum faciant; quia, ſi Petrus non negavit, ergo mentitus eſt Dominus, qui negaturum eum prædixerat. [a] Chryſoſtomus autem ita in iſtum Petri lapſum fulminat, tanquam in *crimen tætrum inſolénſq;, & arrogantia, pertinacia, præfracta contradicendi duritia, præ aliorum omnium Apoſtolorum lapſu eminens & inſigne:* ut mirum ſit niſi Bellarminus viderit ſuam Magdeburgenſium reprehenſionem illius judicio minimè probari. Atque adeò ipſe indicat ſe vidiſſe. Nam cur non concludit (quod poſtulabat, quam promiſit, Magdeburgenſium confutatio,) nullum hoc loco fuiſſe Petri lapſum? Cur concluſionem hunc in modum effert per disjunctionem: *Itaque, aut nullus hîc lapſus fuit, aut amoris & pietatis exceſſus fuit?* Nimirum, quia ſciebat, Chryſoſtomum, qui multam Petri voluntatem, multum amorem memorat, antea docuiſſe peccaſſe Petrum graviter hoc amore multo: & Hieronymum illis verbis, *Fides eſt Petri & ardens affectus erga Salvatorem*, hæc ſubjeciſſe, *De quo ſuprà diximus*; reſpicientem quod [b] præmiſerat, Petrum fuiſſe nimii ardoris, amoríſq; quàm maximi in Salvatorem, ac inde lapſum eſſe. Ut, quum ex Hieronymo & Chryſoſtomo concludit, Petrum aut omnino lapſum non eſſe, aut lapſum eſſe nimio ardore, & exceſſu amoris; perinde loqui videatur, acſi dixiſſet: Si quis non acquieſcet verbis à me citatis ex Hieronymo & Chryſoſtomo, ſed autores ipſos inſpecturus eſt; ſaltem comperiet eos affirmare, Petrum, etſi lapſum, amore nimio lapſum eſſe. Ita Bellarminus contra Magde-

[a] Homil. 83. in Matthæum.

[b] In Matthæi caput 16.

Magdeburgenſes hoc enthymemate pugnat : Petrus, arguens Chriſtum quaſi mendacii, amore nimio lapſus eſt : Magdeburgenſes ergo horribiliter mentiuntur & blaſphemant, qui Petrum in eo lapſum eſſe dicunt. Hæccine habentur pro demonſtrationibus adverſùs Magdeburgenſes in ſcholis Jeſuitarum ?

12 Habentur. Nam & nonum ex illis quatuordecim, quæ horrenda eſſe Magdeburgenſium mendacia & blaſphemias, recepit ſe demonſtraturum, demonſtrat ſimili enthymemate : quum, adverſùs eos *Petrum peccati* arguentes *quòd in horto* [a] *iuſſus vigilare obdormierit*, inſurgit his verbis. *Sed excuſat eum & Apoſtolos ceteros Evangeliſta, dicens : Erant enim oculi eorum gravati. Et ſanè quum ad multam noctem vigilaſſent, non video cur tam grave peccatum fuerit à ſomno ſuperari. Excuſat*, inquit, *eum & ceteros Evangeliſta*. Excuſat ? an explicat eorum culpam potiùs ? quemadmodum & [b] qui dicit, Chriſtum reverſum *invèniſſe eos dormientes præ triſtitia*. Verùm, ut excuſet peccatum dormientium : utrùm id excuſat à toto, an à tanto ? Si à toto : num igitur quod mandavit Dominus, [c] *Vigilate mecum* ; id tranſgredi nulla culpa eſt ? Nec quicquam peccaverant, quibus ipſe dixit, [d] *I. táne non potuiſtis unam horam vigilare mecum ?* Immò, excuſantur, inquiet, à tanto : quò facit, quod adjungit, non fuiſſe tam grave peccatum dormire, quum vigilaſſent ad multam noctem. Peccatum ergo fuit : etſi non tam grave. Quam tamen ſuæ culpæ extenuationem non videntur ipſi fuiſſe probaturi : qui ſe rebantur ſic peccaſſe, ut à Chriſto reprehenſi

[a] Marc. 14. 34.

[b] Luc. 22. 45.

[c] Matt. 26. ver. 38.

[d] ver. 40.

[a] Marc.14.40.
[b] Matt.26.20.
[c] Ioh.18.1.
[d] Matt.26.30.
[e] Marc.14. ver. 68.
[f] ver. 72.
[g] Macrob. Saturn.lib.1.cap. 3. Cenſorin. de die nat. cap. 10.
[h] Plin. hiſt. natur.lib.10. cap.21.Veget. de re milit.lib. 3.cap.8.
[i] Ianſen. comment. in concord.Evang. cap.133. Baron. annal. Eccleſ. tom.1. ann. Dom.34.
[k] Matt.26.42.
[l] Luc.22.43.
[m] Ioh.18.13.
[n] Galen.de ſanit.tuend. lib. 6.cap.5.
[o] Gratarol. de literator. conſervand. valetud.
[p] Fuchſ. inſtitut.medic.lib. 2. ſect.4.ca. 2.
[q] Ariſtot. de ſomn. & vigil. cap.3. Plin. hiſt. natur. lib.10.cap.75.
[r] Matt.26.41.

henſi [a] neſcirent quid ei reſponderent. Et ad quàm multam noctem, quæſo, vigilaverant? [b] Veſperi, crepuſculo, cœperant cænare: cænati [c] abierunt in hortum, [d] urbi propinquum; ubi ſtatim obdormierunt. Ponamus quatuor horas in cæna, ceteríſq; actionibus Chriſti, quæ cænam exceperunt, abſumtas eſſe. Nec plures fuiſſe veriſimile eſt, quum [e] Petrus Chriſtum eadem nocte in aula Caiaphæ ſemel abnegârit ante galli cantum, non [f] ſecundum, nomine [g] gallicinii celebrem, à quo [h] tres tantùm ſuperſunt noctis horæ; ſed primum, à quo [i] quinque: & horas tres conſumere facilè potuerint, quæ inter Petri ſomnum & primam abnegationem, dum [k] Chriſtus Patri iterum tertióq; ſupplicat, [l] ab Angelo corroboratur, à Juda proditus comprehenditur, [m] abducitur primùm ad Annam, tum ad Caiapham, geſta ſunt. Nox autem illa, incidens in tempus æquinoctii, duodecim horas habuit: è quibus [n] novem ſatis abundéq; eſſe cuivis ad ſomnum, pleriſque [o] octo, aut [p] ſeptem, etiam adoleſcentibus, [q] qui ſomni plus deſiderant quàm majores natu, docent eruditi hujus rei magiſtri. Quocirca, licet Petrus, vir maturæ ætatis, diutiùs vigilaſſet, quàm ad quartam aut quintam hujuſmodi noctis horam: nox multa parum faceret ad ſomnum ejus excuſandum. Præſertim quum Dominus mandato repetito, [r] *Vigilate, & orate, ne introeatis in tentationem*, Petrum periculi quoque impendentis denuntiatione ad vigilantiam excitârit. Siquidem Iphicrates, dux Athenienſium, quum præſidio Corinthum teneret, et ſub adventum hoſtium ipſe vigilias circumiret, vigilem, quem dormientem viderat, tranſ-

transfixit cuſpide : quod factum quibuſdam tanquam ſævum increpantibus, *Qualem invêni*, inquit, *talem reliqui.* Idq; à Thebano etiam Epaminonda, majore imperatore, non ſolùm ab Iphicrate Athenienſi factum, Romanus laudat [a] Frontinus. Quos ſi ratio movit, ut morte dignam ducerent ejus ſomnolentiam, cui ex officio vigilandum erat adverſus multo minùs periculoſos hoſtes : quàm capitale judicandum eſt peccatum Petri, vigilis à Chriſto duce deſignati adverſus tentationem mundi, carnis, Satanæ? Itaque, quod [b] Beza ad hoc Apoſtolorum factum annotaverat, *Horrendum humanæ ſocordiæ exemplum in ipſis à Chriſto electis diſcipulis:* id ita orthodoxum [c] Ariæ Montano, & reliquo Belgicorum Cenſorum Collegio viſum eſt, ut è Novo Teſtamento Syriacè, Græcè, Latinè edito Genevæ, è quo permultas alias annotationes Bezæ expurgant, delendum non putârint. Ceterùm, indicto autoritati tûm divinæ, tûm humanæ, ſilentio, gratificemur Bellarmino : & contenti ſimus eo quod largitur, Petrum peccaſſe; graviùs, an leviùs, ne controverſemur. Ita hoc fuerit ejus enthymema: Negari non poteſt quin peccârit Petrus, quòd vigilare à Domino juſſus obdormivit : Ergo Magdeburgenſes horribiliter mentiuntur atque blaſphemant, qui affirmant Petrum in eo peccaſſe.

[a] Stratagem. lib. 3. cap. 12.

[b] Annot. minorib. in Marci cap. 14. ver. 37.

[c] Ind. expurgat. in Nov. Teſt. Syr. Gr. Lat. editum, cum verſione ex Syr. per Imman. Tremellium.

13 Atqui in decimo niſi convincantur mendacii & blaſphemiæ : Bellarminus ipſe mendax & blaſphemus eſſe comperietur. Namque hæc ſunt verba Magdeburgenſium de Petro. *Contra Chriſti interdictum gladio utitur, temerario & impio conatu auriculam*

riculam Malcho Pontificis miniſtro amputans. Audierat à Domino dici, ſe iam divinitus paſſioni deſtinatum, eáq; ratione genus humanum eſſe redemturum: ibi ipſe violenta vi Dei conſilium in Scriptura prædictum, quantum quidem in ipſo eſt, conatur impedire. Adversùm quæ Bellarminus, *Inprimis mendacium eſt*, inquit, *quòd contra Chriſti interdictum Petrus gladio ſit uſus. Nihil enim Dominus prædixerat de gladij uſu, præter id quod habetur Lucæ vigeſimo ſecundo: Qui non habet, vendat tunicam, & emat gladium. Et quum diſcipuli dicerent, Ecce duo gladij hîc: reſpondit Chriſtus, Satis eſt, id eſt, ſufficiunt gladij duo. Quibus verbis, etſi revera non præcipiebat, ut gladio uterentur: tamen multo minùs prohibebat.* Acumen Jeſuitæ. Chriſtus non edixerat diſertè & expreſsè, ne Petrus gladio paſſionem ejus impediret: Petrus ergo non fecit contra Chriſti interdictum, quòd gladio ad eam impediendam uſus ſit. Acſi quis hoc modo ratiocinaretur: Deus nullam fecerat mentionem aſinæ, quum [a] Balaamo interdiceret, ne annueret Balaki poſtulationi: Ergo Balaamus contra interdictum Dei non fecit, quòd in aſina vectus Balako ſatisfacere voluit. Nos verò, qui ingenio tardiore ſumus, & in ſophiſmata ſic incurrimus, ut [b] ſcitè moneamur, inter cæcos luſcum regnare poſſe, putabamus Chriſtum, interdicentem Petro ne paſſioni ejus impedimento eſſet, quum tam ſeverè intonuit, [c] *Abſcede à me Satana*, hoc generali interdicto caviſſe ne aut verbo, aut facto eam impediret. Atque illa ſanè Chriſti ad Petrum gladio utentem, [d] *Annon bibam poculum quod dedit mihi Pater?* &, [e] *Quomodo ergo imple-*

[a] Num. 22. 12.

[b] Campian. ration. 9.

[c] Matt. 16. 23.

[d] Ioh. 18. 11.

[e] Matt. 26. 54.

implerentur Scripturæ, quæ dicunt sic oportere fieri? ut explanant idem quod Christus tum docuerat, dicens, [a] *oportere se multa pati, & occidi*; &, *Offendiculo es mihi; nam non sapis quæ sunt Dei:* ita declarant Petrum idem gladio jam impedire conatum esse, quod suasione tum conantem Christus increpuit, prohibuítq; nequid tale rursum auderet. Qua mente se loquutos de Christi interdicto quum indicent Magdeburgenses verbis sequentibus, de sermone Domini, & Dei consilio in Scriptura prædicto: restat mendacium mendaciter & falsò à Bellarmino iis impingi. Blasphemiæ objectæ similis est ratio. Nam quum adjunxissent, *quanquam Petri factum à Domino improbatum sit; tamen animum Petri, nec reprehensum esse à Domino, & à sanctis* [b] *Patribus etiam laudari: Blasphemum ergo est*, inquit, *quod dicunt Magdeburgenses, Petrum impio conatu id fecisse, & violenter impedire voluisse Dei consilium; non enim ex odio contra consilium Dei, sed ex amore in magistrum suum, defensionem illam parabat*. Ex eodem luto factum enthymema. Petrus ex amore in Christum id fecit: Ergo non fecit impio conatu. Neque enim Christus vocasset Petrum [c] Satanam, quum Dei consilium conatus est consilio suo impedire, nisi conatus ejus impius fuisset. Tamen id quoque fecit Petrus ex amore in magistrum suum: & ibi animus ejus etiam à sanctis [d] Patribus laudatur. Itidem hoc loco doctores Pontificii laudant ejus animum & amorem in Christum. Tamen in conatum ejus invehuntur [e] Ferus, & [f] Guilliaudus: dicentes, *Quis tu es, qui*

[a] Matt. 16. 21.

[b] Chrysost. hom. 85. in Matthæum. Cyrill. lib. 2. cap. 35. in Iohann. Ambros. in cap. 22. Lucæ.

[c] Matt. 16. 23.

[d] Chrysost. hom. 55. in Matth. Cyrill. lib. 12. cap. 28. in Iohann. Hieron. in cap. 16. Matt.

[e] Comment. in Matt. cap. 26.

[f] Comment. in Iohann. cap. 18.

Patris

Patris voluntatem prohibere conaris? Et Cardinalis [a] Toletus in perſona Chriſti Petrum his verbis increpantis, *Annon bibam poculum quod dedit mihi Pater? Deſine*, inquit, *percutere, ô Petre, & me defendere: neſcis enim quid facias: nam hoc tuo facto avertere tentas, quod Pater diſpoſuit.* At Petrum non modò tentaſſe & conatum eſſe, verùm etiam voluiſſe violenter impedire Dei conſilium, aiunt Magdeburgenſes. Falſum id quidem. Non enim dicunt, *Vult*: ſed, *Quantum in ipſo eſt, conatur.* Quanquam ſi, pro *conari*, vocabulum *velle* uſurpaſſent: num hoc blaſphemum eſſet? ac proptereáne dixiſſent Petrum id voluiſſe non ex amore, ſed ex odio; quod infert Bellarminus? Atqui in vulgatis [b] Bibliis Latinis, ad Concilii Tridentini præſcriptum emendatis, & à Sixto Quinto recognitis & approbatis, Chriſtus dicit Petro: [c] *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Quod in [d] iiſdem Bibliis, ejuſdem Sixti Quinti juſſu, ut fertur, ſed Clementis Octavi autoritate editis, correctum quidem eſt, & Græco fonti conformatum, deleto verbo *vis*. Sed potuítne Sixtus Quintus, non dico, errare in quæſtione fidei; hoc enim [e] ejus ſanctio, qua editionem priorem approbat, ut authenticam, collata cum [f] Clementis Octavi ſanctione, quæ illam editionem authenticam eſſe negat, teſtatiſſimum facit; ſed potuítne ſic errare, ut Chriſti verbis inſinuaret, quod blaſphemum eſſet, Petrum voluiſſe conſilium Dei impedire? Quid? Et blaſphemat etiam Bellarmini, ſodalis olim, jam fortaſſe Sanctiſſimus

[a] In eundem locum.

[b] Biblia ſacra vulgatæ edit. ad Concil. Trid. præſcript. emendata, & à Sixto V. Pont. Max. recognita & approbata. Romæ. Ex typographia Apoſtolica Vaticana. 1590.

[c] Ioh. 18. 11.

[d] Biblia ſacra vulgatæ edit. Sixti V. Pont. Max. iuſſu recognita atq; edita. Romæ. Ex typographia Apoſtolica Vaticana. 1592.

[e] Sixtus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romæ, anno Dom. 1589. Bulla præfixa edit. Sixti V.

[f] Clemens Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Romæ. 1592. Bulla præfixa edit. Clementis VIII.

Domi-

Dominus futurus, Cardinalis [a] Toletus, quum in eum locum ait de Chriſto: *Arguit Petrum indiſcreti zeli, ſignificans ſe non ex impotentia comprehendi & mori, ſed ex divina diſpenſatione, quia ſic pro hominum ſalute neceſſarium erat; illum autem potiùs impedire velle divinam ordinationem?* Ceterùm, utcunque de Cardinalibus & Papis reſponſurus ſit, Magdeburgenſes non dicunt Petrum velle, ſed, quantum in ipſo eſt, conari impedire vi conſilium Dei. Hoc autem Petri factum fatetur Bellarminus à Domino improbatum eſſe. Et improbatum eſt, ut impium: quippe quod tûm [b] Petri officio repugnaret, tûm Scripturarum prædictioni, tûm ſaluti hominum, tûm Dei præfinitioni. Bellarminus igitur reti, quod aliis abſcondit, ipſe captus eſt: & blaſphemo ore Jeſuita impius per Magdeburgenſium latera Chriſtum confodit.

[a] Comment. in Iohann. cap. 18.

[b] Matt. 26. 52. Ioh. 18. 11.

14 Undecimò, Magdeburgenſes aiunt de Petro: *Ubi videt ſuum Dominum vinctum abduci, non tantùm alij Apoſtoli, ſed etiam præclarus & animoſus ille heros ſimul fugæ ſeſe mandat, & fit deſertor ſui Domini. Etſi autem ex fuga redit, & in Pontificis atrium ingreditur: tamen ibi adhuc craßiùs & atrociùs labitur.* Quibus in verbis, quòd notatur Petrus fugiſſe, & Dominum deſeruiſſe: ad id à Bellarmino reſpondentur tria. Nam, *At primùm*, inquit, *non id ſolus Petrus fecit, ſed, ut ait Matthæus cap. 26. Diſcipuli omnes relicto eo fugerunt. Deinde Petrus etſi initio fugit, tamen mox rediit; Et ſequebatur eum à longè, ut ibidem legimus. Adde ultimò, quòd nullum in hac fuga peccatum ineſſe videtur.* Priora duo quàm futiliter,

atque nugatoriè ? Quaſi, quum horrendi mendacii & blaſphemiæ Magdeburgenſes arguat, quòd Petrum hac in re lapſum eſſe dicant, quicquam ad eos convincendos faciat, quòd, aut alii unà cum Petro lapſi ſint ; aut Petrus, poſtquàm lapſus eſt, ſe rurſum erexerit. Et quanto adhuc futiliùs, quòd, quum & alios Apoſtolos fugiſſe Magdeburgenſes narrent, & Petrum ex fuga rediiſſe : Bellarminus iſta in Magdeburgenſium verbis recitandis tranſiens & prætermittens, producit in reſponſo ſuo ex adverſo, atque è Scripturis ſcilicet confirmat, tanquam aut negata à Magdeburgenſibus, aut diſſimulata? Quod autem ad rem faciens reſpondet tertio loco, nullum in hac fuga peccatum ineſſe videri : id quo pacto probat? Nempe, *Si Dominum*, inquit, *ſequi debuiſſent : vel ut eum defenderent, vel ut ſe morti obiicerent ſequi debuiſſent*. *At iam intellexerant Dominum nolle defenſionem ullam pro ſe fieri : nec tenebantur ſe morti obiicere ; quin potiùs mandatum acceperant fugiendi ; Quum vos perſequentur in civitate una, fugite in aliam, ait Dominus Matthæi decimo*. Quid ? Nullane igitur alia fuit cauſa, qua commoverentur, ut ſequerentur Dominum ? Atqui Ridlæum, fidelem Chriſti ſervum, & [a] Ignatio martyri meritò comparatum, quum Pontificii noſtri, ut illi Chriſtum, comprehendiſſent, [b] affinis quidam ſequutus eſt, neque ut eum defenderet, neque ut ſe objiceret morti, ſed ut quibus poſſet ſolatiis & ſubſidiis amicum moriturum refocillaret. Quòd ſi in vitæ periculo verſati eſſent, ac non [c] dimiſſi

[a] Bez. icon. virorum doctrina & pietate illuſtr.

[b] Io. Fox. hiſt. eccleſiaſt.

[c] Ioh. 18. 8.

missi incolumes : mandatum tamen fugiendi, de quo Bellarminus, hanc eorum fugam à culpa non liberaret. Nec enim, quum ex una urbe in aliam fugere jubebantur, sic docebantur fugiendum, ut Christum viva fide amplecti desinerent. Immo & mandatum ab ipso acceperant contra talem fugam : [a] *Ne turbator cor vestrum ; creditis in Deum ? etiam in me credite*. At in ista fuga, aut defecit fides eorum in Christum, aut vacillavit. Nam in ea impletum est, quod prædixerat Christus : [b] *Omnes vos hac nocte offendemini in me*. Offendi autem in Christo dicitur, qui aliquare in eo absterretur, & quasi repellitur, ne ei tanquam servatori credat & adhæreat. Ut alii Messiam eum non putabant, quòd vulgarem victus & vitæ coleret rationem ; quibus ipse dixit, [c] *Beatus est qui non fuerit offensus in me :* alii, quòd humili videretur genere, & fabri filius haberetur ; de quibus scriptum est, [d] *Offendebantur in eo :* alii, quòd mortem crucis passus sit ; unde Paulus nominat [e] *offendiculum crucis* ; & ait [f] *se prædicare Christum crucifixum, Iudæis offendiculum*. Itaque discipuli, relicto Christo, fugientes, quum viderent illum se tradere suis hostibus, & [g] potestati tenebrarum, diffisi sunt ac dubitarunt, num esset liberator à Deo promissus, & Messias. Cujus rei indicium dederunt manifestum, qui, loquentes postea de Jesu Nazareno damnato & crucifixo, [h] *Nos autem*, inquiebant, *sperabamus illum esse qui redemturus esset Israelem*. Ac discipulorum fugam hoc peccato inquinatam esse, non solùm interpretes alii observant, cùm [i] nostri, tùm

[a] Ioh. 14. 1.
[b] Matt. 26. 31.
[c] Matt. 11. 6.
[d] Matt. 13. 57.
[e] Gal. 5. 11.
[f] 1. Cor. 1. 23.
[g] Luc. 22. 53.
[h] Luc. 24. 21.
[i] Tremell. & Iun. annot. in ca. 13. Zachar. propher. ver. 7. Bucer. in Matth. cap. 11. & 26. Bez. homil. 11. in histor. passionis.

[a] Ianſen. comment. in concord. Evang. cap. 137. Guilliaud. in Matt. cap. 26. Stell. in Luc ca. 22.
[b] Serm. 23. in paſſion. Chriſti.
[c] Panigarola cõcion. habit. Pariſiis, anno Dom. 1590.

[a] Pontificii : ſed etiam [b] Panigarola, ex Franciſcano monacho Epiſcopus Aſtenſis, collega Bellarmini in Gallica Sixti Quinti ad conjuratos legatione. Ad quos in ſcelerata contra regem ſuum rebellione confirmandos quum pariter Cardinali legato comites ſint adjuncti; nec minùs virulenter maledicéq; [c] declamando in nos bacchetur Franciſcanus, quàm Jeſuita diſputando: cujus, impudentiæ dicam? an inſaniæ exiſtimandus eſt, qui ea, ut horrenda mendacia & blaſphemias Magdeburgenſibus objicit, quæ Panigarola tradit ut vera & pia? Niſi fortè hoc diſcrimen in ſuperioribus nævis lapſibúſq; Petri potiùs eminet, in quibus ferè omnibus id ait [d] Panigarola, quod Bellarminus negat: ac in iſta culpa cum eo conſentit Bellarminus, etſi diſſentientis ſpeciem præ ſe ferat. Quis enim ſcit, an ideo ambiguam vocem uſurpârit, *Nullum in hac fuga peccatum ineſſe videtur*; non dicit., Nullum ineſt, ſed, *Nullum ineſſe videtur*: quòd erat ſibi conſcius, quicquid videatur, ineſſe tamen reipſa; neque id præciſè inficiari auſus ſit? Verùm, utcunque ſeſe res habeat, Bellarminus rurſum Chriſto impingit horrendum mendacium & blaſphemiam, quum horrendi mendacii blaſphemiæq; loco deputat, quòd Petrus contra ſuam tam animoſam profeſſionem ſe nunquam offenſum iri, offenſus, fugiénſq;, lapſus eſſe pronuntiatur.

[d] In paſſion. Chr. ſerm. 4. 5. 11. 18. & 19. concionib. extraord. in Evang. Feſt. S. Thomæ, & Dominic. 3. poſt Paſcha.

[e] Quintilian. lib. 5. cap. 13.

15 [e] Accius poeta interrogatus, cur cauſas non ageret, quum apud eum in tragœdiis tanta vis eſſet, fertur hanc reddidiſſe rationem, *quòd illic ea dicerentur quæ ipſe vellet, in foro dicturi adverſarij eſſent*

quæ

quæ minimè vellet. Omnino ita multa dicuntur à noſtris quæ Bellarminus minimè vellet, ut operam poſiturus fuerit in tragœdiis potiùs, opinor, quàm in controverſiis, ſi, qua difficultate cauſarum actor in foro, eâdem controverſiarum tractator in ſchola premeretur. Sed homo callidus & verſutus, diſſimulando dicta adverſariorum, quando moleſtiam nimiam faceſſunt, idem aſſequitur ferè quod Accius, ut ea dicantur quæ ipſe velit. Exemplo ſit, quod ſequitur: ubi, quia *Petrus, quum diſcipulis nuntiata fuiſſet Chriſti reſurrectio, eiúſq; ſigna in ſepulcro vidiſſet, non credidit; quin & expreſsè ſcriptum eſt, tam Petrum quàm Johannem tum etiam ignoraſſe Scripturam*, Johann. 20. *quum tamen ſæpenumero eos de Scriptura docuiſſet Chriſtus*: hoc in Petri nævis Magdeburgenſes numerant. Quorum ſententiam ſic recitat Bellarminus, quaſi Petri lapſum in eo uno ſtatuiſſent, quòd *nondum articulum reſurrectionis rectè percepit, quum ad ſepulcrum cucurriſſet*. Quæ autem duo Petrum incredulitate deliquiſſe arguunt, rei nuntiatio, & crebra Chriſti documenta: ea prorſus ſupprimit. Denique, quod citant ex Evangeliſta, cauſam hujus lapſus fuiſſe Scripturæ ignorationem: id ex illorum verbis, lapſum declarantibus, in ſuam defenſionem depulſionémq; lapſus transfert. Nam, *Ab iſta*, inquit, *criminatione Johannes ſe ac Petrum ſimul defendit, quum ait, Nondum ſciebant Scripturam, quòd oporteret eum reſurgere à mortuis: itaque ignoratione quadam laborabat Petrus eo tempore, ſed abſ-*

que culpa ſua : nec enim ex illis erant, qui nolunt intelligere ut bene agant ; ſed ſimpliciter ignorabant. Verùm enimverò abſit ut Johannes, nihil niſi Deo inſpirante ſcribens, dicatur Petrum defendiſſe à criminatione, quam Chriſtus, mentiri neſcius, neque quenquam falſò accuſans, ei intendit. Hanc autem talem eſſe evincunt circumſtantiæ à Magdeburgenſibus indicatæ. Etenim primò, [a] teſtibus, à quibus Chriſti reſurrectio ei nuntiata erat, non credidit. At [b] Chriſtus exprobravit diſcipulis incredulitatem & cordis duritiem, eo quòd iis, qui ipſum conſpexerant ſuſcitatum, non credidiſſent. Deinde, [c] ſæpenumero eos docuerat Chriſtus de Scriptura, oportere ſe à mortuis reſurgere. Quod qui non habuerant occaſionem toties à Chriſto audiendi, ac Petrus ceteríq; Apoſtoli habuerant, ab ipſo tamen audierunt : [d] *O amentes & tardi corde ad credendum omnibus quæ loquuti ſunt Prophetæ*. Itaque [e] Johannes, incredulitatem Petri è Scripturæ ignoratione pullulaſſe aſſerens, explanat quidem cauſam morbi : ſed eum abſque culpa ſua ignorantiam iſtam incurriſſe, & incredulitate propterea minimè lapſum eſſe, non affirmat. Nec verò, qui oſtenderat Petrum didiciſſe, [f] Chriſtum verba vitæ æternæ habere, & Filium Dei viventis eſſe, exiſtimari poteſt notaſſe Petri ignorantiam ad eum defendendum, quòd rem tam clarè toties à Chriſto inculcatam, ut [g] Sacerdotibus etiam ac Phariſæis nota foret, ſive non attendiſſet prædictam, ſive oblitus eſſet, impletam non crediderit. Nónne culpam ſuam potiùs vir ſanctus, [h] peccata ſua & fratrum tam ingenuè

[a] Marc. 16.10. Luc. 24. 11.
[b] Marc. 16.14.
[c] Matt. 12.40. & 16.21. & 17. 23. & 20.19.
[d] Luc. 24. 25.
[e] Ioh. 20.9.
[f] Ioh. 6.68.
[g] Matt. 27.62.
[h] 1. Ioh. 1.8.

nuè confitens, teſtatam eo voluit, quòd ait ſe & Petrum nondum ſciviſſe Scripturam : recordans Chriſtum ipſis ſimilia exprobraſſe ; [a] *Adhuc & vos intelligentia caretis? Nondum animadvertitis; neque meminiſtis?* [b] *Nondum intelligitis? Adhuc ſtupidum habetis cor veſtrum?* Certè hæc verba reprehenſionis confutant rationem qua Bellarminus colligit Petrum & Johannem abſque culpa ſua Scripturam ignoraſſe : dicens, *Nec enim ex illis erant, qui nolunt intelligere ut bene agant; ſed ſimpliciter ignorabant*. Namque objurgatio à Chriſto adhibita teſtis eſt diſcipulos non abſque culpa ignoraſſe, quando ignorabant tamen ſimpliciter, ut hîc diſtinguit Bellarminus : Nec enim ex illis erant, qui nolunt intelligere ut bene agant, quod de impiis [c] ſcriptum eſt. Ac mirum, ſi Bellarminus diſtinxit tam perverſè ex ſimplici ignorantia : qui novit [d] Aquinatem docere varias eſſe culpabilis ignorantiæ ſpecies præter eam, quæ affectata nominatur, & ſceleratiſſimorum eſt, Deo dicentium, [e] *Scientiam viarum tuarum nolumus*. Quod utinam reputarent ſectatores cæci cæcorum ducum ſub Papatu, miſerandum vulgus orbatum verbi vitæ lectione, auditione, ac meditatione : & hoc errore infatuatum, Scripturam eos abſque ſua culpa ignorare, qui laborant ſimplici ignorantia, non affectata. Ceterùm Spiritus ſanctus, qui oſtendit [f] duos diſcipulos in Emmauntem vicum euntes Scripturam ſimpliciter ignoraſſe, & tamen deliquiſſe quòd non crederent omnibus quæ Scriptura tradit de morte & reſurrectione Chriſti ; abſurdiſſimè crederetur Petri & Johannis

[a] Matt. 15. 16. & 16. 9.

[b] Marc. 8. 17.

[c] Pſal. 35. 4. ex vulgat. edit.

[d] In 1ª 2æ. quæſt. 6. art. 8. & quæſt. 76. art. 2. & 3.

[e] Iob. 21. 14.

[f] Luc. 24. 13.

incredulitatem ab ea criminatione defendere voluiſſe, dicendo, *Nondum enim noverant Scripturam.* Immò, eo majore in culpa fuit Petrus, quòd ne tum quidem, quum [a] ſigna reſurrectionis conſpexiſſet, credidit: [b] quibus conſpectis tamen credidit Johannes. Uſque adeò, ut Petrus propterea notatus ſit verbis Angeli: qui mulieribus annuntians Chriſtum reſuſcitatum, [c] *Dicite*, inquit, *diſcipulis eius, & Petro, ipſum præire vobis in Galilæam*. Quo loco, [d] Bellarminus ineptè argutatur, Petrum ſpeciatim nominatum eſſe, quia erat princeps & caput aliorum: quum ideò nominatus ſit, quia ſe præ aliis incredulum oſtenderat, ut ex Evangeliſtis annotat [e] Toletus. Sicut ergo Samueli de Iſraelitis dixit Dominus, [f] *Non te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt, ne regnem ſuper ipſos*: ita Bellarminus accuſat Spiritum ſanctum, non Magdeburgenſes, quum fidei hæſitantiam Petro objectam horrendi mendacii blaſphemiæq; arguit.

[a] Luc. 24. 12. Ioh. 20. ver. 6. & 7.
[b] ver. 8.
[c] Marc. 16. 7.
[d] De Rom. Pont. lib. 1. cap. 18.
[e] In Iohann. cap. 20. annot. 6.
[f] 1. Sam. 8. 7.

16 Dicunt inſuper Magdeburgenſes, *curioſitatem Petri compeſci oratione ſeria, quum oves iuſſus paſcere, de Johanne quærit,* [g] *Domine, hic autem quid? & reſpondet Jeſus, Si eum velim manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere*. Adverſùs quam illorum cenſuram Bellarminus, *Iſta ſi curioſitas*, inquit, *dicenda eſt, venia digniſsima eſt: nam, ut in hunc locum ſcribit Chryſoſtomus, ex nimia caritate Petri erga Johannem profecta eſt*. Si curioſitas dicenda eſt? Cur ita dubitanter de eo loquitur Bellarminus? An quia, ſi Petrus ſeſe tam citò curioſum præbuit, poſtquàm Dominus ei dixerat, *Paſce oves meas*; verendum ſit ne homines

[g] Ioh. 21. 21.

mines dubitent an Episcopus Romanus, cujus summa potestas inde petitur, curiosus esse possit? At nihil est periculi. Namque sine omni dubitatione, aut meridie non lucet: aut Episcopus Romanus insignissimus est [a] ἀλλοτριοεπίσκοπος, & in quem inprimis quadret illa [b] juris utriusque regula, *Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti*. Et tamen [c] Toletus videtur ea ratione tantopere commotus, ut quamvis animadverterit notari à [d] Cyrillo *quandam* in ista percontatione *curiositatem Petri*: tamen ipse contrà pronuntiet, *non facilè credi debere, tunc Petrum, in tantam dignitatem à Christo provectum, statim curiosum se exhibuisse*. Sed alii Pontificii, qui longiùs à * coccineo bireto abfuerunt, & remotiores à Vaticano habebant sedes, [e] Ferus, Guilliaudus, atque Jansenius, agnoscunt Petrum lapsum curiositate. Immò Panigarola etiam, & Baronius: timidiusculè quidem [f] ille, ac rem [cc] extenuans; [g] Baronius autem pleniùs confidentiúsq; , affirmans *Petrum curiosè de futuro Johannis statu perquisiviisse*. Nec mirum; quum è [h] summo eorum doctore constet, perversum veritatis cognoscendæ studium curiositatem esse: & Christus, Petrum increpans ob studium veritatis de Johanne cognoscendæ, id rectum non fuisse doceat. Quid, quòd & [i] Chrysostomus, quem citat Bellarminus, atque adeò eo ipso loco quem citat, curiositatem Petri à Christo reprehensam indicat. Dicenda est igitur curiositas extra controversiam: idq; Bellarminus concedit dubitando, & non negando confitetur. *At venia*, inquit, *dignissima est:*

[a] 1. Pet. 4. 15.
[b] L. 36. D. de reg. iur. c. 19. eod. in Sexto.
[c] In Iohann. c. 21. annot. 9.
[d] In Evang. Iohann. lib. 12. cap. 66.
* Platin. de vit. Pont. in Paulo II.
[e] In eundem locum.
[f] Panigar. serm. 4. in passion. Christ.
[cc] *Un poco curiosamente.*
[g] Annal. eccles. tom. 1. ann. Dom. 34.
[h] Thom. Aquin. 2ª. 2æ. quæst. 167. art. 1.
[i] Homil. 87. in Iohann.

eſt: nam profecta eſt ex nimia caritate Petri erga Johannem. Eſto. Quanquam ex nimia item caritate Petri erga Chriſtum profectum eſt peccatum venia non digniſſimum, ob quod audire meruit, [a] *Abſcede à me Satana.* Sed, ut conniveamus in talibus ineptiis ratiuncularum Jeſuiticarum, peccatum eſt idcirco ex Bellarmini ſententia: [b] veniale, non mortale; veruntamen peccatum. Ita hæc emergit demum Jeſuitæ, ſatis admiranda, niſi crebro uſu familiaris redderetur, argumentatio: Lapſus eſt Petrus quærendo curioſè de futuro Johannis ſtatu: Ergo Magdeburgenſium horrendum eſt mendacium atque blaſphemia, Petrum in eo lapſum eſſe.

[a] Matt. 16.23.

[b] Bellarm. de amiſſ. grat. & ſtat. peccat. lib. 1. cap. 3.

17 Poſtremum lapſum Magdeburgenſes explicant his verbis: *Antiochiæ non rectè ambulavit Petrus ad veritatem. Nam cum gentibus cibum capiens rectè utebatur libertate Chriſtiana: ſed quum quidam Judæi à Jacobo venirent, ſubduxit ſeſe, timens Judæos: eáq; ratione, quod ante de libertate Chriſtiana ædificârat, rurſus deſtruebat; & neceſſitatem Judaicorum rituum in gratiam Judæorum ipſo facto comprobabat. Ideò Paulus non veretur publico ſcripto affirmare, ſe Petro, quem & Cepham vocat, in faciem reſtitiſſe. Gal. 2.* Hæc illi. Quæ Bellarminus, & aliis verbis breviùs jejuniúſq; attingens, & abſque mentione loci [c] Scripturæ, qua pateat Magdeburgenſes ex Paulo rem narrare; primùm, ait *eos in hoc peccato referendo imitari maiores ſuos, Marcionem videlicet hæreſiarcham, & apoſta-*

[c] Gal. 2. 11.

apostatam Julianum, qui gravissimi peccati à Paulo notatum & reprehensum Petrum fuisse dicebant: deinde, concluſurus aut veniale ac leuissimum fuisse hoc peccatum Petri, aut nullum, id obiter intexit de *Paulo satis acriter Petrum reprehendente*, quod & peccasse Petrum, nec Magdeburgenses mentiri, planum facit. Quos tamen horrendi mendacii & blasphemiæ reos ut peragerét, non solùm dicit eos imitari majores suos, Marcionem hæresiarcham, & apostatam Julianum: sed etiam, ad telum infigendum altiùs, *Quorum calumnias*, inquit, *iam olim refutârunt Tertullianus libro quarto adversus Marcionem, & Cyrillus libro nono in Julianum*. Calumnia iniquissima. Nam Marcion volebat Petrum à Paulo accusatum esse Evangelii depravati prædicatione & doctrina fidei, non conversatione & facto: quod Tertullianus testatur in [a] eodem opere, [b] alibíq;, adversùs Marcionis hæresin ostendens conversationis fuisse vitium in Petro, non prædicationis. Magdeburgenses autem, non cum Marcione contra Tertullianum, sed cum Tertulliano contra Marcionem, evidentissimè faciunt: quemadmodum ex ipsis eorum verbis (an idcirco à Bellarmino mutatis?) patet. Ac [c] Julianus Petri factum sic à Paulo notatum affirmavit, ut Petrum hypocritam esse diceret. Quod maledictum & convicium, è [d] Pauli verbis non probatum, (nec enim quisquis aliquid [e] infirmitate lapsus simulat, est [f] hypocrita;) nihilo magis probant Magdeburgensium verba, quàm Pauli, è quo rem gestam narrant. Quocirca non imitantur illi Marcionem atque Julia-

[a] Advĕrs. Marcion. lib. 1. cap. 20.
[b] De præscript. adverſ. hæret. cap. 23.
[c] Cyrill. lib. 9. in Iulian.
[d] Gal. 2. 13.
[e] Matt. 26. 41.
[f] Matt. 24. 51.

Julianum, calumniando Petrum: ſed Bellarminus imitatur [a] diabolum, mentiendo. Et videant Pontificii, ne Marcion hæreſiarcha, ac Julianus apoſtata, ipſorum ſint majores potiùs quàm noſtri. Nam [b] Marcion à patre ſuo epiſcopo excommunicatus, profectus eſt Romam, petens ut à Papa in eccleſiam reciperetur. Quod ut Romæ nefas tum exiſtimatum eſt, convenienter [c] canoni, vetanti ne ab aliis epiſcopis ejecti ab aliis admittantur: ſic nobis nunc videtur; Pontificiis ſecus. [d] Julianus autem thus imaginibus adoleri voluit: quod nos abominamur ut idololatriam; Papiſtæ in ſolenni Miſſa fieri jubent. Ceterùm Bellarminus hiſtoriam rei geſtæ quàm molliſſimè poteſt è Paulo commemorans, & Petrum ſatis acriter ab eo reprehenſum eſſe concludens, dicit quantum ſatis eſt ad Magdeburgenſes culpa liberandos, eóq; ad ſeipſum peccati convincendum. Etenim Paulus ſcribit ſe reprehendiſſe Petrum, [e] *quòd eſſet condemnandus*, aut (ut vetus interpres reddit) *reprehenſibilis*; [f] *nec recto pede incederet ad veritatem Evangelii*. [g] Quæ autem ſcribit Paulus, in iis non mentitur: & [h] tota Scriptura divinitus eſt inſpirata. Teſtatur ergo veritas Petrum in eo facto peccaſſe. Quapropter Bellarminus in hæc erumpens verba, *Sine dubio peccatum illud aut veniale, ac leviſſimum fuit; aut materialiter ſolùm peccatum, id eſt, erratum quoddam, ſed abſque ulla Petri culpa*: ſine dubio nugatur. Fuit enim peccatum & materialiter, & formaliter, teſte Spiritu ſancto. Nec debuit Jeſuita putare ſibi ſatis eſſe

[a] Ioh. 8.44.

[b] Epiphan. hær. 42.

[c] Concil. Nicæn. can. 5. Conc. African. cap. 105.

[d] Sozom. hiſt. eccleſ. lib. 5. cap. 16.

[e] Gal. 2. ver. 11.

[f] ver. 14.

[g] Gal. 1. 20.

[h] 2. Tim. 3. 16.

esse rationis cur rem isto modo in dubium vocaret, quòd [a] quidam Patres velint omni peccato vacare Petri factum, [b] quidam verò nolint. Nam ad hos, qui nolunt, adjungit suum calculum, non dico, Villavincentius, aut, Censores Belgici; quorum [c] hi subscribunt [d] Bezæ affirmanti Petrum peccasse; [e] ille peccatum graviùs exaggerat quàm Magdeburgenses: sed [f] Aquinas ipse, quem scriptoribus cunctis, exceptis Canonicis, præponit [g] Innocentius, Pontifex Romanus. Atque, quum in ejus operibus Romæ editis alia [h] nonnulla de mandato Pii Quinti sublata sint: hoc ibi approbatur, quòd Petrus *ex humana fragilitate peccasse* dicitur, *atque in crimen publicum incurrisse*; & [i] *timuisse inordinatè, quia veritas nunquam dimittenda est propter timorem scandali; nec levem occasionem reprehensionis Paulo præbuisse, sed iustam, & utilem, scilicet periculum Evangelicæ veritatis.* Proinde Magdeburgenses hoc etiam inter Petri nævos & lapsus meritò recensent. Ita Bellarminus, dum è quatuordecim horrendis mendaciis, horribilibúsq; in Petrum blasphemiis, quarum arguit Magdeburgenses, ne unius quidem eos convincit: quatuordecim horrendorum mendaciorum, & horribilium, si non blasphemiarum, at calumniarum notas stigmatáq; inurit sibi ipsi.

18 Minori labe se commaculat in iis quæ subdit de Paulo, quia pauciores blasphemias iis impingit. Nam, *Apostolum*, inquit, *Paulum reprehendunt, quòd in Asia supra modum gravatus de vita desperaverit: quódq; in gratiam Iacobi Iudaicas ceremonias Ierosolymis observaverit, & eo facta magis*

[a] Græci, & Hieronymus.
[b] Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Romanus, & alii nonnulli.
[c] In d. expurg. in Nov. Test. Syr. Gr. Lat. edit. cum vers. ex Syr. per Imm. Trem.
[d] Annot. minorib. in epist. ad Gal. cap. 2. ver. 12.
[e] Villavincent. de rat. stud. theolog. lib. 2. cap. 11. observat. 4.
[f] In epist. ad Gal. cap. 2. lect. 3.
[g] Sermon. Ecce plus quàm Salomon hic. Tab. aur. in oper. D. Thom. Aquin.
[h] Præfat. ad pium lectorem.
[i] Gal. 2. 21.

magis Iudæos in errore confirmaverit, quàm imbecilles fratres adiuverit. Ubi, principio antiquum obtinet Jeſuita, qui Magdeburgenſes facit aſſerentes ea, quæ non aſſerunt, ſed referunt ut incerta, & in dubio relinquunt. Quum enim [a] obſervaſſent, *Paulum de ſua imbecillitate, quòd* [b] *legi Dei non ſatisfaciat, prolixè conqueri; item,* [c] *de ſua imbecillitate ſe gloriaturum dicere: ad imbecillitates, inquiunt, eius etiam hoc referendum videtur, quòd* [d] *in Aſia ſupra modum gravatus de vita deſperavit; &, quòd* [e] *in gratiam Iacobi & aliorum Iudaicas ceremonias Ieroſolymis in templo obſervavit, quo magis confirmati Iudæi in errore ſuo videntur, quàm imbecilles fratres adiuti.* Ecce, *Videtur*, aiunt Magdeburgenſes, *hoc referendum: videtur*, de utroque. Tametſi permodeſtè *imbecillitatum* nomine utentes, de iis in quibus lapſus ſit Paulus, ſi fortè lapſus: non pronuntiant tamen hæc referenda eſſe ad imbecillitates ejus, ſed *videri*. Quam vocem ſignificanter ab ipſis uſurpari, ut ſe non affirmare, ſed ambigere, innuant, ex eo manifeſtum eſt, quòd, quum horum alterum tractarent [f] paulo antè, oſtenderant ſe dubitare culpandum nécne ſit. Quippe in [g] Concilio Apoſtolorum conſenſerant Paulus, & Jacobus, obſervationem legis Moſaicæ non eſſe neceſſariam, neque jugum ejus imponi Gentibus oportere. [h] Jacobus autem Paulo Jeroſolymam poſtea venienti ſuaſit, ut in Judæorum offenſorum gratiam Moſaicæ cujuſdam ſanctificationis ritum impleret. Quod Magdeburgenſes parum cum doctrina in Concilio tradita congruere opinantes; ac propterea dicentes, *Videri*

[a] Cent.1.lib.2. cap.10.in vita Pauli.
[b] Rom.7.15.
[c] 2.Cor.12.9.
[d] 2.Cor.1.8.
[e] Act.21.26.
[f] In vita Iacobi Alphæi.
[g] Act.15.5.
[h] Act.21.23.

deri hunc Jacobi fuiſſe lapſum non exiguum : adjiciunt, *Niſi per hoc excuſari poteſt, quòd non omnia tam ſubitò mutare potuerit, & ſynagogam cum honore (ut Auguſtinus inquit) ſepeliendam putaverit : aut certè hoc ſenſit, quod Paulus ipſe primæ ad Corinthios nono, Omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem; factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer, &c.* Ita, quum in eâdem re, eodem modo, Videri hoc ad Pauli imbecillitates referendum aiunt; ſignificant ſe non affirmare, ſed indicare quid exiſtiment : idq; ſe ita exiſtimare etiam, ut opinionem ſuæ repugnantem veriorem eſſe poſſe fateantur. Ego verò, quàm probabiliter arbitrentur Paulum infirmitate lapſum; qui & nonnullis [a] Patrum videtur idem feciſſe, quod in Petro ipſe priùs reprehenderat: non diſputabo. Diſcrimen eſt, fortaſſe, ab illis minùs animadverſum, inter Gentes, & Judæos; Antiochiam, & Jeroſolymam; Petri factum, & Pauli: quia Petrus, Gentes [b] cogens judaizare, progreſſum earum in [c] fide Chriſti retardabat; Paulus autem, [d] Judæis ſe attemperando, illos [e] lucrifacere, & ad fidem Chriſti adducere ſtudebat. Neque inter Pauli imbecillitates cenſendum aſſeruerim, quòd [f] in vitæ periculo [1] conſilii prorſus inops & quaſi deſperabundus hæſit, quo modo evaderet. Licet enim ipſe, [2] eâdem voce utens, [g] neget pios prorſus hærere, utut hæſitent; ſignificans eos in cunctis afflictionibus virtute Dei eluctari : tamen quoad humana præſidia & rationes liberationis potuit conſilii prorſus inops eſſe; quam fuiſſe ejus ſenten-

[a] Tertullian. adverſ. Marcion. lib. 1. cap. 20. Hieron. epiſt. 89.

[b] Gal. 2. v. 14.
[c] ver. 16.
[d] Act. 21. 20.
[e] 1. Cor. 9. 20.

[f] 2. Cor. 1. 8.
[1] ἐξαπορηθῆναι.
[2] ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι.
[g] 2. Cor. 4. 8.

ſententiam, ex [a] hiſtoria fit veriſimile. Ceterùm Bellarminus calumnioſè tractat Magdeburgenſes, quos ait Paulum reprehendere: quum illi manifeſtò teſtentur ſe ambigere an reprehendendus ſit. Calumnioſiùs, quòd cenſuras tales, ſi minùs veras, at modeſtas, & veri ſtudio adhibitas, perſtringit horribilium blaſphemiarum nomine. Quid enim? [b] Hieronymus affirmavit Paulum in Petro reprehendendo egiſſe ſimulatè, non ſeriò: nec ſenſiſſe, quod ſcripſit, eum non rectè inceſſiſſe ad veritatem Evangelii. Hîc erraſſe Hieronymum evincit [c] Auguſtinus Pauli teſtimonio: [d] *In iis quæ ſcribo vobis, ecce (coram Deo loquor) non mentior*. Et [e] Aquinas ſtatuit veriorem eſſe opinionem Auguſtini, quàm Hieronymi, quia cum dictis Apoſtoli magis concordat. Sed num Hieronymus horribilem in Paulum blaſphemiam effudiſſe propterea judicandus eſt? Item [f] Auguſtinus ſimulationem in Petro reprehenſam ſuperſtitioſam appellat, & pravam: ac inter gravia Petri crimina recenſet. In quo, ut [g] Bellarmino Auguſtinus diſplicet: ſic & [h] Sixto Senenſi. Sed Sixtus de eo ait, *Videtur Petrum duriùs tractaſſe quàm par ſit*: num Bellarminus dicet, horribiliter blaſphemavit? Denique [i] Chryſoſtomus, [k] Amphilochius, [l] Theophylactus, gladium de quo Simeon Virgini Mariæ, [m] *Tuam*, inquit, *animam pertranſibit gladius*, exponunt de ſcandalo dubitationis, in quam inciderit tempore paſſionis Chriſti. Atqui dolorem ſignificari [n] gladio probabilius eſt: Papiſtis certè ſic perſuaſum dubitationem non ſignificari, ut expoſitionem eam explodat [o] Caniſius Jeſuita, velut ex [p] Origenis amaro fonte promanantem. Sed num Theophylactum, Amphilochium,

[a] Act. 19. 30.

[b] Epiſt. 89. ad Auguſtin.

[c] Epiſt. 19. ad Hieron.
[d] Gal. 1. 20.
[e] In epiſt. ad Gal. cap. 2. lect. 3.

[f] De agone Chriſtian. cap. 30.
[g] De Rom. Pont. lib. 1. cap. 28.
[h] Biblioth. ſanct. lib. 6. anno. 274.
[i] In enarrat. pſalm. 13.
[k] Homil. de occurſu Dom.
[l] In Evang. Luc. cap. 2.
[m] Luc. 2. 35.
[n] Pſal. 22. 21.
[o] De Maria Virg. lib. 4. cap. 27.
[p] Homil. 17. in Lucam.

chium,

chium, Chryſoſtomum affirmat horribiliter blaſphemos exſtitiſſe? Ille verò, tametſi non inferior Bellarmino, haud ſcio an ſuperior, canina Jeſuitiſmi rabie, ſatis habet dicere: *Chryſoſtomus, Amphilochius, Theophylactus impegerunt*. Quòd ſi tam atrocem damnationem non merentur, qui Paulo per errorem, immò qui Petro, & (quod adhuc amplius eſt) Beatæ Virgini, vel majora crimina, vel aſſeverantiùs objiciunt, vel utrumque: quanto minùs debent Magdeburgenſes ita lancinari, quantumvis (ut hoc detur) decepti rerum ſimilitudine, aut ambiguitate vocum, imbecillitatis in Paulo documenta quædam, quæ non fuerint, fuiſſe ſuſpicati ſint.

19 Veruntamen iſta eorum inſectatio, ob Apoſtolorum lapſus notatos, majorem veritatis ſpeciem præ ſe fert. Quòd autem, ob *errores Patrum* animadverſos, eandem horribilium blaſphemiarum actionem intendit illis Bellarminus: potuit quidem ſpeciem habere, quo tempore [a] Gloſſa in Decretum, (& verè hîc in [b] decretum, id eſt, adverſus decretum,) annotavit *ſcripta Patrum eſſe authentica, & tenenda omnia uſque ad ultimum iota*; ſed hodie non poteſt. Nam ineptam illam annotationem refutavit [c] Canus: & ſicut Magdeburgenſes accuſant omnes Patres ob nævos & errores; quanquam Bellarminus hoc dicit accuſatoriè; nec enim mentionem faciunt [d] ipſi omnium; ſed, ut accuſârint: ita Canus, agens de Patribus univerſis, ait; *Sanctorum quiſque, his duntaxat exceptis qui libros Canonicos ediderunt, humano ſpiritu eſt loquutus, & aliquando vel in eo erravit, quod ad fidem ſpectare poſtea de-*

[a] In c. Noli meis. diſt. 9.
[b] Auguſtin. prolog. lib. 3. de Trinit.
[c] De locis theolog. lib. 7. cap. 3.
[d] Cent. 3. & ſequentib. ad finem cap. 4.

monſtratum eſt. Neque hæc unius Cani eſt ſententia, ſed totius Eccleſiæ Pontificiorum. Itaque Hyperii corrector & expilator, [a] Villavincentius, non modò Tertullianum, Irenæum, Victorinum, Papiam, Lactantium, Methodium, Cyprianum, Origenem, Hilarium, Epiphanium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, & alios, variorum errorum arguit ſpeciatim: ſed generatim etiam de cunctis [b] pronuntiat; *Palàm eſt, Patres omnes, quantumlibet inſignes vitæ innocentia atque eruditione, ſubinde verbo ſcriptóq; offendere*. Villavincentii verò laudator Poſſevinus, de Sixto quoque Senenſi, [c] qui quem tandem Patrum intactum prætermiſit? [d] *Operæpretium*, inquit, *cenſuit, (id quod cenſuêre optimi alij theologi, ac comprobavit Eccleſia,) Patrum loca, in quibus à ſcopo aberraſſent, oſtendere*. Quin immò [e] Baronius, cujus hiſtoria videtur ex profeſſo quaſi inſtituta contra Magdeburgenſes, affirmat *in divinis tantùm Scripturis nullum reperiri poſſe errorem atque mendacium*. Quod ita evidenter & conſtanter aſſerit per antitheſin ad ſcripta Patrum, ut quum [f] Hieronymi Hilarium laudantis hæc [g] citaſſet verba, *In Hilarij libris pietas fidei non vacillat*; eáq; quoad ſanam de Trinitate doctrinam intelligenda monuiſſet: *Ceterùm*, inquit, *quum divinæ tantùm Scripturæ ſit, nihil habere erroris, quod corrigatur; nec ipſe Hilarius nævis caruit*. Et hic eſt ille Baronius, cui [h] Bellarminus hoc perhibet teſtimonium: *Cæſar Baronius, vir optimus, & ſine controverſia eruditiſſimus, annales ſuos Eccleſiaſticos partim edidit, partim iam edit; ex quibus omnes omnium hæreticorum fraudes & corruptelæ,*

[a] De rar. ſtud. theolog. lib. 4. cap. 6. obſervat. 2.

[b] Ibid. obſervat. 1.

[c] Sixt. Sen. biblioth. ſanct. lib. 5. & 6.

[d] Poſſevin. biblioth. ſelect. lib. 12. cap. 23.

[e] Annal. eccleſ. tom. 2. anno Dom. 109.

[f] Epiſt. 7. ad Lætam.

[g] Annal. eccleſ. tom. 4. anno Dom. 369.

[h] De bonis operib. in part. lib. 2. cap. 24.

telæ, quæ ad hiſtorias pertinent, nullo negotio deprehendi & profligari poterunt. [a] Ex ore tuo te judico, ſerve nequam. Baronius, omnes omnium hæreticorum fraudes & corruptelas, quæ ad hiſtorias pertinent, profligans, affirmat omnium Patrum ſcriptis ineſſe nævos & errores. Cur ergo Magdeburgenſibus hanc ipſam ſententiam, tanquam horribilium in cœlites blaſphemiarum plenam, vitio vertis? Nam ſiquis fortè dicet Baronium de erroribus levioribus loqui, Magdeburgenſes autem arguere Patres omnes graviorum errorum: is Bellarmini quidem ſenſum aperiet latentem ſub his verbis, *Patres omnes accuſant, quòd non opiniones tantùm incommodas, & nævos, ſed etiam errores, & ſtipulas, & fumos in Eccleſiam ſcriptis ſuis invexerint*; verùm injuriam Magdeburgenſibus faciet. Nam, quod illi in [b] locis à Bellarmino notatis habent, *Inclinatio doctrinæ, complectens peculiares & incommodas opiniones, ſtipulas & errores doctorum, qui ſcriptis traditi ſunt*; hoc perſpicuè ſpectat errores cujuſquemodi; eóſq; cunctos leviores, ſi cum hæreſibus comparentur: à quibus, ſingularum Centuriarum capite quinto explicatis, iſtos errores, ad finem capitis quarti ſub eo titulo collocatos, clariſſimè diſtinguunt. Quod apparet planiùs è ſtipularum nomine, conjuncto cum errorum, ut idem ſignificante; & ex ea [c] Pauli ſententia petito, ex qua [d] Villavincentius ait, *non propterea damnandos eſſe Patres, quòd aliquando errârint, quia Deus fabris in domo ſua operantibus libenter indulget, etiamſi non ſemper aurum vel*

[a] Luc. 19. 22.

[b] Centuria tertia, & ſequentibus, ad finem capitis quarti.

[c] 1. Cor. 3. 12.

[d] De rat. ſtud. theolog. lib. 4. cap. 6. obſervat. 2.

gemmas, ſed interdum quoque fœnum ac ſtipulas ſuperſtruant. Bellarminus autem, in Magdeburgenſium ſententia recitanda, ad ſtipulas & errores adjicit, *& fumos*; quo meliùs, quemadmodum [a] Ariſtophanes Socratem, ſic Lutherum ipſe tanquam [b] in theatrum cum ludibrio producat, dicens: *Adeò ut niſi Lutherus facem nobis doctrinæ prætuliſſet, caliginémq; illam tempeſtivè diſſipaſſet, iam fumo excæcati enectiq; omnes eſſemus.* Facetè dictum: mira verò, militi quæ placeant. Ceterùm, utut iſte Thraſonis Capitolini aſſecla ſuis ſalibus beneficium ex Lutheri doctrina perceptum elevet; [c] Fuchſius, inſignis medicus, ait ſeriò, *Romanum Pontificem, qui non modò eſu carnium interdixit nobis verno tempore, ſed etiam ius & poteſtatem comedendi lac, butyrum, & ova, à ſe pecunia comparare coëgit, ita in corpora fortunáſq; noſtras decretis ſuis graſſatum eſſe: ut parum abfuerit, niſi Deus Lutherum, virum perpetua memoria digniſſimum, excitaſſet, quin mox fœno nobis, communi cum iumentis cibo, utendum fuiſſet.* Et ſanè [d] Benedictus, theologus Pariſienſis, affirmat *aſinam*, in [e] hiſtoria Balaami, ſignificare Eccleſiam: an quia Pontifex [f] *Balaam* eſt, qui ei inſidet? Enimverò multum ad hujus myſterii ſignificationem confirmandam faceret, ſi Pontifex, quod eventurum metuebat Fuchſius, Eccleſiam cogeret veſci fœno. Verùm Bellarminus, qui, ſi judicavit Magdeburgenſium ſententiam verborum ſynonymorum copia amplificandam eſſe, *fœni* commodiſſimè ex Villavincentio, vel potiùs ex Apoſtolo, meminiſſe potuit, videtur *fumos* maluiſſe, ut in urbanitatis ſuæ quaſi fumo contra Lutheranos

[a] In nubib.
[b] Heb.10.33.
[c] Inſtitut. medicin. lib. 2. ſect.2.cap.9.
[d] Concordãt. Biblior.verbo, Aſina.
[e] Num.22.21.
[f] 2.Pet.2.15.

theranos excitato fugiens faciliùs lateret. Alioqui clara luce patuisset eum horribilem sycophantam esse, qui Magdeburgenses condemnet horribilium in cœlites blasphemiarum, quòd nęvos & errores Patribus attribuant.

CAP. V.

Calvinum horribilium in omnes cœlites blasphemiarum falsissimè à Bellarmino argui.

Bellarminus.

QVID de Quintino illo impuro & blasphemo Libertinorum in Galliis parente dicemus, qui, ut Calvinus autor est in institutione contra Libertinos, cap 9. adcò petulānter in Sanctos omnes debacchabatur, ut Paulum aliter non appellaret, quàm vas confractum, Ioannem iuvenem stolidulum, Matthæum fœneratorem, Petrum Christi abnegatorem?

Porrò Calvinus, qui tam severè alios arguit impietatis, tam fuit ipse pius & religiosus, ut non contentus iis conviciis, quibus Sanctos omnes vexat, qui post Christi adventum floruerunt, etiam ad eos linguæ suæ flagellum extenderit, qui multis seculis eiusdem Salvatoris adventum præcesserunt. Itaque in libris Christianæ suæ institutionis, lib. 3. cap. 14. §. 11. Abrahamum idolorum cultorem facit; Saram, lib. 3. instit. cap. 2. §. 31. multis modis peccasse

dicit, cùm ancillam viro ſuo ſuppoſuit; Rebeccam verò variis fraudibus et impoſturis Dei veritatem corrupiſſe, dum malo artificio filii benedictionem procurat, maritum decipit, Iacobum mentiri cogit. Iudam Machabæum, lib. 3. cap. 5. §. 8. ſuperſtitionis & præpoſteri zeli reprehendit, quòd pro mortuis ſacrificium offerri imperaverit. Sephoram, lib. 4. cap. 15. §. 20. ſtultam mulierem fuiſſe, gravitérq; peccaſſe docet, quòd filium circumciderit. Moſem ipſum, in caput triceſimum ſecundum Exod. quo nihil habuit antiqua ætas mitius, ſapientius, ſanctius, arrogantiæ atque ſuperbiæ Calvinus inſimulat, quòd nimirum imperioſe legem Deo præſcripſerit, ſuáq; eum iuſtitia exuerit.

Iam verò de ſanctis hominibus Teſtamenti novi, primùm ſcurriliter nugatur, eos, ſi preces mortalium exaudire debeant, tam longas aures habere oportere, ut à cælo uſque ad terram porrigantur. Deinde eoſdem per contemptum, nunc homines mortuos, nunc umbras, nunc larvas, nunc etiam colluviem nominat, in inſtitutione lib. 3. cap. 20. §. 27. in libro autem, quem inſcripſit, De vera Eccleſiæ reformandæ ratione, etiam monſtra, carnifices, & beſtias appellavit. Qua contumelia & blaſphemia vix ulla maior cogitari poteſt. Quid enim? ſi non Calvinum ipſum, ſed coniugem eius (nefas enim apud eos eſt Epiſcopum creari, niſi uniius ſaltem uxoris virum) ſi coniugem, inquam, Calvini, aut libros, aut amicos, aut etiam ſervos, vel ancillas aliquis noſtrúm larvas, umbras, colluviem, beſtias, monſtra, carnifices appellaret, quo animo id Calvinus acciperet? an ſibi iniuriam fieri non arbitraretur? nunquid

quid non molestissimè, gravissiméq; ferret? & Christus æquo animo accipiet, amicos, domesticos, fratres, filiósq; suos amantissimos, quos ipse in cælis tanto honore dignatur, ut in Apocal. dicat: Si quis vicerit, dabo ei sedere in throno meo, sicut ego vici, & sedi in throno Patris mei; *hos, inquam, tam sublimes Principes, consortes regni & solii divini, umbras, larvas, colluviem, ab uno quodam arrogantissimo terræ vermiculo nominari? Non feret certè æquo animo Deus, sed omnes eiusmodi blasphemos atque sacrilegos æternis suppliciis tandem afficiet.*

Rainoldus.

VT semper, [a] ubi agricola bonum semen serit, inimicus ejus serit zizania: inter Christianos, post Evangelium prædicatum, variè, cûm olim, tûm nuper hæreses emerserunt. Atque olim quidem eas puram Christi fidem profitentibus objicere solebant hostes veritatis. Exemplo esse potest Celsus Epicurêus: [b] qui dogmata Ophitarum (hominum [c] serpentem, tanquam scientiæ boni & mali autorem, colentium) Christianis omnibus communia faciebat, & orthodoxis vitio dabat. Non ita Bellarminus hodie Quintini blasphemias nobis objicit. Quas tamen cur hoc loco ita explicavit, nisi talem aculeum in nos exerere studuit, qualem in illos Celsus? Neque enim (puto) laudare voluit Calvinum,

[a] Matt. 13.24.

[b] Orig. contra Cels. lib. 6.

[c] Gen. 3.5.

qui abominandam Libertinorum hæreſin, ſtertentibus Pontificiis, redarguit & refellit. Sed Quintini ſcilicet blaſphemias à Calvino condemnatas recitat, quo magis ſuo ipſius quaſi teſtimonio Calvinus convincatur: qui in aliis ea tam ſeverè carpens, ipſe non ſolùm in Sanctos novi Teſtamenti, ſicut Quintinus, ſed etiam in veteris, effudit paria, aut pejora. Et verò, ſi Calvinus Quintini impietatem imitatus eſſet: meritò, ob convicia & flagella linguæ, blaſphemis & ſacrilegis accenſeretur. Verùm narrent mihi velim Jeſuitæ, utrùm Bellarminus, Quintinum ut impurum & blaſphemum carpens quòd novi Teſtamenti Sanctos appellârit contumelioſè, ipſe multo magis impurus & blaſphemus exiſtimandus ſit, [a] qui non contentus iis conviciis quibus Petrum vexat, abnegationem Chriſti jurejurando & anathematizando factam ei exprobrans; etiam ad Sanctos Teſtamenti veteris flagellum linguæ ſuæ extendit: parentémque noſtrum, Adamum, ait lapſum eſſe in peccatum lethalis inobedientiæ; & hominem ſecundum cor Dei, Davidem, ſeſe adulterio & homicidio polluiſſe. Quòdſi reſpondeant, hæc non eſſe convicia & [b] flagella linguæ, id eſt, calumnias, quoniam, ut è Scripturis conſtat, vera ſunt; eóq; Bellarminum blaſphemum non pronuntiandum, licet Quintinus ſit blaſphemus, [c] qui Apoſtolos probroſis ſcommatibus inceſſit ad fidem verbo Dei, ab ipſis ſcripto, abrogandam; neque Petrum Chriſti abnegatorem vocat ut unam notet actionem, ſed ut perfidiæ habitum ei falſò affingat: idem pro Calvino reſponſum ſibi habeant, illum linguæ ſuæ flagellis & conviciis non vexare Sanctos aut veteris

[a] Bellarm. de amiſſ. grat. & ſtat. peccat. lib. 1. cap. 7.

[b] Iob. 5. 22.

[c] Calvin. inſtruct. adverſ. Libertin. cap. 3. & 9.

veteris Teſtamenti, aut novi, quia vera memorat, ut conſtat è teſtibus veritatis; eóq; iniquiſſimè à blaſphemo iſto ſacrilegóq; Jeſuita inter blaſphemos & ſacrilegos numerari.

2 Etenim, ut de ſingulis ordine agamus,[a] Calvinus ait *Dominum imputaſſe fidem Abrahæ ad iuſtitiam, non eo tempore quo idolis adhuc ſerviebat, ſed quum multis iam annis vitæ ſanctitate excelluiſſet.* Ita *Abrahamum idolorum cultorem facit*, inquit Bellarminus. Rectè. Idolorum cultorem facit olim. Nam quum Abrahamus in [b] ure Chaldæorum degeret: nondum verum Deum colebat, ſed falſum. Quod ſubinnuit Jacob, quando [c] Labane in ictum inter ipſos fœdus ſic jurante, [1] *Dii Abrahami, & Dii Nachoris iudicent inter nos, Dii patris eorum; iuravit* ipſe *per pavorem patris ſui Iſaaci:* tanquam ex antitheſi declarans ſe per verum Deum jurare, non per quos Laban. Joſua verò planiùs, vel potiùs Dominus per Joſuam, dicens Iſraelitis: [d] *Trans flumen habitabant patres veſtri olim, Thara pater Abrahami & patex Nachoris, colebántq; Deos alios.* Quippe quæ verba, collata cum ſequentibus, [e] *Et aſſumſi patrem veſtrum Abrahamum*, evidenter indicant, in Dei beneficiis erga Iſraelitas hoc commemorari, quòd, quum majores eorum, nempe uterque Iſraelis avus, paternus & maternus, Abraham & Nachor, cum patre ſuo Thara in Chaldæa degentes, alios Deos colerent: Deus Abrahamum ex mera ſua gratia, non ejus merito, aſſumſit; eíq; hereditatem & heredem dedit. Idcirco, licèt quidam [f] Judæi (pari zelo flagrantes, atque Bellarminus, exiſtimationis Abrahami tuendæ) ex ambiguitate vocabuli [g] *ur*, & [h] urbem quandam Chaldæ-

[a] Inſtitut. lib. 3. cap. 14. §. 11.

[b] Gen. 11. 31.

[c] Gen. 31. 53.

[1] Heb. אלהים, ut Ioſ. 24. 2. ubi cuncti interpretes reddunt plurali numero, *Deos*: quod mihi & hoc loco videntur rectè feciſſe Paſtores ac Profeſſores Eccleſiæ Genevenſis in Gallica verſione.

[d] Ioſ. 24. ver. 2.

[e] ver. 3.

[f] Bereſith rabb. cap. 38. Midras agad. apud R. Salomonem Iarhi, in Gen. cap. 11. ver. 28.

[g] Gen. 11. ver. 28. & 31. Heb. אור.

[h] Ioſeph. antiquit. Iud. lib. 1. cap. 7.

Chaldęorum, et [a] ignem ſignificantis, commenti ſint Abrahamum conjectum in ignem à Chaldæis, quòd ignem adorare nollet, imaginéſve confregiſſet, à Domino ex igne liberatum eſſe: tamen Andreas Maſius, qui à [b] Pontificiis ſuis perſtringitur velut plus Rabbinis tribuens quàm Patribus, iſtuc eorum commentum [c] vocat *fabulam, refutatione indignam, cùm ſit certiſſimum, Vr, loci nomen eſſe*; & addit, *ſe non poſſe eos audire, qui magno conatu Abrahamum ab hoc turpiſſimo ſcelere vindicare, neſcio quibus argutiis, ſtudent*. Nam in verbis Domini, per Joſuam enuntiatis, *hoc pro admirabili Dei beneficio in Abrahamum commemorari, quòd illum, quaſi manu arreptum, è patria, & idololatrarum conſortio extraxerit*. Ac *videri verbum* [1] accepi *pro, evocavi, poſitum, ut illuſtrius appareat Dei beneficium, atque admirabilius; qui non ſolùm gratis illum, ſed retrectantem etiam, & tergiverſantem, quum adverſarios Deos coleret, quaſi manu iniecta ad ſe adduxit; atque ex obſcuriſſimis errorum tenebris in lucem æternæ veritatis protraxit: nimirum, ne illius poſteritas, aut ſuis, aut maiorum ſuorum meritis tantam gratiam olim poſſet aſſumere*. Quod totum ita certò & liquidò è ſacri contextus circumſtantiis atque univerſa narrationis ſerie conſtare cenſet Maſius, ut id tot modis toties aſſeveratum iteret, dicens: *Hæc enim opinio non ſolùm veriſſima eſt; ſed etiam ad Joſuæ cauſam, quam agit, utiliſſimam affert Iſraelitis religionem*. Neque verò ſolus ille hanc ſententiam oratione Joſuæ contineri aſſerit. Id ipſum copioſè tradit confirmatq; [d] Arias Montanus. Id ipſum [e] Genebrardus agnoſcit, & autoritate Hebræ-

[a] Eſai. 31. 9. & 47. 14.

[b] Leo Caſtr. apolog. pro lect. Apoſt. & Evang. lib. 4. Poſſevin. biblioth. ſelect. lib. 2. cap. 8.

[c] Comment. in Ioſ. cap. ult. ver. 2. & 3.

[1] Heb. פקד, pro quo Vet. interpr. *tuli*: Trem. & Iun. *aſſumſi*.

[d] Comment. in Ioſ. cap. ult. ver. 2. & 3.

[e] Chronographiæ lib. 1.

Hebræorum probat. Id ipsum denique [a] Possevinus suffragio suo roborat: ac pronuntiat *Abrahamum cœlesti afflatu, tanquam manu iniecta, è superstitionibus patriis exemtum, atque ad colendam sanctorum parentum pietatem religionemq; revocatum esse.*

[a] Biblioth. select. l. 2. c. 7.

3 Horum autem quatuor Pontificiorum doctorum testimonia, quantumvis ad Calvini dictum à blasphemiæ reatu liberandum infirma esse possent singula: tamen universa, conjuncta, sunt firmissima; & Bellarminum plus quàm [b] triplicato filo, quod non citò abrumpitur, arctè vinctum tenent. Nam [c] Hispani sanctæ Inquisitionis Theologi mandaverunt è Masii commentariis in Josuam quædam expungi, quæ non tam Rabbinismum sapiant, quàm hæreses: ut [d] Possevinus refert. Quod quum ipse laudet tanquam bonum factum, & tamen ex historia Josuæ demonstret Abrahamum patriis superstitionibus fuisse implicatum, id est, idola coluisse: appâret hanc sententiam non modò non jugulatam esse Hispanorum Theologorum veru, ut Rabbinicam, hęreticámve; sed etiam approbatam, ut Catholicam & orthodoxam. Ex eadem gente videntur emersisse illi Jesuitæ, contra quorum emissarium, Herostrati nomine designatum, [e] Arias Montanus commentationem pro Hebraici fontis veritate scripsit. Contra quem, aut alium ullum ejusdemmodi incendiarium, quoniam apologiam ab eo scriptam non invenio de Abrahamo insimulato idololatriæ: idcirco Jesuitas Hispanos hac in causa cum Hispanis sanctę Inquisitionis Theologis cõsentire auguror. Genebrardinæ verò Chronographiæ libros supra omnes omnium aliorum Chronologias extollit [f] Possevinus: sic

[b] Eccl. 4. 8.

[c] Theologi Hisp. in expurgat. Indice.

[d] Biblioth. select. lib. 2. c. 8.

[e] Ar. Montani de varia Hebraicorum librorum scriptione & lectione cõmentatio: secundo sacri apparatus tomo addenda. Anno Dom. 1581.

[f] Biblioth. select. l. 2. c. 26.

ſic tamen ut hanc notam ei affigat; *Viri aliqui pij deſideraſſent, minorem Rabbinorum Judæorum in veteris Teſtamenti Chronologia fieri mentionem.* Unde, quæ ſunt ibi de Abrahamo ſcripta, notantur viris piis ex parte diſplicere. Quippe hunc in modum à [a] Genebrardo expreſſa: *Joſuæ viceſimo quarto capite & Abraham inter idololatras numeratur: ſed quadrageſimo octavo anno ætatis cæpiſſe agnoſcere Deum, & idololatria cedere, ſcribunt Hebræi è R. Johanan, & R. Hanina.* Nec injuria ſanè talem Rabbinorum mentionem improbant aliqui viri pii. Siquidem in quo aſtro viderunt Rabbi Johanan, & Rabbi Hanina, Abrahamum idola colere deſiiſſe ipſo quadrageſimo octavo ætatis anno? Qui debebant potiùs, ut [b] Philo Judæus, eum ad ſinceram religionem à Deo ex idololatria evocatum tradere, quod tradunt ſacræ literæ; circumſtantiam autem temporis, quo id factum ſit, quia ſacræ literæ tacent, tacere. Verùm quod è Joſuæ viceſimo quarto capite affirmat Genebrardus, de Abrahamo numerato inter idololatras: id ſicut Poſſevinus oſtendit ſibi probari, ita piis quoque probatum inſinuat. Denique Poſſevini opus Romæ editum eſt, cum * encomiaſtico Papa Diplomate, ex Typographia Apoſtolica Vaticana; nec ſolùm à Magiſtro Palatii Apoſtolici, compluribúſq; aliis, *viris* (teſte ipſo) *doctrina & pietate illuſtribus*, examinatum & approbatum, ſed etiam à præcipuis theologis Societatis Jeſu; & à [c] Claudio Aquaviva, Præpoſito Generali ejuſdem Societatis, ornatum hoc elogio; *Nihil in eo repertum eſſe, quod ſanæ doctrinæ adverſetur.* Quum igitur Bellarminus blaſphemiæ in Calvino con-

[a] Chronogr. lib. 1. inter annos mundi 1949. & 2049.

[b] Lib. de Abrahamo.

* *Opus multis vigiliis ac lucubrationibus ab eo compoſitum:* item, *Ob eius in Catholicam Religionem & Romanam Eccleſiam merita.* Clemens Papa VIII. Ad futuram rei memoriam.

[c] Epiſt. præfixa Biblioth. ſelect. Poſſevin.

condemnet id enuntiatum, quod Andreas Masius, quod Arias Montanus, quod Genebrardus, quod Possevinus, quod Inquisitores Hispani, quod Jesuitæ, quod viri pii, docti, censores Pontificii, quod Romæ flos, quod Papa, quod Generalis demum Præpositus Jesuitarum, orthodoxum esse, & in historia Josuæ traditum agnoscunt: quid causæ poterunt dicere quin Bellarminum damnent ut membrum ejus [a] bestiæ, quæ aperuit os suum ad blasphemiam adversus Deum, ut conviciis afficeret nomen ejus, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant? [a] Apoc.13.6.

4 Porrò, *errores permisceri fidei, quum homines excedunt metas verbi Dei*, [b] Calvinus asserit exemplis *Saræ, & Rebeccæ: quarum altera multis modis peccavit, quum ancillam suam marito supposuit; altera maritum decipit, filium mentiri cogit, varias imposturas & malum artificium adhibet; utriusque tamen desiderium ex fide fuit, ut id quod promiserat Deus procurarent; Sara, heredem marito; Rebecca, benedictionem filio.* Unde Bellarminus, de *fide* earum tacens, excerpit, ut blasphema, quæ intexuntur de *peccatis.* Sed num & hæc Calvinus non è Scripturis didicit? Etenim, quum [c] Deus marito Saræ promisisset heredem ex ipso nasciturum, illa, quia liberos nondum pariebat, plus septuaginta annos nata, dixit ei: [d] *Ecce nunc, occlusit me Jehova ne parerem; congredere nunc cum ancilla mea, fortassis liberos consequar ex ea:* & marito, ista ratione persuaso, ancillam pro uxore dedit. [e] Lege autem Dei, qui Adamo uni creavit Evam unam, & de duobus dixit, *Erunt una caro*, prohibentur duæ uxores esse uni viro: atque adeò tempore Saræ prohibebantur. Nam [f] Malachias, immò [b] Institut. lib. 3. cap. 2. §. 31. [c] Gen.15.4. [d] Gen.16.2. [e] Gen.2.24. [f] Mal.2.15.

mò & [a] Chriſtus, docet eam legem, ab initio inſtitutam, perpetuò viguiſſe. Peccavit igitur Sara, quæ marito ſuo ancillam dedit uxorem. Siquidem [b] tranſgreſſio Legis eſt peccatum. Præterea, ut facto, ſic etiam cogitato & dicto deliquit: quum heredem, quem marito ſciebat divinitus promiſſum, ex ſe procreari poſſe diffidens, *Ecce nunc*, inquit, *occluſit me Jehova ne parerem*. Eodem genere culpæ lapſa, quo poſtea, quum [c] Domino dicente ipſam parituram Abrahamo filium, riſit, oſtendens ſe exiſtimare hoc fieri non poſſe. Nam peculiari Dei beneficio gratiáq; factum eſt, ut [d] nonagenaria [e] Iſaacum pareret. Quapropter, etſi graviùs peccavit diffidentia, quum Domino ex ipſa genitum iri filium dicenti non credidit: tamen ne tum quidem vacavit omni culpa, quum, marito ſciens promiſſum eſſe heredem, dixit ſe à Domino occluſam ne pareret. Hoc enim multis annis antea evênit, quàm experientia eam falſò & temere loquutam eſſe docuit: ut diutius certè cum Abrahamo exſpectare, & [f] contra ſpem ſub ſpe credere, debuerit. [g] Qui credit, non præfeſtinabit. Suum [h] tempus habet viſio: ſi cunctabitur, exſpecta eam.

[a] Matt. 19. ver. 5. & 8.
[b] 1. Ioh. 3. 4.
[c] Gen. 18. 10.
[d] Gen. 17. 17.
[e] Gen. 21. 2.
[f] Rom. 4. 18.
[g] Eſai. 28. 16.
[h] Habac. 2. 3.

5 Reſpondebit forſan Bellarminus ad omnia hæc delicta Saræ, quod ad eorum primum & maximum reſpondet: [i] *Non eſt credibile Saram, fœminam ſanctiſſimam, id facturam fuiſſe, niſi licitum eſſe ſciviſſet*. Sed Legis tranſgreſſiones, à [k] Domino, à [l] Papiſtis ipſis reprehenſas, poterit defendere pari ratione: Non eſt credibile Saram, fœminam ſanctiſſimam, aut [m] diffidentiæ ſuæ documentum riſu edituram fuiſſe, niſi ſciviſſet licitum eſſe diffidere; aut [n] mendacio inficias ituram ſe riſiſſe, niſi ſciviſſet licitum

[i] Bellarm. de matrimonii ſacrament. cap. 18. 11.
[k] Gen. 18. 12.
[l] Caietan. Fer. Lippoman. & Oleaſtr. in Geneſ. cap. 18.
[m] Gen. 18. ver. 12.
[n] ver. 15.

tum esse mentiri. Et pari ratione respondere poterant tùm antiquiores Judæi [a] Malachiæ, tùm recentiores Pharisæi [b] Christo, quum Legis admonerentur: Non est credibile Saram, fœminam sanctissimam, acturam fuisse quod egit, nisi contra Legem id licitum esse sciviſſet. Quod tamen neutros eorum, non modò non exemplum Saræ opponendo, sed ne Abrahami quidem, patris fidelium, legimus feciſſe. An quia Judæi & Pharisæi nihil ad nostrum hunc?

[a] Mal. 2. 15.

[b] Matt. 19. 5.

6 Rebecca verò, [c] Dei oraculo edocta de Jacobi electione, quî potest excusari, quin malo artificio benedictionem ejus procuret, variisq; fraudibus corrumpat veritatem Dei: [d] quæ maritum, gratiæ Dei ministrum, multis modis fallit; ídq; per filium; ídq; mentiendo? Nam [e] mendacium nullum ex veritate est: nec vacat culpa [f] falsus testis. Atqui Jacob falsum respondet ac mentitur Isaaco patri: [g] *Ego sum Esau primogenitus tuus*; item, *Feci quemadmodum edixisti mihi*; item, [h] *Sum Esau filius tuus*. Excusationes quidem hujus rei afferuntur variæ: sed malum malo sanantes, mendacium mendacio. Quod enim Jacob dixit, *Ego sum Esau primogenitus tuus*: id [i] Rabbi Levi distinguens interpunctione, *Ego sum, Esau primogenitus tuus*; exponit, Ego sum decem verba susceperturus, sed Esau est primogenitus tuus. [k] Rabbi autem Salomo Jarhi, tanquam iste vanitatis fucus peccaret eo solùm, quòd verba minùs scitè ad rem præsentem accommodaret, posteriorem clausulam retinet eandem; nempe, Esau est primogenitus tuus: sed priorem à decem mandatis ad cupedia, quæ Isaac sibi jusserat apparari, transfert; interpretans hoc modo, Ego sum afferens tibi cibum. Et quod

[c] Gen. 25. 23.

[d] Gen. 27. 11.

[e] 1. Joh. 2. 27.

[f] Exod. 20. 16. Prov. 19. 5.

[g] Gen. 27. ver. 21.

[h] ver. 26.

[i] Beresith rabb. cap. 65.

[k] In hunc locum. Gen. cap. 27.

quod Jacob addidit, *Feci quemadmodum edixiſti mihi:* hoc idem Rabbi ad alia detorquens à venatione, quam mandaverat Iſaac, exponit, Feci multa quæ edixiſti mihi. Denique, quod Jacob, quærenti rurſum Iſaaco, *Tu is es? filius meus Eſau?* reſpondit, *Sum:* non dixit, inquit idem Rabbi, Sum Eſau; ſed tantummodò, Sum. Quas Rabbinicas ineptias commemoraſſe eſt confutaſſe. Sic clara luce cæcutiunt Judæi poſt rejectam [a] lucem. Ne [b] ipſi quidem omnes iſtis tam inſulſis ſuorum gloſſis acquieſcunt: ſed inclinant potiùs ad excuſationem Papiſtis approbatam.

[a] Ioh. 8. 12.
[b] R. Aben Ezra, & alii apud eum.

7 Eam tradens Papa [c] Innocentius Tertius, ubi affirmaſſet adverſum polygamos, *non licuiſſe ulli unquam plures ſimul uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum: per quam*, inquit, *ſicut Jacob à mendacio, Iſraelitæ à furto, & Samſon ab homicidio, ſic & patriarchæ & alij viri iuſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur*. Quibus ille verbis videtur ſignificare, Jacobum Dei juſſu ad patris interrogata falſum reſpondiſſe, ac propterea neutiquam eſſe mentitum: quemadmodum [d] Iſraelitæ ex mandato Dei Ægyptios ſpoliârunt, eóq; res alienas non contrectârunt invito Domino, nec furtum commiſerunt. Verùm Iſraelitis [e] legimus hoc conceſſum divina revelatione: illud Jacobo conceſſum non legimus. Immò nec Rebeccæ, cui Deus revelavit, [f] majorem ſerviturum eſſe minori, & Jacob Eſauo potiorem fore, præcepit Deus ut per fraudem jus hereditatis ei acquireret: nec Rebecca dixit Jacobo, quum ad fraudem eum inſtrueret, Auſcultа voci Dei, & præcep-

[c] Cap. Gaudemus. Extra. de divortiis.
[d] Exod. 12. 36.
[e] Exod. 3. 22. & 11. 2.
[f] Gen. 25. 23.

præcepto Jehovæ; sed, [a] *Ausculta voci meæ, rei quam ego præcipio tibi*. Unde [b] Abulensis in hunc locum ait: *Non fuerat revelatum Rebeccæ à Deo, quòd isto modo faceret:* [c] *Acquiesce, inquit, consiliis meis; non dicit consiliis Dei, sed meis*. Idcirco [d] Pontificii sic libentiùs capiunt verba Innocentii, ut Jacobum asserat instinctu Dei prophetasse, quum patri respondere se primogenitum ejus esse; nec falsum proprio sensu, sed verum figurato & mystico dixisse. Atque huc spectavit fortassis [e] autor Glossæ, dum ad illustranda Innocentii verba citavit [f] Gratianum: qui affirmat Jacob minimè mentitum dicendo se esse Esau primogenitum, quia non se dixit primogenitum propriè, sed ut [g] Christus Johannem dixit esse Eliam. Ego verò non video cur Innocentius, si hoc vellet, diceret Jacobum similiter per divinam revelationem à mendacio excusari, atque patriarchæ, qui uxores simul plures habuerunt, excusantur ab adulterio. Namque hæc verba, de adulterio excusato, sonant *coniugium cum pluribus uxoribus, alioqui illicitum, Dei dispensatione factum esse licitum*, ut [h] Bellarminus docet. Atqui figurato sermone verum proloqui res est ex se licita: nec per legem ullam illicita unquam fuit, ut revelationis divinæ privilegio ad hominem à mendacio excusandum egeret. Sed esto; idem prorsus senserit Innocentius, quod & Gratianus antea tradiderat, & postea [i] Thomas Aquinas, quum obiecisset sibi *Jacob mentitum dicentem se esse Esau*, respondit, ad dicti defensionem, his verbis: *Jacob mysticè dixit se esse Esau primogenitum Isaac; quia videlicet primogenita illius de iure ei debebantur*: &, *Usus est hoc modo loquendi per spiritum prophetiæ ad designandum*

[a] Gen. 27. 10.
[b] In Gen. cap. 27. quæst. 4.
[c] Gen. 27. 8. ex vulg. edit. Lat.
[d] Canus, lib. 2. de locis theolog. cap. 4. Cuyckius, annot. ad Cassiani collat. 17. cap. 8.
[e] Bernard. Boton. in cap. Gaudemus. de divortiis.
[f] 22. q. 2. cap. Item opponitur.
[g] Matt. 11. 14.
[h] De matrimonii sacram. c. 11.
[i] In 2ª 2æ. quæst. 110. artic. 3.

nandum myſterium; quia minor populus, ſcilicet Gentilium, ſubſtituendus erat in locum primogeniti, ſcilicet in locum Judæorum. Tamen in eadem ſalebra mendacii adhuc hæret alterum dictum Jacobi: *Feci quemadmodum edixiſti mihi.* Ad quod pronuntiatum, conjunctum cum priore, hæc eſt [a] Veronenſis Epiſcopi obſervatio: *Tria in prædictis verbis, ut videtur, continentur mendacia: nam nec erat Jacob Eſau; nec quod Iſaac præceperat, dicendo,* [b] *Sume pharetram & arcum, &c. fecerat; nec ei, ſed Eſau, pater loquutus fuerat.* Quin etiam, quod Aquinas ad primum horum trium excuſandum affert; id, quantumvis omnibus adhibitum, tamen inane eſſe declarat Veronenſis, addens: *Nec obſtat quòd hæc omnia peccata & mendacia figuræ fuerint futurorum; nam magnus Dominus adeò omnipotens & bonus, ut ſolus ſciat ex malis quoque bona elicere.* Cujus in ſententiæ receſſu plus videbunt, quàm fronte præ ſe fert, qui conſiderabunt, [c] Caiapham crudele & impium conſilium necandi Chriſti dediſſe, quod [d] Deus tamen, aliò ſub ambiguis verbis linguam ejus flectens, fecit vaticinium Pontificis maximi de ſalute hominum per Chriſtum. Et quidē attendenti ad integram totius rei geſtæ ſeriem, & [e] Jacobi mentem fraudis ſibi conſciam, [f] reſponſaq; omnia ſedulò reputanti, patebit, etiamſi myſterium ejus verbis præſignificatum voluiſſet Deus, tamen ipſum patri dicentem ſe Eſaum eſſe, illum Eſaum, de quo quærebat pater, voluiſſe verba ſua capi propriè, eáq; re mentitum eſſe. Proinde [g] Caietanus, etſi non libenter vel Innocentio contradicens, vel diſſentiens ab Aquinate, *Si dixiſſet*, inquit, *Ego ſum primogenitus tuus, & non addidiſſet, Eſau;*

excu-

[a] Aloyſ. Lippoman. caten. in Gen. ca. 27.

[b] Gen. 27. 3.

[c] Ioh. 11. ver. 49.

[d] ver. 51.

[e] Gen. 27. ver. 34.

[f] ver. 21. 22. & 26.

[g] Comment. in Gen. ca. 27.

excusaretur, quia emerat primogenituram: sed dicendo, Esau, inexcusabilis apparet à mendacio officioso. Atque, utut alia responsa excusari posse arbitretur; tamen, quòd *iterum interroganti patri, adiuncto* [1] *pronomine identitatis,* [a] *Túne es ipse filius meus Esau? nec dicenti quicquam de primogenitura, quam ei venditam sciebat, sed ex industria restringenti interrogationem ad personam Esau, respondit Jacob, Sum: inexcusabilis*, inquit, *est*, non dicit ampliùs, *appareret*, sed, *est inexcusabilis ab officioso mendacio.* Audaciùs Caietanus; quippe, Cardinalis: cui liberiori adversus Innocentium Papam esse licuit. Idem sibi visum inferioris gradus doctores indicârunt: tametsi timidiusculè. Nam [b] Scotus, dicens *aliquos conari multùm salvare, Jacob & aliquos patres veteris Testamenti non fuisse mentitos*; subjungit, *hoc non videri multùm rationabile.* Et [c] Liranus, postquàm id ipsum pro Jacobo dixisset, quod Gratianus; *Sciendum tamen*, inquit, *quòd non videtur mihi magna necessitas excusandi patres veteris Testamenti, à mendacio maximè officioso.* Nec secus Episcopi, [d] Abulensis, & [e] Veronensis. Quid, quòd & [f] Canarienſis, qui diversum sentit, commotus Innocentii ac Patrum judicio; quanquam Lirano atque Abulensi, *quos* [g] ait *in Scripturæ explanatione insignes haberi*, plus hac in quæstione de Scripturæ sensu meritò detulisset; sed & ipse asserit, *verba illa Jacob in sensu proprio esse mendacium.* Jacob autem ea enuntiavit in sensu proprio, sicut declaratum est. Mentitum igitur esse Jacob agnoscendum est. Et quod Jacob fecit, Rebecca impellente ac jubente fecit. Quapropter, nisi dicemus facienda mala ut veniant bona; quod [h] Apostolus de-

[1] Hebræum ni; hac voce notat Caietanus, pro eo reddens, *Ipse*; ut & Pagninus: quod vetus interpres non expressit.

[a] Gen. 27. 26.

[b] In 3. sentent. dist. 38.

[c] In Genes. cap. 27.

[d] Alfons. Tostat. in Gen. ca. 27. quæst. 4.

[e] Lippoman. caten. ibid.

[f] Canus, lib. 2. de locis theolog. cap. 4.

[g] Eiusd. oper. lib. 11. cap. 5.

[h] Rom. 3. 8.

teſtatur: fatendum eſt fideles, Saram, & Rebeccam, infirmitate lapſas eſſe, dum ad finem rectum non recta via contenderunt.

8 In Juda Maccabæo deliquit fortaſſe magis, & minùs tamen Bellarmini cenſuram meruit Calvinus. Nam quod ex [a] Jaſonis Cyrenæi hiſtoria, ad venales Miſſas, Miſſiſq; pares Indulgentias Purgatorio ſuperſtruendas, Papiſtæ ingerunt de Juda; [b] *Duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, bene & religioſè de reſurrectione cogitans*: de eo [c] Calvinus, præfatus *Judæ pietatem non alio nomine laudari, niſi quia ſpem firmam de ultima reſurrectione habuerit, ubi oblationem miſit pro mortuis Jeroſolymam; ſuperſtitione & præpoſtero zelo non caruiſſe hoc factum*, ſubjicit. In quo videtur Judam immeritò culpare, deceptus vel à Jaſone, vel à Pontificiis: qui pro mortuorum peccatis ſacrificium ab eo oblatum eſſe falſò tradunt, quantum quidem auguror. Verùm, ſive ſua quempiam illorum fefellerit conjectura, ſive me mea: ipſum certè factum, Judæ à Pontificiis & Jaſone attributum, Calvinus verè affirmat ſuperſtitione & præpoſtero zelo non caruiſſe. Ac Judam falſò tradi ſacrificium pro mortuorum peccatis obtuliſſe, perſuadet mihi ipſa (ut in hac Jaſonis epitome ſcripta eſt) hiſtoria. In [d] ea quippe legimus *inventas eſſe ſub militum cæſorum tunicis res idolis conſecratas, à quibus* [e] *Lex Judæos arcet; adeò ut omnibus fieret manifeſtum, iſtos propter hanc cauſam cecidiſſe: ac proinde omnes, benedicentes operibus Domini iuſti iudicis, eum oraſſe, ut commiſſum iſtud peccatum perfectè deleretur: &*

Judam,

[a] 2.Macc.2. 24.

[b] 2.Macc.12. 43.ex ver. vulgat.edit.Lat.

[c] Inſtitut.lib. 3.cap.5.§.8.

[d] 2.Macc.12. 40.

[e] Deut.7.25.

Judam, poſtquam hortatus eſſet multitudinem, ut conſervarent ſe ipſos integros à peccatis, quum ante oculos viderint quæ facta ſunt ob iſtorum peccatum qui ceciderant, duo millia drachmarum collectione viritim facta collatarum miſiſſe Jeroſolymam, ut offerretur ſacrificium pro peccato. Cujus narrationis cunctæ circumſtantiæ eò inclinant, ut Judas ſacrificium pro vivorum peccato, non pro mortuorum, offerri voluerit. Nec enim veriſimile eſt virum tam pium & peritum Legis procuraturum fuiſſe ſacrificii oblationem pro eo peccato, quod [a] Lex ſupplicio capitis puniri, ut ſcelus abominandum; non, ut [b] levíora delicta, ſacrificiis expiari jubet: nedum pro ejuſmodi peccato mortuorum, divina quaſi manu ob commiſſum ſcelus cæſorum & necatorum. Præſertim quum id neque factum ſit à Joſua pro [c] Acane, & filiis, ac filiabus ejus, adjudicatis morti ob eandem cauſam; tametſi & à culpa alienioribus pleriſque, quàm erant iſti in exercitu Judæ: neque Moſes uſquam omnino, pro ullo, aut mortui cujuſquam peccato, aut mortuo, faciendum juſſerit. At verò, [d] ſiquid cœtus filiorum Iſraelis per errorem peccaſſet: pro eo ſacrificium ab ipſis offerendum fuiſſe docet Moſes. Peccati autem vel ab uno commiſſi contagionem ad cœtum pertinere, ut corpus ægritudine cujuſvis membri afficitur, [e] Acanis factum indicat: in quo tranſgreſſi eſſe dicuntur Iſraelitæ, [f] furatíq; , & mentiti, quoniam unus eorum hæc crimina perpetrârat. Sicut ergo milites Judæ, quum reſciſcerent commilitones ſuos Acanis inſtar peccaſſe, orârunt ut commiſſum iſtud peccatum perfectè deleretur; ne ipſis accideret quod [g] exercitui

[a] Deut. 7. 26. Ioſ. 7. 25.
[b] Levit. capitibus 4. & 5.
[c] Ioſ. 7. 24.
[d] Lev. 4. 13.
[e] Ioſ. 7. ver. 1.
[f] ver. 11.
[g] ver. 5.

Josuæ, si peccato tantùm in mortuis punito, peccati contagio non remitteretur vivis: sic Judas, eos hortatus ad resipiscentiam, rectam [a] delendorum peccatorum viam, curavit ut pecunia à singulis collata sacrificium pro peccato ipsorum offerretur ad placandum Deum. Hoc Jason, historiæ scriptor, non attendens, homo (ut videtur) Legis imperitus, [b] expiationem pro mortuis ab eo factam autumavit, ut à peccato soluti essent. Pontificii verò, etiam contextu historiæ depravato errorem promoventes, ubi Jason dixit, Judam procurasse *sacrificium pro peccato*: habebant in Bibliis quibusdam, & [c] Missalibus, Judam id fecisse *pro peccatis mortuorum*. Quocirca, si Calvinus erravit opinando Judam oblationem misisse pro mortuis Jerosolymam: est cur Bellarminus in suorum gratiam, quorum error plurimos & præstantissimos viros decepit, eum excuset.

9 Pontificii quidem excusatione minùs digni sunt: & multo adhuc minùs ipsi Pontifices. Qui scientes, non modò Græcum historiæ Maccabæorum fontem habere [i] *sacrificium pro peccato*, consensu [d] omnium exemplarium, in iisq; [e] Vaticani sui antiquissimi; sed etiam [f] vetustissimos vulgatæ Latinæ editionis codices cum Græcis consentire; & ab excellentibus [g] Doctoribus ac Ecclesiæ Catholicæ luminibus semper judicatum, recurrendum esse ad fontes quando in rivulis varietas est, aut dubitatio, ut Theologi Lovanienses [h] Harlemio Jesuita duce asseverant: tamen Pius Quintus in Missali suo reformato legit, *pro peccatis mortuorum*; & Sixtus Quintus, in vulgatæ editionis Bibliis ad Concilii

[a] Act. 3. 19.

[b] 2. Macc. 12. 46.

[c] Miss. in anniversariis defunctorum, & trigintalibus.

[i] Περὶ ἁμαρτίας θυσίαν.

[d] Venet. German. Complut. Regior.

[e] Vet. Testam. iuxta Septuag. ex autorit. Sixti V. edit. Romæ. 1587.

[f] Var. lect. in Lat. Bibl. edit. vulg. ex vetustiss. manuscript. exempl. collect. Sacr. apparat. ad Regia Bibl. tom. 3.

[g] Hieron. epist. 135. ad Suniam & Fretellam. August. de doctr. Christ. lib. 2. cap. 17.

[h] Præfat. lib. variar. lect. in Lat. Bibl. edit. vulgat.

cilii Tridentini præſcriptum emendatis, eandem lectionem in æternum ſancit; nec Clemens Octavus, in iiſdem, Sixti Quinti juſſu (ſi titulo & præfationi credendum eſt) recognitis, hoc recognoſcendum & corrigendum curavit. Atque adeò putaſſem hos Pontifices eo contentos eſſe potuiſſe, quòd ubi Græci fontis codices omnes habent, *Iudam* [1] *duo millia drachmarum miſiſſe Ieroſolymam*: in Miſſalibus ſuis & Bibliis emendatis legunt, *duodecim millia*. Eſt ſanè Roma Chriſtianis, quod Jeroſolyma Judæis fuit; quemadmodum in [a] capite [b] multùm famoſo Decretales docent: & Camera Apoſtolica (ut Apoſtolicus [c] aulicus ſcriptum reliquit) aſſimilatur mari, in quod intrant omnia flumina, & non inundat. Quo magis ignoſcendum, ſi credi maluerunt duodecim millia illuc à pio viro miſſa eſſe, quàm duo; quum librariorum error (nam interpretem in tam plano loco offendiſſe non eſt probabile) rem juvaret. Verùm, quum recogito hoc parum eſſe viſum Pio, Sixto, & Clementi, niſi *pro peccato* etiam ſacrificium mutarent in ſacrificium *pro peccatis mortuorum*: omnino ſubit animum meum ſuſpicio ipſos agnoviſſe veriſimillimum fore, Judam pro peccato, non mortuorum, ſed vivorum, oblationem miſiſſe, ſi cum Græco fonte legendum curaſſent, *pro peccato*. Quòd ſi in iſta de Judæ ſacrificio conjectura fallar: illud tamen conſtat ex his quæ dicta ſunt, ſuperſtitionem & præpoſterum zelum in ipſo, de quo litem Calvino movet Bellarminus, facto apparere. Namque ſacrificium offerre pro peccato eorum, qui res idolis ſacratas ſurripuerant, nefas

[1] Δραχμὰς δισχιλίας.

[a] c. Pervenerabilem. Extra. qui filii ſint legitimi.
[b] Sūmar. cap.
[c] Theodoricus à Niem. nemor. unionis tract. 6. cap. 37.

erat, ut oſtendi. At Deum illicita ratione colere ſuperſtitio eſt, teſtante [a] Paulo, & [b] Aquinate: ac ſuperſtitioſus zelus eſt præpoſterus, [c] iiſdem atteſtantibus, quoniam per rectam ſcientiam non ordinatur. Jure igitur Calvinus ſuperſtitionis & præpoſteri zeli factum hoc accuſat.

[a] Col. 2. 23.
[b] In 2ª 2æ. quæſt. 92. & 93.
[c] Rom. 10. 2. Aquin. in epiſt. ad Rom. cap. 10. lect. 1.

10 Jam verò, quod proximo loco Bellarminus objicit, his verbis; *Sephoram ſtultam mulierem fuiſſe, graviterq; peccaſſe docet, quòd filium circumciderit*: in eo, partim falſò arguit Calvinum; partim iniquè carpit. [d] Calvinus enim diſputans contra Pontificios, contendentes fœminis fas eſſe baptizare quòd [e] Sephora filium circumciderit, *diſſimilem* ait primò *eſſe rationem circumciſionis & baptiſmi: quia* [f] *Chriſtus eoſdem conſtituit Evangelij præcones, & miniſtros baptiſmi; at olim circumcidendi ſpeciale datum fuiſſe Sacerdotibus mandatum nuſquam legitur*. Itaque non pronuntiat Calvinus eam graviter peccaſſe quòd filium circumciderit: ſed, quòd *præſente Moſe, nec quicquam minùs ſpectans quàm ut Deo miniſterium præſtaret*, id fecerit; quòd *fremat & obmurmuret, nec ſine indignatione præputium in terram proiiciat*; quòd *ſic convicietur marito, ut Deo quoque ſuccenſeat*; quòd denique *Deo & marito obſtrepat, quia filij ſanguinem fundere cogitur*. [g] Bellarminus quidem, hæc omnia convulſurus, affirmat Sephoram *Moſe præſente* id feciſſe, quoniam *non poterat ipſe per ſe id facere*: & de ceteris, *Mera*, inquit, *ſunt mendacia ſine ullo fundamento, & ex mera libidine detrahendi profecta; Scriptura enim nihil tale dicit*. Verùm iſta *mera*, à Bellarmino ingeminata,

[d] Inſtitut. li. 4. cap. 15. §. 22.
[e] Exod. 4. 25.
[f] Matt. 28. 19.
[g] De ſacram. baptiſm. ca. 7.

mera

mera mendacia, & *mera libidine*, declarant enim [a] mero, non regis Babylonii, sed [b] meretricis inca-luisse: meritoq; esse, ut ex [c] mero infuso in poculum illud bibat, ex quo [d] maledici pœnam sempiternam haurient, & [e] omnes mendaces. Quid enim? Nónne Scriptura dicit Sephoram dixisse Mosi, [f] *Sponsus sanguinum es mihi?* Et nónne sponsus sanguinum, ex Hebræa phrasi, est sponsus sanguinarius; ut vir crudelis & violentus vocatur [g] *vir sanguinum*; domus Saulis, [h] *domus sanguinum*; Jerusalem, [i] *civitas sanguinum*: eóq;, sicut Semei conviciatus est Davidi, dicens, [k] *Vir sanguinum es*; ita Sephora Mosi, *Sponsus sanguinum es mihi?* Nónne Scriptura dicit Sephoram hoc dixisse [l] *propter circumcisiones?* Et nónne [m] circumcisio à Deo instituta est: ideóq; Sephora Mosi maledicens quòd in causa esset cur filii sanguis funderetur circumcisione, marito sic conviciatur, ut Deo quoque succenseat; fremitq;, & obmurmurat; ac Deo & marito obstrepit? Nónne Scriptura dicit Sephoram, quum amputasset præputium filii sui, [n] *pedibus Mosis admoviße*, aut [i] *tangere feciße pedes illius*, ut fons Hebræus legit; non, ut vetus interpres reddit, *tetigiße?* Quod ipsi Pontificii, [o] Episcopi Itali, aliiq;, veteris editionis patroni, sic agnoscunt, partim quoad verbi significationem, partim quoad sensum rei verbo traditæ: ut Oleastrius, autor (laudatore [p] Sixto Senensi) eruditissimus, [q] Hebraicamq; veritatem exactissimè explicans, affirmet *Sephoram proiecisse præputium ad mariti pedes*; & Steuchus ac Lippomanus hoc apertè notari asserant; nec Isidorus Clarius, quamvis ad Angelum referri posse censeat

[a] Esth. 1. 10.
[b] Apoc. 17. 2.
[c] Apoc. 14. 10.
[d] 1. Cor. 6. 10.
[e] Apoc. 21. 8.
[f] Exod. 4. 25.
[g] Psal. 5. 7. & 55. 24. & 59. 3.
[h] 2. Sam. 21. 1.
[i] Ezek. 22. 2.
[k] 2. Sam. 16. 8.
[l] Exod. 4. 26.
[m] Gen. 17. 10.
[n] Exod. 4. 25.
[i] Heb. יגע: non in Kal, sed in Hiphil.
[o] Aug. Steuchus, Aloys. Lippomanus, Isidor. Clarius, Hieron. Oleastrius, annot. & scholiis in hunc locum. Sant. Pagninus, thesaur. ling. sanct. in יגע. Marc. Marinus, arca Noë in יגע.
[p] Biblioth. sanct. lib. 8. cap. ult.
[q] Ibid. lib. 4.

sent quod ad Mosen Hebræi referunt, de præputio projecto discrepet. Denique, nónne Sephoram cum indignatione hoc feciſſe Scriptura indicat, narrans rationem facti ab ipsa redditam illo convicio, tanquam ad juſtam iracundiæ ſuæ comprobationem; *Nam ſponſus ſanguinum es mihi?* Certè Oleaſtrius, ut eam *iratam hoc dixiſſe* ſcribit; &, *quàm licentioſa ſæpius ſit uxor in virum*, iſtinc annotat: ita *indignatam, quòd ob legem viri cogebatur filium tam graviter vulnerare, proiecisſe præputium ad eius pedes* addit. Qui è Sephoræ verbis porrò obſervans (quod ante ipſum [a] multi.) *improbatum eſſe ab ea, ut Gentili, Judæorum ritum in circumciſionis ſanguine fundendo*; quid aliud inſinuat, quàm Calvinus exprimit, negans propoſitum Sephoræ fuiſſe ut miniſterium præſtaret Deo? Et cujuſmodi tandem ore, fronte, ſpiritu, Bellarminum loqui exiſtimabimus, qui Scripturam ait nihil tale dicere: quum tot interpretibus, etiam Pontificiis, iiſq; [b] Pontificio judice doctiſſimis, (in quibus & [c] non nemo limatus juxta indicem expurgatorium,) fatentibus ac probantibus, Scriptura dicat ea omnia?

11 Quin immo, quaſi parum egiſſet Jeſuitam accuſando dicta tam perſpicuè vera ut mera mendacia: ſuſpicione quoque falſa ad Calvinum falſi convincendum improbè abutitur. Nam quod Scriptura dicit, [d] *Et dimiſit eum*; id quoniam Liranus ([1] verbis minùs commodè à vetere interprete redditis deceptus) refert ad Sephoram, quam indignatam ait receſſiſſe à Moſe; quum ad Dominum,

[a] Rabanus, Rupertus, Gloſſa ordinaria, & Feruſ, in hunc locum.
[b] Sixt. Sen. biblioth. ſanct. lib. 4. in Aloyſ. Lippomano, Auguſt. Steucho, & cet.
[c] Hieron. Oleaſtr. cõment. in Pẽtateuch. Moſ. edit. reformata mandato Gaſp. Quirog. Card. Archiep. Tolet. ac in regnis Hiſpan. Generalis Inquiſitoris.
[d] Exod. 4. 26.
[1] Et dimiſit eũ poſtquam dixerat, Sponſus ſanguinum.

num, qui *destitit ab eo*, referri debeat, ut docet vox [1] Hebræa masculini generis, & [2] Græci explicârunt: Calvino scilicet ansam errandi præbuisse suspicans Bellarminus, *Vnum est*, inquit, *verbulum quod fortè Calvinum decepit adiuncta Lirani expositione*. Atqui à Lirani errore, veterator, quem ei cum Calvino communem videri cupis, Calvinus tantum abest: ut disertè, ex illis ipsis verbis, [a] annotet, *Deum à Mose discessisse*. Neque aut Hebræi verbuli inscitia, aut adjuncta Lirani expositione deceptus indignatam Sephoram falsò censuit: sed è luculentissimis Scripturæ circumstantiis, & hoc, & quæ præterea de Sephora pronuntiat, verè collegit.

[1] ירף futur. Kal à רפה.
[2] Απῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ ὁ ἄγγελος.
[a] Comment. in Exod. ca. 4.

12 Quod autem *Mosen ipsum per se non potuisse filium circumcidere* ait Bellarminus, *quoniam Scriptura dicens*, [b] *Occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum, vel significat, ut non malè exponit Rabbi Aben Ezra, immissum fuisse Mosi divinitus gravissimum morbum; vel, ut nostri exponunt, apparuisse ei Angelum nudato gladio, qui eum continuò vexavit, & quiescere non permisit, donec Sephora filium circumcidit*: horum alterum falsum esse Bellarminus agnoscit vi [c] disjunctionis; ego, cur alterutrum verum sit, non video; certè neutrum satis probatur è Scriptura. Nam Rabbi Aben Ezra immissum esse Mosi morbum & tremorem, quo impeditus sit ne filium circumcideret, nulla ex alia circumstantia conjicit, nisi quia postea, quum dicitur, [d] *Et dimisit eum*, putat verbum [3] Hebræum (fortasse ob cognationem quam habet cum [4] voce medicinam significante) ita exponendum, quasi à Mose discesserit morbus

[b] Exod. 4. 24.
[c] Cic. Top.
[d] Exod. 4. 26.
[3] רפה per ת.
[4] רפא per א.

morbus & tremor. At iſtud firmamentum illi extorquet Bellarminus, dicens: רבה *ſignificat lenem eſſe, ſeu remiſſum, id eſt, non amplius perſequi & vexare; quod propriè convenit Angelo, qui placatus ob circumciſionem, deſtitit à Moſe vexando.* Angelum verò Moſi apparuiſſe nudato gladio, qui non permiſerit filium ab ipſo circumcidi, à Sephora permiſerit: ne colorem quidem habet ei ſimilem, quem in Aben Ezra diluit Bellarminus. *Ita*, inquit, *exponunt noſtri*. Noſtri? Qui noſtri? Cur neminem horum nominat? An Aben Ezra Judæus nominari meruit: non meruere Chriſtiani? Nec timet Bellarminus [a] Hiſpanicam cenſuram, qua Maſius condemnatus eſt, quòd neglectis Patribus citet Rabbinos? An potiùs ejuſmodi gladii nemo Patrum mentionem fecit: ſed ipſe, videns gladio ſibi opus eſſe ad [b] Gordium nodum diſſecandum, ab Alexandro eum mutuatus eſt? Quòd ſi nonnulli, armatum Moſi Angelum apparuiſſe ſtatuentes, ita exponant, ut Angelus illum gladio nudato inhibuerit ne filium circumcideret: iſtorum expoſitio cenſuram ſubit [c] Hieronymi; *Hoc, quia de Scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*. Scriptura enim dicens *Dominum Moſi occurriſſe, & quæſiviſſe morte eum afficere; Sephoram autem accepiſſe cultrum acutum, & filium circumcidiſſe*; Moſen per ſe hoc facere nequiviſſe non innuit: tantùm innuit, Sephoram, quum divinæ iræ cauſam intelligeret, periculum, in quod ipſa circumciſionis odio videtur maritum conjeciſſe, ſua ipſam manu ab eo propulſaſſe. Et quidem vetus interpres ex verbo [1] *accipiendi*, ſeu *arripiendi*,

[a] Leon. Caſtr. apologet. Poſſevin. biblioth. ſelect. lib. 2. cap. 8.

[b] Plutarch. in vita Alexand.

[c] In Matthæi cap. 23.

[1] Heb. תפש.

ſi

si ita hîc vertendum est, notat rem à Sephora festinanter actam : [a] *Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui.* Unde [b] Lippomanus in hunc locum ait : *Mulier, cuius consilio fortè opus neglectum vel vetitum erat, intelligens ob eam causam iratum Dominum, mox temere saxum arripiens, puerum circumcidit, nequid mali pateretur maritus.* Ita è Scriptura probabilius fit Sephoram temeraria festinatione prævertisse Mosen : quàm à Mose jussam esse id facere, quod ipse morbo aut gladio, ne faceret, impediretur.

[a] Exod. 4. 25. ex vulgat. edit. Lat.

[b] Catena in Exodi cap. 4.

13 At enim *eam coactam à Deo, & marito, Calvinus nesciens quid loquatur, & secum pugnans, indicavit, quum ait; Deo & marito obstrepit, quòd filij sanguinem fundere cogitur : non igitur temere id sibi sumsit, ut præsente Mose filium circumcideret.* Immò Bellarminus Calvino hoc objiciens, si sciat quid loquatur, tanto magis [c] peccat, quia secum nimis in pravo cavillandi more concordat. Nam Calvinus spectans rem quæ necessariò facienda fuit, Dei voluntate, periculo Mosis exigente, *cogendi* verbo utitur : quo sensu, rem eandem [d] alibi explanans, ait; *Necessitas cogebat.* Quoniam autem Sephora, Deo & marito ob hanc necessitatem obstrepens, ipsa fecerat magno cum dolore; & de se, quæ fecerat, meminit in convicio, quo obstrepit, dicens Mosi, *Sponsus sanguinum es mihi :* Calvinus multa paucis studens complecti, ut [e] operis ratio postulabat, conditionem rei necessariò faciendæ cum personæ temere facientis querela conjunxit una voce; sperans Christianos lectores & interpretes, hoc est, æquiores, quàm Jesuitam nactus est.

[c] Ioh. 9. 41.

[d] Comment. in Exod. ca. 4.

[e] Institutio Christianæ religionis.

14 At

14 At *quandoquidem Angelus à Moſe vexando deſiſtens ſe oſtendit placatum eſſe pueri circumciſione: proinde Sephoræ factum Deo placuiſſe, rectumq; & bonum fuiſſe*, infert Bellarminus. At Calvinus iſtam rationem antea confutârat, inquiens; *Quòd placatus fuit Dei Angelus poſtquàm illa arrepto lapide filium circumcidit, inde perperam colligitur factum illius probatum fuiſſe Deo: alioqui dicendum eſſet placuiſſe Deo quem Gentes ab Aſſyria traductæ erexerant cultum.* Quam Calvini reſponſionem ſic duabus objectionibus oppugnat Bellarminus: ut earum altera veſanam libidinem cavillandi, altera deſperatam infirmitatem cauſæ prodat. Primò nempe, *Quæ eſt*, inquit, *inter iſta ſimilitudo? Nam Gentes illæ ab Aſſyria traductæ, quia falſum cultum inſtituerunt, diſcerpebantur à leonibus*, 4. *Regum* 17. *Sephora autem circumcidendo filium liberavit Moſen à mortis periculo.* Quid? Et Calvinum tam ſtupidum ac delirum exiſtimavit Bellarminus, ut diſſimillima tam abſurdè inter ſe conferret? An, quod declamatores admonuit[a] Quintilianus, ne ſibi ſtultum adverſarium fingant: id diſputator iſte admonendus eſt? Qui præſertim conſcientiæ ſuæ teſtimonio convincitur intellexiſſe Calvinum aptiùs reſpondere: ut objectione ſecunda ſtatim docet. Nam è verbis ſequentibus, *Si fortè reſpondeat Calvinus, non ſe loqui de eo tempore, quo colebant idola ſua Gentes illæ, & à leonibus diſcerpebantur; ſed de tempore poſteriore, quo Deum ſimul cum idolis colebant, & à leonibus immunes erant:* patet Bellarminum vidiſſe à Calvino inter ſe conferri eventus quàm ſimillimos, vexationis ob peccatum divinitus

[a] Lib. 5. cap. 13.

vinitus illis Gentibus immiſſæ, ut Moſi; & utrobique ceſſantis, Deo mitigato, poſtquàm, ut Moſis filius à Sephora circumciſus eſt, ſic [a] illæ Deum ſimul colebant cum idolis. Hoc igitur ut redarguat, *Contrà obiiciam*, inquit, *Gentes illas à leonibus liberatas, quia Deum verum vero ritu colebant, edoctæ nimirum à Sacerdote Iſraelita, ut eodem loco dicitur: non autem quia idola ſimul colebant, vel quia ritu aliquo à ſe excogitato utebantur. Licèt enim Gentes illæ Deo non placerent, nec apud Deum aliquid mereri poſſent, quum Deum ſimul & idola colerent: Deus tamen indicare voluit, quantum intereſſet inter cultum à ſe inſtitutum, & impias Gentium ſuperſtitiones; & ideò leones immiſit in eas Gentes quando idola tantùm colebant, & leones repreſsit quando Deum verum vero cultu honorare cæperunt.* [b] Non ſemper feriet, quodcunque minabitur, arcus. Bellarminus dicit, ſe objecturum contrà: ſed contra Calvini reſponſionem nihil objicit. Sicut enim ceſſavit earum Gentium vexatio, quia Deum verum colebant; (nam quod addit, *vero ritu*, quî probat? quum à [c] Sacerdote Iſraelita edoctæ ſint, & [d] Iſraelitæ Deum coluerint non ritè:) in eundem modum vexatio Moſis ceſſavit, quia filius ejus circumciſus eſt. Et ſicut Deus ideo vexavit eas Gentes quum idola tantùm colerent, vexaréque deſiit quum Deum verum honorarent, quòd indicare vellet quantum intereſſet inter cultum à ſe mandatum, & impias Gentium ſuperſtitiones: in eundem modum indicare volens quantum intereſſet inter obſervationem mandati

[a] 2.Reg.17.33.

[b] Horat. de arte poët.

[c] 2.Reg.17.28.

[d] 1.Reg.12.28. 2.Reg.17.22.

dati ſui, & neglectum, Moſen vexavit quum haberet filium incircumciſum; quum circumciſum, vexare deſiit. Et ſicut Gentes illæ Deo non placebant, nec apud Deum aliquid poterant mereri, ut loquitur Bellarminus, id eſt, earum cultus haudquaquam probabatur Deo, tanquam pius ſimpliciter & rectus, quum idola ſimul colerent & Deum: ita Bellarminus egregius eſt præſtigiator, perſtringens oculorum aciem lectoribus dicendo ſe objecturum contrà, quando reipſa pro Calvino diſputat; nempe, poſſe opus, ex parte Deo placens, ex parte diſplicere ob adjunctam circumſtantiam; eóq; malè colligi culpa rem vacare, quam Deus vexatione caſtigare deſinit. Nam hoc eſt quod Calvinus de Sephoræ facto dicit, [a] aperítq; his verbis: *Ceſſavit vel remotum fuit Dei flagellum, quia tam Moſis quàm Sephoræ pœnitentia, quamvis præpoſtera, mitigatus erat. Non quòd ſimpliciter Deo probetur mutila obedientia: ſed ſecundum quid, per indulgentiam interdum grata eſt. Sic impio regi Achab, quum ad tempus humiliatus eſſet, propter fictas lacrymas remiſſa fuit pœna. Quum ergo Sephora, quæ marito adverſata fuerat, propriis manibus filium circumcideret, quamvis nondum ſeriò reſipuiſſet, Deus tamen ſubacta illius ſuperbia contentus fuit, ut deſiſteret à Moſe perſequendo.* Ita ex inani conatu Bellarmini Scripturam magis patet eò propendêre, ut Sephora peccârit quòd præſente Moſe filium circumciderit. Sed, quòd indignata, ob circumciſionem, à Deo inſtitutam, marito maledixit, *Sponſus ſanguinum es mihi:* peccavit graviter ſine dubio. Uxori autem Jobi, ſimiliter peccanti, non injuria dictum eſt: [c] *Ut loqui ſolet aliqua ſtultarum loqueris.*

[a] Comment. in Exod. ca. 4.

[b] 1. Reg. 21. 29.

[c] Iob. 2. 10.

loqueris. Calvinus igitur Sephoram jure, & ſtultam mulierem appellat, & gravis peccati ream facit.

15 Pergit calumniator : &, *Moſen ipſum*, inquit, *quo nihil habuit antiqua ætas mitius, ſapientius, ſanctius, arrogantiæ atque ſuperbiæ* [a] *Calvinus inſimulat, quòd nimirum imperioſè legem Deo præſcripſerit, ſuáq; eum iuſtitia exuerit. Moſen, quo nihil habuit antiqua ætas mitius, ſapientius, ſanctius* : amplificatio, ſpecie gravis, re inanis. Namque, ſi Moſes, quo nihil ſanctius habuit ætas antiqua, peccavit tamen aliquando, ut ex [b] iis quæ dicta ſunt, & [c] aliis, liquet : quid impedit, quin nimium ſibi arrogare quandoque potuerit, ac labi, quamvis antiqua ætas nihil eo mitius habuerit, aut ſapientius ? Quòd utinam Bellarminus, Moſis exemplo, mitis, ſapiens, ſanctus eſſe ſtuduiſſet. Tum Calvinum mitiùs & ſanctiùs tractaſſet, ſapientiúſq; conſuluiſſet ſibi. Is enim orationem Moſis interpretans, qua Deo pro Judæis idololatris ſupplicavit, [d] *Si non es remiſſurus peccatum eorum, dele me nunc de libro tuo quem ſcripſiſti* ; quum dixiſſet iſtud *videri poſſe abſurdum, quia & imperioſè legem Deo præſcribit Moſes, & inconſideratè ſua ipſum iuſtitia exuit : Superbiæ*, inquit, *omnes damnarent hanc vocem, Niſi parcas ſceleratis, ne me inter tuos ſervos numeres*; &, *Ubi ſe eadem involvi pœna cupit, quid hoc aliud eſt quàm tollere omne diſcrimen, ut Deus temere inſontes cum tranſgreſſoribus damnet* ? Ecce verba, quæ per modum objectionis à Calvino propoſita, cum reſponſione, Bellarminus ſuppreſſa reſponſione

[a] In Exodi caput 32.

[b] Exod. 4. 24.

[c] Num. 20. 12. & 27. 14.

[d] Exod. 32. 32.

[a] Ter. Phorm. ſione exprobrat, ſecundum illud [a] Comici : *Nihil eſt quin malè narrando poſsit depravarier : tu id, quod boni eſt, excerpis; dicis, quod mali eſt.* Nam Calvinus ſuum judicium ſubtexens, *Ego verò*, inquit, *non inficior Moſen tanta vehementia fuiſſe abreptum, ut loquatur quaſi ecſtaticus, & tanquam extra ſeipſum eſſet. Verùm notandum eſt, dum ſuas curas in Dei ſinum fideles exonerant, non ſemper diſtinctè agere, nec verbis compoſitis : ſed nunc balbutire, nunc fundere gemitus inenarrabiles, nunc aliis omnibus prætermiſſis unum aliquod votum arripere & urgere. Certè nihil minùs in animo habuit Moſes quàm Deo legem ferre : ſciebátque nihil à mundi iudice eſſe magis alienum quàm perdere inſontes unà cum reprobis.* Quibus in verbis quàm apertè reſpondet Calvinus ad objecta ? ad id quod abſurdum videri poſſe dixerat ? Quàm candidè & modeſtè de Moſe pronuntiat ; eum, nec legem Deo præſcribere cogitaſſe, nec Deum ſua juſtitia exuere voluiſſe? At hæc *confuſo* Moſis *voto* implicari innuit Calvinus : itáque illum facto, etſi non conſilio, *nimium ſibi arrogare*. Et quid aliud innuit [b] Dei reſponſio, negantis ei quod orabat, ac peccatores è libro ſuo ſe deleturum aientis ? An poteſt dubitari quin [c] juſtum cum injuſto perdere à juſtitia Dei alienum ſit ? Aut nónne ſibi nimium ſumit mortalis, qui à Deo poſtulat, quod [d] nefas eſt ab homine familiariſſimo petere, ut rem injuſtam faciat ? Mihi ſanè conſideranti quemadmodum inter ipſos Pontificios [e] aliqui eò evidentia Scripturæ ſint adacti, ut Moſen, partim

[b] Exod. 32. 33.
[c] Gen. 18. 25.
[d] Cic. de amicit.
[e] Hugo à S. Victore, quidam apud Hugonem Cardinalem, Ferus, Lippomanus, & Oleaſtrius expurgatus, in hunc locum.

tim dicerent *ex humanæ affectionis impetu loquutum, non ex ratione*; partim, *id rogaſſe quod Dei iuſtitiæ non convenit*, obſervarent: videtur Calvinus rem cum tanta Moſis laude excuſaſſe, quanta abſque ſacrę veritatis Dei præjudicio potuit, quum ait *eum raptum quodammodo extra ſe non ſatis reputaſſe quid Deo conveniat*; &, *quoniam omnes eius ſenſus quaſi devinctos tenebat cura populi, cuius ſciebat ſalutem divinitus ſibi eſſe mandatam, nihil aliud veniſſe in mentem quàm ut ſalvus ſit populus*; *quæ verò tantæ ſollicitudini repugnant, non admiſiſſe*. Fortaſſe Bellarminus quoque in Calvinum paulo erit æquior, ſi conſideraverit, quo pacto ipſe, qui [a] priùs Magdeburgenſes blaſphemiæ condemnârat, quòd [b] Petrum de conſtantia ſua prædicantem lapſum eſſe [c] ſcribant; [d] poſtea laudârit ſancti [e] Auguſtini ſententiam, ut ſanctam, qua *Petrus*, non ſolùm *temere*, ſed etiam *ſuperbè* in ea actione *præſumſiſſe* aſſeritur. Aut, ſi propter majus acerbiúſq; odium erga Calvinum meliùs cavebit, ne faciat in illius ſententia de Moſe, quod in Magdeburgenſium ſententia de Petro imprudenter fecit: Calvini tamen verba fideliùs proponat, & firmiùs vellicet oportet, antequàm perſuadebit cuiquam non iniquiſſimo Calvinum meruiſſe blaſphemum ac ſacrilegum ob ea nuncupari. Ne dicam ipſum interim plus ſibi mali facere, quàm alteri, in quem incurrit: dum [f] fragili quærens illidere dentem, offendit ſolido.

[a] De Rom. Pont. lib. 1. cap. 28.
[b] Matt. 26. 33. Luc. 22. 33. Ioh. 13. 37.
[c] Cent. 1. lib. 2. cap. 10.
[d] De amiſſ. grat. & ſtat. pecc. lib. 1. cap. 7.
[e] In Evang. Iohann. tract. 66.
[f] Horat. lib. 2. ſatyr. 1.

16 At meritò condemnatur Calvinus ut blaſphemus atque ſacrilegus, quòd *Sanctos omnes, qui poſt Chriſti adventum floruerunt, vexet conviciis*.

[a] Ier.13.23. Meritò; si Bellarminus hoc verè ei objiciat: sin [a] Æthiops cutem suam non mutat; immeritò. Nam, *De sanctis*, inquit, *hominibus Testamenti novi, primùm scurriliter nugatur, eos, si preces mortalium exaudire debeant, tam longas aures habere oportere ut à cœlo usque ad terram porrigantur*. Ubi Bellarminus nugatur primùm ipse, vel potiùs perditè calumniatur, quòd in hac sententia *convicium Sanctis* fieri, & [b] Institut.lib.3. cap.20.§.24. *sacrilegam blasphemiam* adhiberi innuat. [b] Calvinus enim disputans contra Pontificiam idololatriam in sanctorum hominum, qui ex hac mortali vita excesserunt, invocatione, affirmat iis ignotum esse quid desiderent precentúrq; vivi; quod his verbis exprimit: *Quis eousque longas illis esse aures revelavit, quæ ad voces nostras porrigantur? oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris advigilent?* In quibus tantum abest ab omni, non modò blasphemia, & sacrilegio, sed vel convicio in Sanctos: ut Papistas contrà accuset convicii in Sanctum Sanctorum, eóśq; sacrilegii & blasphemiæ arguat. Nam solius Dei [c] Psal.94.9. creatoris proprium est omnia cognoscere: [c] *An plantator auris, annon audiat? aut formator oculi annon intueatur?* Ac ejus invocatio inde stabilitur, quòd [d] 1.Reg.8.39. *solus nôrit animum omnium filiorum hominis*. Papistæ [e] Esai.42.8. igitur sunt sacrilegi, qui hanc [e] Dei gloriam creaturis tribuunt, ut omnium preces audiant, desideria videant, intueantur corda. Nec Calvinus, istam reprimens blasphemiam, conviciatur Sanctis: de quibus nihil aliud in summa rei dicit, quàm ab [f] Augustino affirmatum olim, à [g] Gratiano postea comprobatum est; nempe, *nescire mortuos quæ hìc à vivis geruntur*.

[f] De cura pro mortuis ger. cap.15.

[g] 13 q.2 §. de mortuis.c.Falsidicum.

17 At enim Augustinus & Gratianus modestè agunt:

gunt : *Calvinus* autem *ſcurriliter nugatur*, inquit Bellarminus. Quid? Et Bellarmino videntur Prophetæ, [a] Elias, [b] Eſaias, ſcurriliter nugari, quum irrident eos, qui Baalem & imagines, à quibus [c] non audiuntur, invocant? Quod non eò dico, quaſi Calvinum donatum eſſe pari Spiritus menſura, ac [d] ſanctos illos Dei homines, exiſtimem; aut ejus ſive ſerias caſtigationes errantium, ſive jocoſas, ſanorum verborum formulis omni exceptione majoribus æquare velim : ſed quia nullam tantam diſſimilitudinem habent Prophetarum dicta cum ipſius, ut altera faceta, ingenua, ſanctis digna; alterum ſcurrile & illiberale judicandum ſit. Præſertim quum, ut Elias [e] illudit cultoribus Baalis, non Baali; nec Eſaias in idola, ſed in idololatras aculeum joci exerit: ita Calvinus, non Sanctos, ſed Papiſtas, qui aliuſmodi aures & oculos Sanctis tribuunt, quàm debent, irrideat. Alioqui forſitan opinionem magnæ diſſimilitudinis excitare poſſet diſcrimen creaturarum, quas ſinguli attingunt. Etſi ne id quidem tantum eſt reipſa, quantum in ſpeciem. Nam imagines, de quibus Eſaias agit, ſunt [f] Dei veri imagines. Quas quoniam [g] Pontificii latria coli volunt: non eſt cur riſui potiùs exponendas cenſeant, quàm Sanctos, quos dulia colunt. Baal autem, de quo Elias, idolum erat [h] Sidoniorum : ac ſub eo nomine Phœnices (in quibus [i] Sidonii) colebant Solem, ut graves autores fidem faciunt. Quippe [k] Sanchoniatho, hiſtoriæ Phœnicum ſcriptor antiquiſſimus & accuratiſſimus, quem è ſua lingua in Græcam vertit Philo Byblius, ait ipſos Solem pro Deo habuiſſe, eumq; vocaſſe [l] *Beel-ſamen*, hoc eſt, Phœnicum lin-

[a] 1.Reg.18.27.
[b] Eſai.44.11.
[c] 1.Reg.18.26. Eſai.44.12. & 46.7.
[d] 2.Pet.1.21.
[e] 1.Reg.18.27.
[f] Eſai.40.18. & 46.5.
[g] Aquin. part. 3.quæſt.25. art.3.
[h] 1.Reg.16.31.
[i] Strab.lib.16.
[k] Apud Euſeb. Evang. præparat. lib.1.
[l] Heb. בעל שמים: unde illa Phœnicum orta.

gua, *dominum cæli*, à Græcis Jovem nuncupatum. Item apud Pœnos, à Phœnicibus oriundos, *ſamen* appellabantur *cæli*; *dominus*, *Baal*; & Jupiter *Baal-ſamen*, quaſi *dominus cæli:* teſte [a] Auguſtino, Afro, neque Punicæ linguæ imperito. Qui, indicio iſto confirmans id quod annotat *dici ſolere*, [b] *Baal apud gentes illarum partium* (de Phœnicibus finitimíſq; loquitur) *nomen eſſe Jovis:* è Sanchoniathone intelligi rectè poteſt vocabulum *Jovis* uſurpaſſe, ut [c] Orpheus, [d] aliíq; Græci, pro Sole. Aut, ſi Auguſtinus fortè aliter ſenſit, ob mentionem unà factam *Junonis, quam* [e] *Aſtarten vocari* aſſerit, ab illarum partium gentibus item cultam; quanquam neque hoc obſtat, quum [f] Syri ſub Aſtarte putentur Lunam coluiſſe; ſed etſi Auguſtinus Jovem à Sole diſtinxit, ut [g] Lampridius: certè Solem eſſe, quem ſummè & in primis coluerint Phœnices, recentiores [h] hiſtoriæ, non ſolùm priſcæ, conſentiunt. Eúmq; ut ipſorum lingua [i] *Elæagabalum* pòſt vocatum legimus, ſive [k] *Elagabalum*; haud ſcio an quaſi dicas, [l] *Deum* [m] *Gabalæ*, quæ pars Phœnices eſt: ſic olim *Beel* aut *Baal* appellari ſolitum, Phœnicum monumenta fide digna ſuadent. Hæc autem eximia Dei creatura, quæ motu velociſſimo ſemper indefeſſa [n] decurrit viam ſuam, & homines ad [o] laudem creatoris excitat, non meruit ludibrio haberi tanquam ſomnolenta, aut alias res agens; [p] *colloquium, aut inſectatio, aut iter eſt ei*; &, *fortaſſe dormit.* Quum igitur, ſine ulla Solis contumelia, Baalitas Solem ut cœli dominum colentes riſerit Elias; & Eſaias itidem eos qui

[a] Quæſt. ſuper Iudic. cap. 16.
[b] Iud. 2. 13.
[c] Hymno in Solem.
[d] Homerus & Plato apud Macrobium, Saturnal. lib. 1. cap. 23. ubi mendoſè citatur è Timæo Platonis, quod eſt in Phædro.
[e] Iud. 2. 13. 1. Reg. 11. 5.
[f] Lucian. de Dea Syria.
[g] In Antonino Heliogab.
[h] Dio epitome Xiphilin. in Macrino. Herodian. lib. 5.
[i] Herodian. ibid. Iul. Capitolin. in Macrino: ubi legunt, *Heliogabalum*; voce depravata, quaſi à Græco, ἥλιος, ac non ex Syro fonte orta eſſet.
[k] Vt in veteribus nummis legitur: SACERD. DEI SOLIS ELAGAB. Sambuc. numm. vet.
[l] Syr. אלהא ſive אלהה. [m] Ioſ. 13. 5. 1. Reg. 5. 18. Ezek. 27. 9. Ptolem. geograph. lib. 5. cap. 15. Plin. hiſt. nat. l. 5. c. 18. & 20. [n] Pſal. 19. 6. [o] Pſal. 148. 3. [p] 1. Reg. 18. 27.

imagines

imagines Dei venerantur; nec in his omnino nugati sint, nedum scurriliter: quid aut se, aut Sanctis tantopere indignum fecit Calvinus, quòd in Papistarum, hominibus divinum cultum deferentium, errorem est jocatus?

18 Sed hoc proœmii vice præmisit Bellarminus: sequuntur *sacrilegæ Calvini blasphemiæ*. Nam *Sanctos per contemptum, nunc homines mortuos, nunc umbras, nunc larvas, nunc etiam colluviem nominat, in institutione lib. 3. cap. 20. §. 27: in libro autem, quem inscripsit, De vera Ecclesiæ reformandæ ratione, etiam monstra, carnifices, & bestias appellavit. Qua contumelia & blasphemia vix ulla maior cogitari potest.* Hæc Bellarminus. Qui ea, tanquam semel dixisse parum esset, denuo [a] pòst inculcat, exagitátq; his verbis: *Sanctos cum Christo regnantes passim lib. 3. institut. cap. 20. vocat mortuos, larvas, umbras, colluviem, quæ incredibilis blasphemia est:* [b] *&, in libro de vera reformandæ Ecclesiæ ratione, pro solita sua modestia S. Dominicum, carnificem; S. Medardum, & quosdam alios, bestias; Sanctos verò generatim monstra appellat.* Ceterùm si Pontifex maximus Judæorum Stephano blasphemiæ à compluribus testibus accusato dixit, [c] *Num hæc ita habent?* quanto magis decet lectorem Christianum ex Calvino exquirere, num hæc ita habeant, quorum accusatur ab uno Jesuita? Atque Sanctos quidem cum Christo regnantes *mortuos* passim vocat, non contumeliæ gratia; nam unde hæc calumnia? quum se [d] interpretetur, *qui carne mortui in Christo vivunt:* sed ut eos à Sanctis vitam mortalem agentibus distinguat; & breviore loquendi forma, quàm si (quod [e] aliquando

[a] De eccles. triumph. lib. 1. cap. 16.

[b] Ibid. cap. 20.

[c] Act. 7. 1.

[d] Institut. li. 3. cap. 20. §. 21.

[e] Ibid. §. 23.

quando tamen etiam facit) *Sanctos præſenti vita defunctos* nominaret. Hoc autem cur in illo magis blaſphemiæ damnet Bellarminus: quàm in Apoſtolis, in Patribus, in ſeipſo? Quum enim Paulus ait, [a] *Qui mortui ſunt in Chriſto, reſurgent primùm*; quum Petrus meminit ejus, [b] *qui paratus eſt adiudicandum vivos & mortuos*; quum Johannes jubetur ſcribere, [c] *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*: nónne mortuorum nomen tribuunt Sanctis cum Chriſto regnantibus? *Fiducia Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum*, inquit [d] Tertullianus: & [e] Auguſtinus paſſim, *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum*; [f] *A Chriſtianis catholicis nullus colitur mortuorum*; [g] *Regnat cum Chriſto eccleſia in vivis & mortuis*: etiam [h] Theodoretus pios Dei martyres *mortuos* appellat, quum Deos propemodum ex iis facit. Adeò nullam prorſus habere ignominiam nomen mortuorum Sanctis attributum cenſuerunt illi. Ne Bellarminus quidem, opinor, quum [i] defenderet Theodoreti dictum; & *viventium* preces conferret per antitheſin cum precibus *Sanctorum*; [k] *Sanctóſq; mortuos pro vivis orare*, è Jeremia propheta diſputaret. Sed quum in Calvinum præfaturus eſſet, [l] Novum crimen Cai Cæſar, & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe. Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem reum: ſed tamen ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te, Tubero; qua virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque priùs de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quàm Ligarii ullam culpam reprehendatis.

[a] 1.Theſſ.4.16.
[b] 1.Pet.4.5.
[c] Apoc.14.13.
[d] De reſurrect. carn.cap.1.
[e] De vera relig.cap.55.
[f] Epiſt.44.
[g] De civit.Dei lib.20.cap.9.
[h] Græcar.affect.curat.li.8.
[i] De eccleſ. triumph.lib. 2.cap.20.
[k] Ibid.cap.18.
[l] Cic.pro Ligario.

19 *Umbrarum* autem nomen haudquaquam attribuitur

buitur Sanctis à Calvino. Hæc enim sunt [a] illius verba de Papistis, contendentibus Sanctos mortuos viventium desideria scire: *Nugantur quidem in suis umbris nescio quid de fulgore divini vultus ipsos irradiante, in quo, ceu in speculo, res hominum ex alto despiciant.* Ubi significans deliramentum esse illud Pontificium, quod [b] Theologi quidam Scholastici tradiderunt, *in Dei facie, tanquam speculo, relucere omnia, ut ex consequenti desideria nostra Sanctis sint perspecta qui Dei faciem vident:* ait Pontificios *in umbris suis*, quasi dicas, tenebricosis commentis, quæ, ut [c] umbra mortis adversatur luci, sic ipsa verbo Dei, hoc nugatorium *speculi* effugium comminisci. Bellarminus verò, tanquam Calvinus non perspicuè somnia, divinæ veritatis & lucis expertia, umbrarum nomine denotasset, id ad Sanctos transfert. Cui calumnioſæ interpretationi si non vidit vocem, *suis*, refragari, quòd Calvinus dicit Papistas hoc nugari *in suis umbris*, non, in umbris: at videre potuit dicendum ei fuisse, ipsas, non *ipsos*, Nugantur in suis umbris nescio quid de fulgore divini vultus ipsas irradiante, si umbrarum nomen pro Sanctis usurpasset. Sed malitia cœca est: & justo Dei judicio [d] deprehenduntur sapientes in astutia ipsorum; adeò ut consilium reluctantium præcipitetur; interdiu offendant tenebras; & quasi de nocte palpent in ipso meridie.

[a] Institut. lib. 3. ca. 20. §. 24.

[b] Aquin. in 4. Sentent. dist. 49. quæst. 2. art. 5. Supplem. Gabr. Biel. in eund. dist. 45. q. 4.

[c] Matt. 4. 16. Luc. 1. 79.

[d] Iob. 5. 13.

20 *Larvas* aptissimè nominat Calvinus, non Sanctos, sed personas (quo sensu à persona [e] personatus dicitur) Sanctorum speciem referentes: ejusmodi personas, qualis illa fuit, quam [f] narratur vulpes, in domum histrionis (quum histriones larvis

[e] Festus in verbo, Personata.

[f] Æsop. fab.

[g] olim

olim uterentur) ingreſſa contrectaſſe, dicens, *O quale caput, & cerebrum non habet*. Nam ad iſtam ratiunculam Pontificiorum, *opus nobis eſſe Sanctorum patrocinio, quia familiari ad Deum acceſſu indigni ſumus*: [b] *Quod*, inquit, *nos veriſsimum quidem eſſe fatemur; ſed inde colligimus, nihil eos Chriſto reliquum facere, qui pro nihilo ducunt eius interceſsionem, niſi accedant Georgius & Hippolytus, aut ſimiles larvæ*. Qua voce voluit obiter, ut ſolet multa paucis, etiam hanc perſtringere abominationem in Papiſtica Sanctorum invocatione, quòd aliquos ad Deum allêgent pro patronis, qui nunquam in natura rerum exſtiterint. Idq; ex primo, quem nominat, Georgio, percipere potuit Bellarminus; & forſitan percepit: quum præſertim inter noſtrorum argumenta [c] recitans hoc ipſum, *Multi invocantur, qui non modò Sancti, ſed nec homines fuerunt, ut Chriſtophorus, Georgius, Catharina; ſuperſtitioſa igitur invocatio eſt*; affirmet *Melanchthonem ſic ratiocinari in Apologia Confeſsionis Auguſtanæ, & Calvinum in libro de vera reformandæ Eccleſiæ ratione*. Certè ſodalis ejus, [d] Caniſius Jeſuita, agnoſcit hanc fuiſſe Calvini mentem in *larvarum* nomine, quum ait: *Nobiliſsimo martyri Georgio Lutherus, Calvinus, Melanchthon, aliiq; ſectarij, nec inter homines, nec in rerum natura locum reliquum faciunt*. Calvinus enim Georgii non facit mentionem altero in libro, quem Bellarminus citat, ſed Catharinæ tantùm & Chriſtophori. Igitur Calvinus, Georgium, Hippolytum, & ſimiles, larvas vocans, ſignificat eos nunquam exſtitiſſe. Et rectè

[a] Cic. lib. 2. de orat. Horat. lib. 1. ſatyr. 5.

[b] Inſtitut. lib. 3 cap. 20. §. 27.

[c] De eccleſ. triumph. lib. 1. cap. 20.

[d] De Maria Virg. lib. 5. cap. 19.

rectè. Nam Georgium dicit bellatorem illum, cujus lancea draconem vulneratum esse, virginémq; mortis periculo liberatam, narrat [a] Jacobus de Voragine, archiepiscopus Genuensis, autor fabulosæ Sanctorum historiæ, quæ propter excellentiam inter Pontificios *Aurea Legenda* nuncupata est. Talem autem neminem unquam fuisse constat ex omnium probatorum & gravium historicorum silentio. Itaque [b] Baronius, *Pictura*, inquit, *illa S. Georgij, qua effingitur eques armatus, qui hastæ cuspide draconem interficit, iuxta quem etiam virgo posita manus supplices tendens imploret auxilium; symboli potiùs quàm historiæ alicuius opinor esse expressam imaginem: in nullis enim, quæ recensuimus, S. Georgij actis antiquis quicquam eiusmodi legitur; sed à Jacobo de Voragine absque aliqua maiorum autoritate ea ad historiam referuntur, quæ potiùs in virgine illa typum exprimunt (more maiorum) provinciæ, vel civitatis alicuius, quæ adversùs diaboli vires tanti martyris imploret auxilium.* Minùs quidem commodè Baronius divinans de re Georgii typo & symbolo adumbrata. Meliùs post [c] Hyperium nostrum [d] Villavincentius Possevini, dicens: *Pictura Georgij docet quomodo magistratus civilis gerere sese debeat in iuvanda tuendáq; Ecclesia. Diabolus, immanis & crudelis draco, sine intermissione & mille modis insidiatur virgini Ecclesiæ: quam videtur simul cum agno immaculato, sponso videlicet Christo, devoraturus. Ac iam iam actum creditur de Ecclesia, nullàq; amplius spes salutis supereſt: sed intervenit pius magistratus, qui sua prudentia, fortitudine, potentia,*

[a] Aur. Legend. cap. 56.

[b] Notationib. in Martyrolog. Rom. April. 23.

nota

[c] De rat. stud. theolog. lib. 3. cap. 7.

[d] Eiusdem operis libro & capite eodē.

tentia, fide, draconem opprimit; atque virginem ſalvam eſſe & quiete gaudere iubet. Atque hæc nimirum agit magiſtratus Chriſtianus, quovis tempore, dum furioſos conatus hæreticorum ac tyrannorum intervertit ac frangit. Ceterùm hunc Georgium, quem pro magiſtratus Chriſtiani typo à majoribus noſtris effictum eſſe judicant Villavincentius & Hyperius, Baronius cum utroque eorum confitetur nullum revera fuiſſe.

21 At fuiſſe tamen Georgium ſanctum martyrem, etſi draconem non occiderit, contendit [a] Bellarminus. *Nec enim, quia Sanctorum quorundam hiſtoriæ apocryphæ & incertæ ſint, propterea Sanctos ipſos nunquam fuiſſe: quum iſta ratione plerique Apoſtoli in Sanctis nequeant numerari; quoniam hiſtoriæ, quæ feruntur vel ex Abdia, vel ex aliis, ut plurimùm non ſunt prorſus indubitatæ; felix autem [b] Jacobi maioris mors narratur, [c] Petri prædicitur, in Scripturis: ceterorum non item. Hiſtoriam ergo S. Georgij inter apocryphas numerari à [d] Gelaſio, & tamen S. ipſum Georgium colendum eſſe affirmari, quòd hoc approbet conſuetudo univerſalis Eccleſiæ, quia ſemper Georgij memoria celeberrimâ fuit.* Qua velitatione Bellarminus ita excurrit in Calvinum, ut Eccleſiæ magnam faciat injuriam, nonnullam Gelaſio, Apoſtolis verò maximam. Quid enim? Apoſtolos non conſtat Sanctos eſſe, niſi ex Abdiæ (quem meritò damnavit [e] Pontifex Romanus) ſimiliúmve fide? An Paulum ſanctè mortuum non ſcimus è Scripturis, [f] ubi juſtitiæ coronam ei reponi & redditum iri legimus? Etiámne quum duodecim illi perhibentur [g] ſeſſuri in duodecim thro-

[a] De eccleſ. triumph. lib. 1. cap. 20.

[b] Act. 12. 2.

[c] Ioh. 21. 19.

[d] Can. Sancta Romana. diſtinct. 15.

[e] Paulus IV. apud Sixtum Sen. biblioth. ſanct. lib. 2.

[f] 2. Tim. 4. 8.

[g] Matt. 19. 28.

thronis, judicantes duodecim tribus Iſrael; quod ut impleretur, [a] uno excidente, [b] alter ei ſuffectus throni jus accepit; [c] murúſq; urbis ſanctę, Jeruſalem è cœlo deſcendentis à Deo, habebat duodecim fundamenta, in quibus ſcripta nomina duodecim Apoſtolorum: duos eorum duntaxat inter Sanctos numerari debere è Scripturis liquet, ac non reliquos omnes? Univerſalis autem Eccleſiæ conſuetudo falſò pro Georgii, ut Sancti, cultu obtenditur: & ratio quæ ſubjicitur, *Quia ſemper Georgij memoria celeberrima fuit*, vel ſophiſmate peccat, vel mendacio. Sophiſmate, ſi, ut [d] Cicero memoriam Catilinæ celebratam indicat ab hominibus audaciſſimis domeſticíſq; hoſtibus: ita Bellarminus aiat Georgii memoriam fuiſſe ſemper celeberrimam, & fama magis magna, quàm bona, eum claruiſſe. Mendacio, ſi gloria, [e] quæ eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute, Georgium perpetuò celebratum aſſerat: quo ſenſu patriarchas & prophetas [f] celebres fuiſſe dicit Jeſus filius Sirachi; [g] *Per generationes adepti ſunt gloriam*; [h] *Sapientiam eorum narrant populi, & laudem eorum enuntiat Eccleſia*. Namque [i] Athanaſius & [k] Gregorius Nazianzenus teſtantur Georgium Cappadocem, hominem improbum, hæreticum Arianum, malum genere, pejorem animo, cum militari manu & ſatellitibus Alexandriam à Conſtantio miſſum, pro epiſcopo ejus urbis ſe geſſiſſe. Qui quum [l] ab Ethnicis ſub Juliano apoſtata crudeliſſimè peremtus eſſet, cadavérq; ejus igne crematũ, & cineres in mare projecti, ne honorificè tanquam martyr à Chriſtianis ſepeliretur: à nonnullis poſtea pro martyre coli cœpit; immeritò, ut eos redarguens docet [m] Epiphanius; veruntamen

[a] Ioh. 6. 70.
[b] Act. 1. 24.
[c] Apoc. 21. 14.
[d] Pro Flacco.
[e] Cic. Tuſculan. quæſt. lib. 3.
[f] Eccleſiaſtici 44. ver. 3.
[g] ver. 7.
[h] ver. 15.
[i] Apolog. de fuga ſua: & apolog. 2. Epiſt. ad ſolitariam vit. agẽt. & ad ubiq. orthodox.
[k] Orat. in laudem Athanaſii.
[l] Ammian. Marcellin. lib. 22.
[m] Hæreſ. 76.

runtamen coli cœpit. Ac progreſſu temporis paſſio Georgii, à ſectatoribus ejus compoſita & divulgata, multos ſic fefellit, ut Gelaſius etiam, tametſi fraudem hanc olfaceret, ipſum nihilominus putaret ſanctum fuiſſe martyrem: nec ſine probabili ratione; quandoquidem aliorum, qui verè Sancti exſtitiſſent, paſſiones ſimilem in modum ab hæreticis mendaciter eſſent ſcriptæ. Sed quum Synodus Romana, in qua Romanam Eccleſiam ita ſenſiſſe innuit Gelaſius, [a] habita ſit centum viginti plus minus annis poſt aliam ſententiam ab Athanaſio, Nazianzeno, & Epiphanio latam: ne Gelaſius quidem affirmat Georgium vel Eccleſiæ Romanæ judicio, nedum univerſæ, pro Sancto ſemper habitum eſſe.

[a] Circa annum Dom. 495.

22 Immò, ſi accuratiùs animadvertatur, & quod [b] Gelaſius cenſuit, *Georgii paſſionẽ ab hæreticis perhiberi conſcriptam*; & quibus ab hæreticis id factum obſervârit Gelaſii interpres: patebit *univerſalem Eccleſiam* Bellarmini, hoc eſt, Orientalem atque Occidentalem, ab Arianis deluſam, Georgium Arianum pro martyre coluiſſe. [c] Baronius enim, quum monſtraſſet *haberi in quibuſdam actis Georgii (iis ipſis quæ Gelaſius improbaſſe videtur) illum cum Athanaſio mago conflixiſſe; alludente nimirum impio autore ad Georgium Arianum epiſcopum invaſorem ſedis Alexandrinæ, & perſequutorẽ magni Athanaſii eius ſedis epiſcopi,* [d] *quẽ Ariani vocaverunt magum, Georgiúmq; inter martyres retulerunt: Ex quibus ſanè*, inquit, *apparet totam illam de actis Georgii fabulam fuiſſe commentum Arianorum.* Jam verò [e] Paſicrates (qui ſcribit ſe Georgii ſervum fuiſſe) & Simeon Metaphraſtes, in hiſtoria quam [f] Lippomanus probatã ait teſtimonio Orientalis Eccleſiæ,

[b] Can. Sancta Romana diſtinct. 15.

[c] Notat. in Mart. Rom. Apr. 23.

[d] Theodoret. hiſt. eccleſ. lib 1. cap. 30. Sozomen. lib. 2. cap. 24.

[e] Apud Surium, de probatis Sanctorum hiſtoriis, tom. 2.

[f] Præfat. in Martyrium Georgii à Paſicrate ſcriptum.

cleſiæ,ubi quotannis recitatur in compendiũ redacta, Georgio *conflictum* tribuunt *cum Athanaſio mago*. Idẽ faciunt Occidentales,[a] Vincentius Belvacenſis,atque [b] Antoninus. Prętera [c] Beda tradit eũ *paſſum eſſe ſub Datiano,rege Perſarum potentiſſimo,qui dominabatur in ſeptuaginta reges*. In *ſeptuaginta quinque*, dicit fabula Ariana, teſte Baronio: ſed unum eſt idémq; ſomnium. Cujus veſtigia oſtendunt etiam alii: Occidentales clariora,[d] qui *in Perſide paſſum* memorant, [e] nonnulli & *ſub Datiano*; obſcuriora [f] Orientales,qui Datiani nomen commutant in *Diocletiani*. Huc accedit quòd ſuum utrique Georgium *Cappadocem fuiſſe* aiunt: in Oriente, Paſicrates,Metaphraſtes,[g] Nicephorus,& [h] Menologium Græcorũ; in Occidente, Voraginenſis,Vincentius, Antoninus, & breviarium Sarisburienſe. Atque adeò [i] noſtrates eum in templo Collegii Anglicani Romę depingendũ curârunt cum hoc elogio: *Georgiũ Cappadocem Anglia ſibi protectorem elegit; & maximis beneficiis tûm pace tûm bello receptis ſemper religioſiſſimè coluit*. Satis Jeſuiticè,quòd Georgiũ ſemper ab Anglis cultum dicunt: ut Bellarminus ejus memoriam in Eccleſia fuiſſe ſemper celeberrimã. Atque,ſi Anglia eum elegit ſibi protectorẽ, non tam culpanda eſt ipſa,quàm Roma,qua magiſtra, primò [k] Deus per Georgii merita rogatus eſt ut victoriam in bello daret: poſtea Georgius loco Martis habitus eſt, ſicut docet [l] Italus theologus, eum invocans, *Maxime bellorum rector, quem noſtra iuventus Pro Mavorte colit*. Nã Edwardus tertius,qui [m] Georgium ita in ancipitis prælii diſcrimine nominavit, ut invocaſſe videatur; nec tamẽ eum magis quam S. Edwardum; [n] nobiliſſimi Ordinis Equites,quos inſtituit, dicavit

[a] Specul.hiſt. lib.12.cap.131.
[b] Hiſt.part.1. tit.8.c.1.§.23.
[c] Martyrolog. 9. Calend. Maii.
[d] Vſuard.& Ado Trevir.in martyrolog. Breviar.ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ.
[e] Vincent. & Antonin.
[f] Paſicrar.& Metaphraſt.
[g] Hiſt.eccleſ. lib.7.cap.15.
[h] Apud Baronium,notar. in Martyrolog.Rom.
[i] *Lib. inſcript.* Eccleſiæ Anglicanæ trophæa.
[k] Ord.Rom. de officiis divinis.
[l] Baptiſta Mantuan. Faſtor.lib.4.
[m] Ha Saint Edward: ha Saint George.Th. Walſingham hiſt. Ang.in Edwardo III.
[n] Polydor. Virg. hiſt. Ang.lib.19.

dicavit Georgio ceu bellatorum præſidi, qualis eo tempore fingi & pingi conſuevit. Verùm illuſtres heroes ejus ordinis, qui inſigne gerunt Georgii draconem interficientis, meliùs jam edocti & eruditi intelligunt Georgium ſuum non Cappadocem eſſe, ſed ſymbolicum: quo monentur, & excitantur, ut tanquam principes ejus cœtus, à quo [1] Georgius nomen habet, oppugnent [a] draconem, & [b] beſtiam, cornibus agno, ſermone draconi ſimilem, id eſt, Romanum Antichriſtum: quod [c] autor quoque Ordinis animoſè fecit, in quibuſdam Hydræ capitibus amputandis; ac [d] ſucceſſores ejus, in pluribus, animoſiùs. Gens autem noſtra liberata è captivitate Ægypti, & Joſuam ducem nacta, cujus illud audit, [e] *Timete Jehovam, & colite eum; ſin hoc videtur malum, eligite vobis quem colatis; ego verò & familia mea colemus Jehovam*; elegit ſibi protectorem eundem quem Joſua: eíq; beneficia, quæ tûm pace tûm bello maxima recepit, accepta (uti [f] debet) refert, non Cappadoci. Ceterùm, quum Georgius, quem Eccleſia Orientalis & Occidentalis pro martyre colit, fuerit Cappadox; nec ullius Georgii Cappadocis, ut martyris, niſi Ariani, mentio ab ullo idoneo autore fiat: vel iſta circumſtantia (ut omittam alias de Athanaſio mago atque Datiano) demonſtrat Georgium, quem univerſalis Eccleſia Bellarmini colit, non Sanctum, ſed Arianum martyrem fuiſſe. Cujus ſententiæ probabilitati hoc nonnihil addit, quòd [g] Alexandrini ruinoſam habent & vetuſtam *eccleſiam martyris magni ſancti Georgij extra urbem ad littus maris ſalſi*: eo ipſo loco (ut veriſimile eſt) exſtructam, ubi [h] Georgii Cappadocis *cadaver crematum*

[1] Θεὸς γεώργιος, θεὸς οἰκοδομήσε. 1. Cor. 3. 9.

[a] Apoc. 12. 7.

[b] Apoc. 13. 11.

[c] Edwardus III. anno reg. ni 25. & 27. & 38.

[d] Henr. 8. anno regn. 24. cap. 12. Anno 25. cap. 20. & 21. Anno 28. cap. 10. Edward. 6. anno 2. cap. 1. Ann. 3. & 4. cap. 10. Eliz. ann. 1. cap. 1. & 2. Ann. 5. cap. 1. Ann. 13. cap. 2. Ann. 23. cap. 1. &c.

[e] Joſ. 24. 14.

[f] Hoſ. 2. 8.

[g] Epiſt. Io. Comus Alexandriæ Chorepiſcopi; apud Baronium, annal. Eccleſ. tom. 6. in corollario de legatione Eccleſ. Alexandrinæ ad Apoſtolicam Sedem.

[h] Ammian. Marcellin. lib. 22.

matum esse traditur, *cineréſq;* ejus *proiecti in mare.* Itaque Calvinus moderatiſſimè agit adverſum Pontificios, ubi de Georgio, quem invocant, ita loquitur quaſi nullus unquam, non quaſi impius exſtitiſſet: videlicet eum ſpectans ut interfectorem draconis, non ut Cappadocem.

23 Itidem Hippolytum illum ſignificat, qui Papiſtarum invocantium animis obverſatur, qualis [a] vulgò pingitur, ab equis diſcerptus. Talem autem neminem exſtitiſſe Sanctum autores fide digni ſimiliter tacendo clamant. Etenim Prudentius, antiquus, atque haud ſcio an primus autor ejus rei, videtur poetico more luſiſſe (ut in re majori feciſſe à [b] Bellarmino arguitur) & figmentum [c] poetarum ex nominis etymologia ad Hippolytum Antiochenum presbyterum accommodaſſe, quum [d] cecinit de ipſius judice:

Ille ſupinata reſidens cervice, quis, inquit,
Dicitur? affirmant dicier Hippolytum.
Ergo ſit Hippolytus; quatiat, turbétq; iugales:
Intereátq; feris dilaceratus equis.

[a] Iacob. de Vorag. Aur. Legend. cap. 113.

[b] De purgator. lib. 2. cap. 18.

[c] Ovid. Metam. lib. 15. Senec. Hippolyt.

[d] Peri ſtephā. hymn. 11.

[e] Baronius certè ex Romano Martyrologio notat, hunc Hippolytum, non ab equis dilaceratum eſſe, ſed ordinario pœnæ genere ſublatum. At Baronius addit *Prudentium tres Hippolytos conflaſſe in unum:* atque inter eos *militem* fuiſſe, qui *ab indomitis equis raptatus & diſcerptus ſit.* At è quo autore hoc probat Baronius? [f] Ex *actis S. Laurentii: in quibus* [g] ipſe aſſerit *multa eſſe apocrypha, multáq; veritati cõtraria.* Nempe, ut *habentur apud* [h] *Surium*, inquies: at *Metaphraſtes eius acta Græcis edidit, accepta ab antiquis Græcorum monumentis*, ut Baronius ſubtexit. At unde ſcit

[e] Notat. in martyrolog. Rom. Ianuar. 30.

[f] Baron. notat. in mart. Rom. Auguſt. 13.

[g] Ibid. Aug. 10.

[h] De probatis Sanctorũ hiſtoriis, tom. 4.

Baronius ea ex antiquis Græcorum monumentis accepta à Metaphraſte, quem toties (utut [a] prædicet laudatum à Balſamone) pronuntiat [b] *commenta multa admiſcere*, [c] *mendaciáq; portentoſa*, & [d] varia *planè delira*? Immò quî auſus eſt laudare tanquam hauſta è monumentis priſcis, quæ ſua vanitate recentiorem autorem prodere & ſcit, & tradit ipſe? Nam in [c] illis actis Decius Imperator pro tribunali ſedens Hippolyto iſtam pœnam irrogaſſe traditur poſt obitũ Laurentii. Laurentium autem paſſum ſub Valeriano, ſeptem aut octo annis poſt extinctum Decium, è Cypriano aliiſq; locupletiſſimis teſtibus evincit [f] Baronius. Et verò de iis ipſis actis Laurentii apud Metaphraſten (ut intelligamus quantopere in Baronio & cunctis [g] Gabaonitis cavendus ſit antiquitatis fucus quem obtendunt) Baronius, parum memor ex antiquis ea Græcorum monumentis accepta ſe dixiſſe, [h] alibi hęc habet verba. *Quæ Laurentii acta à Metaphraſte ſunt recitata, haud ſanè priſtina illa à Notariis excepta videntur; ſed ab aliquo alio ſcripta, quibus & quæ ab Ambroſio, vel aliis de S. Laurentio ſcripta eſſent, unà texuerit: ſiquidem nonnulla habent, quibus hiſtorica veritas refragatur.* Quare, quum Hippolytum martyrem ab equis diſcerptum non appareat è veritate hiſtorica; & poëticum Hippolytum martyri à Prudentio affictum eſſe conſtet: quid erat cur Calvinus, [i] qui autorem nomine Clementis ſuppoſitum *fictitium & larvatum Clementem* [k] meritò vocat, non Hippolytum iſtum, Georgiúmq;, & ſimiles nuncuparet larvas?

24 *Colluviem* porrò quòd appellat homines cum Abrahamo Eccleſiæ patre non conferendos, quos à Ponti-

[a] Notat. in Martyr. Rom. Martii 20.
[b] Annal. eccl. tom. 1. anno Dom. 44.
[c] Tom. 3. anno Dom. 315.
[d] Tom. 5. anno Dom. 402.
[e] Metaphraſt. die 10. Auguſt.
[f] Notat. in Martyr. Rom. Aug. 10. & Annal. eccleſ. tom. 2. anno Dom. 261.
[g] Joſ. 9. 4.
[h] Annal. eccl. tom. 2. anno Dom. 261.
[i] Refutat. error. Michaelis Server.
[k] Sixt. Sen. biblioth. ſanct. lib. 2. in Clement. recognit. & itinerar. Baron. annal. Eccleſiaſt. tom. 1. anno Dom. 51. & tom. 2. anno Dom. 102.

Pontificibus Romanis canonizatos, ut publicos ad Deum interceſſores, invocant: in eo laudem potiùs meretur, quòd verè; quàm reprehenſionem, quòd liberè, loquatur. [a] *Ex qua colluvie ſibi advocatos ſumant, minimè ignotum eſt*, inquit. Omnino, minimè ignotum iis quibus Roma nota. Nam *Beſſario Cardinalis* (ut [b] Bodinus tradit) *quum inter Divos inepta quadam ἀποθέωσι Romæ quàm plurimos referri videret, quorum vitam improbârat, ſe valde dubitare dixit utrùm vera eſſent quæ ab antiquis prodita fuerunt.* Et nónne ex colluvie cenſeri rectè poſſunt, quorum vita viſa ſit tantopere improbãda, ut Sanctorum titulus illis attributus dubitandi anſam, num antiqui vera de Sanctis prodidiſſent, præberet viro tali? De quo [c] Paulus Jovius, teſtis hac ex parte nequaquam ſuſpectæ fidei, *In Beſſarione*, inquit, *virtutes omnes uſque adeò præcellenti temperamento concentuq; ad admirationem reſponderunt, ut nemo eo Chriſtiana probitate ſpectatior, nemo admirabilior doctrina, nemo denique generoſis moribus ornatior atque ſplendidior, hoc ipſo à morte eius ſexaginta annorum curriculo in Senatu conſpectus ſit.* Ac tanto fide dignius eſt, tûm Bodini teſtimonium de Beſſarione, tûm Beſſarionis de canonizatis Sanctis: quanto diligentiùs [d] Poſſevinus omnia, quæ in Bodino corrigenda arbitratur, notat, nec hoc in iis recenſet. Præterea [e] Vincentius, Belvacenſis epiſcopus, in hiſtoria Dominici, qui inter canonizatos iſtos excelluit, inſcribit caput unum, *De ſancta eius hypocriſi.* In quo narrat *eum rogaſſe nobiles quaſdam dominas ut ſibi ſociõq; ſuo cilicia quærerent; & addidiſſe, Nemo ſciat, ſervetur ſecretum: nonnunquam etiam*

[a] Inſtit. lib. 3. cap. 20. §. 25.

[b] Method. hiſt. cap. 4.

[c] Elog. doctor. viror. cap. 24.

[d] Biblioth. ſelect. lib. 1. cap. 26.

[e] Specul. hiſt. lib. 29. cap. 105.

fratres ſuos admonuiſſe, ut aliquam oſtenderent virtutis apparentiam in abſtinentiis, vigiliis, verborum ac geſtuum diſciplina, quum apud ſeculares eſſent; & ſic eos ſancta quadam hypocriſi ad fidei reverentiam & virtutis amorem perpenſiùs invitarent. Bene, quòd hypocriſin appellat; malè, quòd ſanctam: alioqui Chriſtus non dixiſſet, [a] *Quum ieiunatis, ne eſtote ut hypocritæ tetrico vultu; deformant enim facies ſuas, ut appareant hominibus ieiunare.* Nam quamvis hoc *ad proximorum ædificationem* à Dominico factum affirmet Vincentius, *non ad favorem laudis humanæ acquirendum*: tamen ſimulata ſanctitas eſt iniquitas; nec pios decet hypocritarum quaſi hiſtrionia; & vera virtus ſemper eſſe, non ad tempus videri, ſtudet. Quòd ſi talis fuit Sanctus Dominicus, Sancto Franciſco [b] nulla re inferior, opinor, niſi [c] ſtigmatibus; & quales magiſtri, tales diſcipuli, Hyacinthus, verbi gratia, & Didacus; hic Franciſcanus, à [d] Sixto Quinto canonizatus; Dominicanus ille, à [e] Clemente Octavo: pia libertate loquendi in profanos Papiſtarum ritus invectus eſt Calvinus, qui conſiderans fæcem iſtiuſmodi ſanctis hypocritis pejorem, & quæ Beſſarionem perturbârit, dicit; *Ex qua colluvie ſibi advocatos ſumant, minimè ignotum eſt.*

[a] Matt. 6. 16.

[b] Antonin. hiſt. part. 3. tit. 23. cap. 1. §. 1.

[c] Bonaventur. vitæ Franciſci cap. 13. Martyrolog. Rom. Septemb. 17.

[d] Anno Dom. 1588.

[e] Anno Dom. 1594.

25 At *Sanctos generatim monſtra appellat pro ſolita ſua modeſtia.* Sic ait Bellarminus: ſed pro ſolita ſua modeſtia ſingulariter de Calvino mentiens. Nam [f] Pontificii quidam, autores ejus libri qui *Interim* vulgò dictus eſt, [g] ſcripſerant *retinendos & celebrandos eſſe dies feſtos Sanctorum, cûm aliorum nonnullorum, tûm eorum apud ſingulas Eccleſias, qui ibidem*

[f] Sleidan. comment. lib. 20. Surius, comment. ann. Dom. 1548.

[g] Lib. Interim, cap. de ceremon. & uſu ſacrament.

ibidem singulares patroni habentur; ut in eisdem Sanctorum festis Deum in Sanctis honoremus, nósq; ad imitationem ipsorum excitemur, & consideremus orationibus ipsorum adiuvari, & meritis associari. Hoc pronuntiatum ventilans [a] Calvinus, *Festis*, inquit, *diebus coli mortuos volunt, ut suis nos meritis associent, suáq; iuvent intercessione apud Deum: en Christiana reformatio cuius spem faciunt imperitis. Si festos dies quædam veluti invitamenta esse dicerent ad colendam virtutum memoriam, quæ nos ad imitationem provocet; aliquis sanè esset color: sed cultum institui ex dierum observatione, id quod faciunt, nimis deforme est. Negabunt, scio, hoc sibi esse consilium: sed ex re ipsa iudicium fiat. In unaquaque parochia festum patroni diem celebrandum præcipiunt: nec eo contenti vocant singulares patronos quibus hic honor defertur. Cùm satis constet, non aliter hactenus habitos esse patronos, quàm deos tutelares: annon auribus nostris insonare debet vox illa Prophetica,* [b] *Secundum numerum urbium tuarum sunt dii tui? Quàm igitur fœda erit nostra ingratitudo, si relicto vitæ fonte tales nobis fodiamus cisternas? Si solos Prophetas & Apostolos eveherent ad hunc honorem: acriter intercedere deceret ne ex sanctis Dei ministris idola fierent. Nunc ad hanc impietatem accedit nimis insulsa absurditas: quibuslibet enim patronis suos dies festos assignant. Multa porrò sunt templa Catharinæ dicata, vel Christophoro, vel aliis fictitiis nominibus. Catharinæ, aut Christophori precibus ut iuvetur, plebs huius loci à Domino postulabit. Itáne cum Deo ludetur, ut qui nulli unquam fuerunt obtrudantur ad Deum exorandum patroni? Talibus monstris qui fomen-*

[a] Lib. de vera Eccles. reformandæ ratione.

[b] Ier. 2. 28.

ta ſuppeditant, guſtúmne aliquem unquam habuiſſe credendi ſunt ſeriæ ſinceræq; Dei invocationis? Omitto Dominicum, & ſimiles carnifices. Omitto Medardum, Lubinum, & ſimiles eius beſtias. Quis enim finis eſſet, ſi ſingulas labyrinthi ambages excutere vellem, in quem nos Mediatores (autores libri Interim dicit) *pelliciunt?* Hic eſt integer ille locus Calvini, in quo ſi Bellarminus tantùm dixiſſet *Sanctos vocari monſtra, carnifices, & beſtias:* calumniatus quidem, ſed majore tamen cum veri ſpecie, fuiſſet. Ceterùm, quum eo non contentus addit, *Dominicum, carnificem; Medardum, & alios quoſdam, beſtias; Sanctos verò generatim monſtra appellari:* Calvino id impingit per ſummam iniquitatem, à quo perſpicua veritas clariſsimè ipſum vindicat. Nam eos, qui hoc ritu coluntur à Papiſtis tanquam patroni atque (ut à [a] Jovio vocantur) *Dij tutelares*, Calvinus evidenter in tres diſtribuit ordines: primum, eorum qui verè ſancti exſtiterunt, ubi Prophetas Apoſtolóſq; nominat; alterum, eorum qui nulli unquam fuerunt, ubi Catharinam & Chriſtophorum; tertium, eorum qui ex colluvie ſumti ſunt, ubi Dominicum, Medardum, Lubinum. Ac primos tantum abeſt ut appellet monſtra, ut diſertè ſanctos Dei miniſtros nuncupet. De ſecundis agens monſtrorum nomen adhibet: ſed utrùm ad ipſos, an ad Papiſtarum errores potiùs denotandos? Omnino illa verba, *Talibus monſtris qui fomenta ſuppeditant*, declarant, quibus rebus fomenta ſuppeditari queritur, eas dici monſtra. Atqui huic abſurdo & perverſo dogmati, ut Cathatina & Chriſtophorus, qui nulli unquam fuerunt, obtrudantur ad Deum exorandum

[a] Hiſt. lib. 24.

patro-

patroni, fomentum ſuppeditari queritur eo cultu patroni cujuſque parochiæ. Hoc ergo dogma, & ſimilia, monſtrorum voce notat: haud ſecus atq; [a] Canus, docens quanto potior ſit Scripturarum autoritas quàm Patrum, ait *Canonicos autores, ut ſupernos, cœleſtes, divinos, perpetuam ſtabilémq; conſtantiam ſervare; ceteros verò ſcriptores ſanctos inferiores & humanos eſſe, deficeréq; interdum, ac monſtrum quandoque parere, præter convenientem ordinem inſtitutúmq; naturæ.* Quanquam, ſi monſtrorum nomen accommodaſſet ad eos ipſos de quibus agit, hoc eſt, ad perſonas ſimiles Georgii, Catharinam, Chriſtophorum, quæ vocat *nomina fictitia*; alterum à [1] munditia, pios tanquam [b] virginem Chriſto deſponſatam [c] exornante, ductum; alterum vel à [d] Chriſto ferendo, vel ab eo quòd [e] Chriſti Spiritu quis [f] agatur, ut à Deo [2] Theophorus dictus eſt Ignatius: num quia res ſymbolicas inſtar tutelarium Deorum invocatas monſtra nominaſſet, blaſphemiæ in Sanctos, & talis blaſphemiæ qua vix ulla major cogitari poteſt, cauterium meruiſſet?

[a] De locis theolog. lib. 7. cap. 3.

[1] Καθαροί ἐστε. Ioh. 13. 10.
[b] 2. Cor. 11. 2.
[c] Apoc. 19. 8.
[d] Gal. 6. 17. Heb. 13. 13.
[e] Rom. 8. 9.
[f] 2. Pet. 1. 21.
[2] Ἰγνάτιος, ὁ τῷ Θεοφόρος. Ignat. epiſt.

26 Affirmat quidem [g] Bellarminus (ut calumniæ notam, ſaltem hîc, effugiat) *Chriſtophori & Catharinæ memoriam fuiſſe ſemper celeberrimam: ideóq; ipſos Sanctos exſtitiſſe.* Verùm, ſi infirmitas hujus argumenti apparuit in Georgio, pro quo Gelaſium tamen teſtem produxit: quanto magis in Chriſtophoro & Catharina apparebit, pro quibus teſtem producit neminem? Neque verò quenquam potuit producere, cujus teſtimonio redargueretur ſententia Calvini. Nam quis eſt hic Chriſtophorus, de quo Calvinus agit? Chriſtophorus Chriſtum ferens, homo gigantêa

[g] De eccleſ. triumph. lib. 1. cap. 29.

proceritate corporis, [a] duodecim minimùm ulnas [b] cubitóſve altus, qui Chriſtum in humeros ſuos ſublatum, longa trabe innitens, periculoſi fluminis aquas traduxit. At hunc confictum eſſe agnoſcunt Pontificii ipſi: [c] Baronius paululùm hæſitans, *ſe non habere quid dicat de gigantêa ſtatura qua pingi conſuevit*; ſic tamen ut *ſymbolicis picturis* annumerandum ex laudatione *Vidæ*, [d] qui *allegoricè* eam *interpretatus* eſt, atque ex *Georgij* mentione innuat: [e] Villavincentius autem pro certo aſſevêrans, *dubium neminì eſſe, picturam hanc à ſanctis patribus in hunc uſum propriè excogitatam, ut Evangelij præconem adumbret; qui dum Chriſtum extollit & circumfert viſendum cognoſcendúmq; omnibus, periclitatur in procellis & fluctibus huius mundi; ſuſtentatus tamen ſpe iucundiſsimorum fructuum in poſterum, & vel poſt hanc vitam recipiendorum, quos baculus ſupernè virens & florens promittit*. Itaque, ut demus fuiſſe quendam martyrem nomine Chriſtophorum; tametſi quî vel ejus memoria ſemper celeberrima? quem *ſub Dagno rege*, in *Samo* neſcio qua, ſive [f] *Ciliciæ urbe*, ſive [g] *Lyciæ, paſſum* autores non antiquiſſimi tradunt; adeò [h] abſurdè & præter omnium veterum monumentorum fidem, ut [i] Baronius cogatur *Decium Imperatorem* pro Dagno rege ſubſtituere; quàm [k] ex locuplete autore, non diſputo; ſed ut Chriſtophorum illum fuiſſe martyrem concedamus: tamen non probatur iſte Chriſtophorus unquam exſtitiſſe; quem vulgo notiſsimum declarant [l] Campiani *teſtes feneſtræ*; quem templis honoratum indicant gigantêæ reliquiæ apud [m] Italos & [n] alios ei afſictæ;

[a] Baptiſt. Mantuan. Faſt. lib. 7.
[b] Iacob. de Vorag. Aur. Legend. cap. 95.
[c] Notat. in Martyrolog. Rom. Iuli. 25.
[d] Hieron. Vid. hymn. D. Chriſtoph. Mart.
[e] De rat. ſtud. theolog. lib. 3. cap. 7. ex Hyperio.
[f] Beda Martyrolog. 8. Calend. Auguſt.
[g] Vincent. Belvac. ſpec. hiſt. lib. 13. cap. 24.
[h] Surius ex diverſis. De prob. Sanctor. hiſt. tom. 4.
[i] Notat. in Martyrolog. Rom. Iul. 25.
[k] Ex hymno quodam in breviario Tolerano.
[l] Ration. 10.
[m] Venetiis. Bernard. Breidenb. peregrinat. Ieroſolymit.
[n] Lud. Viv. comment. in Aug. de civ. Dei, lib. 15. cap. 9.

fictæ; cui [a] vota, ceu giganti, qualem [b] Lutetia colosso instar montis expressit, facta sunt; cujus patrocinium, ut qui Christum humeris portare meruisset, ab [c] Anglis & [d] Germanis adhibitum est ad Deum.

27 Item Catharina significata à Calvino, est Catharina virgo & martyr, Alexandrina, [e] Costi regis filia: quæ, quum quinquaginta philosophis, quos Maxentius Imperator ad ipsam à Christi fide abducendam adhibuit, non cessisset; immò eos etiam, quin & Maxentii conjugem, ad fidem convertisset; ac rotas acutissimis clavis & ferris obsitas, quas ad virginis corpus dilaniandum parari jusserat Maxentius, Angelus confregisset; obtrũcata traditur, cadavérq; mortuæ ab Angelis in montem Sinai asportatum. Cujus quidem rei picturam si Baronius ad symbola quoque retulisset, ut Catharina sanctam Ecclesiam repræsentet, in terris, velut Ægypto, degentem; [f] regis filiam; à [g] sapientibus & potentibus oppugnatam, [h] victricem tamen; ex [i] afflictionibus multis liberatam; ab [k] Angelis denique evectam in cœlum, quum morte consummatur: meliùs, & suæ existimationi, & veritati rerum quas tradit, consuluisset. Ceterùm impedivit eum, ne hoc faceret, [l] breviarium Romanum à Pio Quinto reformatum: ubi, castigata una circumstantia, cujus insulsitas commentum arguebat, de stirpe regis Costi; nec enim ullus fuit rex Costus magis quàm rex Dagnus; reliquum fabulæ expolitum pro vera historia obtruditur. Quin etiam (nequis dubitet quemadmodum reformentur quæ reformantur à Papa) præfixus est toti narrationi hic titulus: *Eusebius lib. 7. cap. 26.* Quid? Et nónne habet eam Eusebius libro septimo, capite vicesi-

[a] Erasm. colloq. inscript. Naufragium.
[b] Idem peregrinat. religionis ergô.
[c] Missal. Sarisbur. Missa de S. Christophoro.
[d] Ex ord. ecclesiæ Hildesheim. apud Kemnic. exam. conc. Trid. part. 3.
[e] Vincent. Belvac. Spec. hist. lib. 13. cap. 5. & sequentib. Iacob. de Vorag. Aur. Leg. cap. 167. Antonin. hist. part. 1. tit 8. cap. 1. §. 38.
[f] Psal. 45. 14.
[g] Ioh. 3. 5. 1. Pet. 1. 17. 1. Cor. 1. 26. & 28.
[h] Psal. 149. 8. Rom. 8. 37. 1 Cor. 10. 4.
[i] Psal. 34. 20.
[k] Apoc. 12. 16. Luc. 16. 22. Matt. 24. 31.
[l] In festo S. Catharinæ virginis & martyris. Novemb. 25.

viceſimo ſexto? Minimè gentium. At alibi fortè. Tantundem. [a] Euſebius contrà potiùs fidem ei derogat, quia Maximinum Alexandriæ, ubi res narratur geſta, imperaſſe docet, non Maxentium. Quod ita manifeſtum eſt, ut neque Pii Quinti, neque breviarii Romani reformati autoritate retineri potuerit [b] Baronius, quin *Maxentii* nomen expungendum diceret, atque ejus loco ſubſtituendum *Maximini*. Age. Deletis igitur Coſto & Maxẽtio, num Euſebius ceteram narrationẽ habet? Immò ne nomen quidem Catharinę: nec ullam aut philoſophi converſi, Auguſtæve, aut rotæ, aut mortis, aut in montem Sinai evectionis notam.

[a] Hiſt. eccleſ. lib. 8. cap. 26. & 27.

[b] Notat. in Martyrolog. Rom. Novemb. 25.

28 Qua ex re perſpicere licet qualem operam Baronius Eccleſiæ Romanæ in Annalibus conſcribendis navet: tanquam eundem in iis ſpectaſſet ſcopum, quem [c] Terentius in Comœdiis;

[c] Prolog. And.

Poëta quum primùm animum ad ſcribendum appulit,
Id ſibi negoti credidit ſolùm dari,
Populo ut placerent quas feciſſet fabulas.

Nam in minutioribus corrigendis veri ſtudium oſtentans, ſicut fraus fidem in parvis ſibi præſtruit quo faciliùs in magnis fallat, ad graviores Papiſtarum errores defendendos incruſtat ſæpenumero ſincerum vas hiſtoriæ, purámq; veritatem tectorio impuro oblinit. Scribit [d] Euſebius fuiſſe inter fœminas Alexandrinas quandam Chriſtianam, nobilitate, forma, doctrina, opibus inſignem, inſigniorem caſtitate, à Maximino impudicè & impotenter adamatam: quam ille, quum multis precibus ad ſtuprum fruſtra ſollicitaſſet, vita privare, alioqui mori paratam, non potuit, amore magis quàm ira victus; ſed in exilium egit, facultatibúſq; omnibus ſpoliavit. Baronius, quia nuſquam

[d] Hiſt. eccleſ. lib. 8. cap. 27.

in

in omni antiquitate vestigium aliud invenit Catharinæ martyris; & errassent Papistæ graviter si ea nulla exstitisset, quam [a] duplici festo colunt, & in [b] litaniis nominatim invocant; cui Deum morienti promisisse [c] perhibent, fore ut quicunque agerent memoriam passionis ejus,& nomen ejus in quacunque afflictione invocarent,exaudirentur;cujus è cervice, quũ decollaretur, [d] affirmant pro sanguine lac emanavisse,quod in reliquiis habent [e] Romæ; quam denique in [f] Missa mediatricem Dei hominúmq; faciunt; ac ejus patrocinio se liberari confidunt; & Deum, qui per Angelos in summitate montis Sinai corpus ejus mirabiliter collocavit, orant ut ejus meritis & intercessione ad montem,qui Christus est,pervenire valeant. [g] Baronius,inquam,ne talia & tanta rei Papisticæ firmamenta corruant,castam illam fœminã, quam à Maximino in exilium actam memorat Eusebius, Catharinam vult fuisse.Hoc autẽ quo majore probabilitatis specie persuadeat, quod Eusebius ait illam à Maximino [i] *mulctatam esse fuga*, ut [h] Christophorsonus vertit, id est (ut [i] Musculus voce [k] idem significãte reddidit) *exilio*; Baronius sic exponit tanquam Eusebius dixisset illam Maximino invito & inscio *fuga lapsam:* atque hinc infert,*haud putandum esse, Maximinum, qui pollebat rerum Imperio, insequi desiisse abreptam fuga, sed perquisitam inventámq; martyrio coronasse*. Qua in Eusebii depravatione peccasset excusabiliùs, si ipsius verba ex versione [l] Rufini, qui locum hunc de fuga pervertit, recitasset. Sed quum recitârit ex Christophorsoni versione,quam fideliorem esse [m] ostenderat, ut & [n] Canus Musculi; ac in ipsis verbis,quæ recitat, habeatur,*Maximinũ illam fuga mulctasse*; & quidem reddita

[a] Novemb.25.
[b] Breviar. Roma. reformat.
[c] Vincent.Belvac. spec. hist. lib. 13. cap. 8. Iacob. de Vorag.Aur. Leg. cap.167.Antonin. hist. part. 1.tit.8.cap.1.§. 38.
[d] Vincent.Iac. de Vorag. & Antonin.ibid.
[e] In templo S. Catharinæ. Mirabilia Romæ.
[f] Missal. Rom. reformat. in festo S.Cathar. virg. & marr.
[g] Annal.eccl. tom.3. anno Dom. 307.
[i] φυγῇ ζημιώσας. Euseb.Gr. lib.8.cap.15.
[h] Lib.8. ca.27.
[i] Lib.8.cap.16.
[k] Cic. lib.3.de orat.
[l] Lib.8.cap.17.
[m] Annal. eccl. tom.2.ann. Dom.258.
[n] De loc.theolog lib.11.ca.5.

reddita ratione cur non interfecerit, *quoniam libido plus apud eum valens quàm iracundia non permiſit:* inſigni vel perfidia lapſus ſit oportet, vel inconſiderantia, qui, quam Euſebius à Maximino negat interfici potuiſſe, atque in exilium idcirco actam ait; eam ſua ſponte, non Maximini juſſu, fugiſſe aſſerit ex Euſebio, & à Maximino propterea perquiſitam occiſámq; eſſe. Nec contentus iſta Euſebii diſtortione, etiam ad Rufini plagam declinandam *Catharinæ* nomen ridiculè commutat in *Hecaterinæ*. Nam quia nomen fœminæ, omiſſum ab Euſebio, *Dorotheam* fuiſſe tradit [a] Rufinus; quod ab Alexandrinis fortaſſe didicerat, quum [b] in Ægypto moraretur: Baronius *Hecaterinam olim potiùs dictam, quàm Catharinam*, aſſerit; &, *Quòd Hecaterinæ nomen*, inquit, *ab Hecate derivatum videtur, id illi fuiſſe inditum apparet, quum adhuc Gentilis eſſet; factam autem Chriſtianam (ut de multis accidit) mutaſſe nomen, ac dictam eſſe Dorotheam, ſed priori nomine magis notam*. Æcatherinam quidem in antiquis codicibus & Græco menologio dictam [c] Baronius antè obſervaverat. Quod inde factum ſuſpicor, quia Græcus quiſpiam, quum reperiſſet ſcriptum, [1] α. καθαειν, id eſt, ἁγία καθαείνη, putavit eſſe αικαθαειν: non diſſimili forſitan errore ac noſtrorum Criticorum quidam ex [2] *Auli Gellij* nomine fecerunt *Agellium*. Et quæ jam diu fuit Græcorum inſcitia, pronuntiationiſq; priſcæ depravatio, hinc facilè naſci potuit non ſolùm Æcatherina, ſed etiam [3] Ecaterina. Verùm Hecaterinam olim potiùs dictam, novum eſt Baronii, nulla vel leviſſima cujuſquam libri aut librarii umbra nixum, ſomnium. Nec verò, ſiqua dicta fuiſſet Hecaterina, nomen accepiſſet ab Hecate

[a] Euſeb. hiſt. eccleſ. lib. 8. cap. 17. Rufin. interpr.
[b] Rufin. hiſt. eccleſ. l. 2. c. 4.
[c] Notat. in Martyrolog. Rom. Nov. 25.
[1] Vt apud Latinos *S.* ſcribi ſolet pro *Sancta.*
[2] Scripto, *A. Gellii*; ut *L. Gellii* ſcribitur apud Ciceronem, de legib. lib. 1. & *Cn. Gellii*, apud A. Gellium, li. 13. cap. 21. & *Sex. Gellii*, apud Aur. Victorē, Orig. gent. Rom.
[3] Quod Monachi montis Sinai in ſigillo habent: ἡ ἁγία ἑκατερίνη τῶν σιναϊτῶν. Martin. Cruſ. Turco-græc. lib. 3. part. 1.

Hecate derivatum, quod litera ῥῶ coarguit; sed à voce Hecateros. Ut potuerit soror aut filia ejus esse, de quo [a] Plutarchus refert, Philippum Macedonem, quum è duobus fratribus, quorum alter [1] Ἑκατερὸς appellatus est, alter [2] Ἀμφοτερὸς, hunc videret fatuum, illum prudentem, dixisse; Ἑκατερὸς est ἀμφότερος, Ἀμφοτερὸς autem [3] ἀδέτερος. Postremò, ut fingamus Hecaterinam ab Hecate nuncupatam, cur ei Christianæ factæ nomen aliud indendum magis fuit: quàm [b] Apollo, (quem Apollinem vocat [c] Bellarminus,) quàm [d] Dionysio, quàm [e] Mercurio, quàm [f] Artemæ, [g] Zenæ, [h] Tychico, quàm [i] Satyro, [k] Martino, [l] Bacho, [m] Aphrodisio? Aut quî hoc verisimilius in illa factum esse Alexandriæ, quàm [n] ibidem in Apollonia, in Mercuria, in Dionysia? Atque, si priori Hecaterinæ nomine magis erat nota: unde inaudivit Rufinus de Dorothea; de Hecaterina verò nec Rufinus, nec alius quisquam veterum? Omnino, ut [o] Cicero accusatorem Sex. Roscii affatus est; *Quum hoc modo accusas, Eruci, nónne hoc palàm dicis? ego, quid acceperim, scio; quid dicam, nescio:* ita mihi videtur Baronius, quum hoc modo defendit fabulam Catharinæ, hoc palàm profiteri, se scire, qualem causam fucandam susceperit; nescire, quem colorem obducat. Præsertim quum adjiciat, *minimè mirum esse si Eusebius cetera ipsius certamina ignoravit, cuius videtur nomen ignorasse.* Namque ita mirum esset si Eusebius, eodem tempore vivens, in Palæstina Ægypto proxima, tam diligens mirabiliũ quę martyribus Deus fecisset indagator, nomen, rotam, mortem, Angelicam (qualis nulla cuiquam unquam contigit) curam & custodiam tam illustris martyris Alex-

[a] Apophtheg. reg. & imperat.
[1] Id est, *Alteruter.*
[2] *Vterque.*
[3] *Neuter.*
[b] Act. 18. 24.
[c] De sacramant. baptism. cap. 7.
[d] Act. 17. 34.
[e] Rom. 16. 14.
[f] Tit. 3. 12.
[g] Tit. 3. 13.
[h] Act. 20. 4.
[i] Ambros. orat. in funer. fratr.
[k] Sulpic. Sev. de vita B. Mart.
[l] Bed. martyrolog. Non. Octobr.
[m] Ibid. 4. & prid. Cal. Maii.
[n] Dionys. episcop. Alex. apud Euseb. hist. eccles. lib. 6. cap. 34.
[o] Pro Sex. Rosc.

Alexandrinæ ignoraſſet : ut non ſolùm delectis à [a] Tridentina Synodo Breviarii reformatoribus, ſed etiam Pio Quinto, confecti operis approbatori, minùs abſurdum viſum ſit hiſtoriam totam, quamvis impudentiſſimo mendacio, at neceſſario, quia eam certi autoris eſſe oportuit ad * priſtinæ conſuetudinis ſpeciem retinendam, Euſebio attribuere.

[a] Seſſion. 25.

* *In Sancta Romana eccleſia non leguntur, quia eorũ, qui ſcripſere, nomina penitus ignorantur.* Diſt. 15. cap. Sancta Romana.

29 Nempe homines docti animadverterunt alioqui neminem repertum iri teſtem, quo probaretur Catharina ulla unquam fuiſſe; nedum corpus ejus ab Angelis in montem Sinai tranſvectum. Etenim ducentis, poſtea quàm res geſta eſſe fertur, annis [b] leguntur monachi ſedes & templum à Juſtiniano exſtructum ibi habuiſſe : ſed de Catharina quicquam accepiſſe, nec Juſtinianus, nec monachi leguntur. Ac licet monachorum illic commorantium domicilium hodie vocetur *monaſterium S. Catharinæ*; eorúmq; plurimùm interſit ut Legenda Cathariniana vera cenſeatur : tamen quod ipſorum traditione [c] proditur, *Catharinæ corpus, Alexandria in verticem montis Sinai ab Angelis tranſlatum, ibi per trecentos annos ſub Angelicis excubijs iacuiſſe, donec ſcilicet revelatum fuit cuidam Abbati ut corpus ſacrum inde tollens ad monaſterium ubi iam eſt tranſferret*, ſatis clarè arguit, Catharinam diu poſt Juſtinianum in monte Sinai non conſpectam; nec quicquam niſi *ſomnium, & inanem* (ut [d] Synodus Carthaginenſis appellat) *revelationem*, pro primo ac præcipuo rei teſte haberi. Itaque [e] Baronius hoc, quod de mirabili Catharinæ mortuæ per Angelos ex Ægypto in Arabiam tranſvectione in primis celebratur, nullo alio autore confirmat

[b] Procop. de ædif. Iuſtiniã. lib. 5.

[c] Bernard. Breidenb. peregrinat. mont. Sinai.

[d] Gr. can. 84. Conc. Carthag. 5. can. 14.

[e] Annal. eccleſ. tom. 3. anno Dom. 307.

firmat quàm incerto ; *Vt tradunt* . Neque ſingularem vivæ victoriam , de quinquaginta philoſophis reportatam , aliunde probat quàm ex ingenio ſuo ; dicens : *Dignum planè eſt exiſtimare , eam quam diſertiſsimam ſciret , per Gentiles philoſophos, quibus urbs Alexandrina abundare ſolebat , Maximinum conatum eſſe à Chriſtiana religione divellere; ipſamq; eos omnes tûm ſcientia , qua egregiè imbuta erat , tûm etiam divinitus inſpirata ſibi ſapientia ſuperaſſe* . Auguſtam verò ad fidem Chriſti converſam , (Maxentii conjugem , quam Fauſtinam vocat [a] breviarium ,) quatuórq; rotas [b] Legendariorum , quas [c] pictores & [d] Papa in unam redegerunt, ſilentio tranſit , cum hac nota, ſubtexta mentioni philoſophorum & Angelicæ tranſvectionis in montem Sinai : *Quæ quum doleamus ab Euſebio prætermiſſa , magis angimur , ab incerto autore, quo fuſiùs, eo minùs fideliter quàm par erat , Acta eiuſdem nobiliſsimæ martyris fuiſſe conſcripta ; præſtat namque in rebus geſtis martyrum , aliorumq; Sanctorum, multa deſiderari , quàm omni ex parte nutantia plurima cumulari* . Et tamen eloquentiæ Pontificiæ lumen [e] Hieronymus Oſorius,non ſolùm talia omni ex parte nutantia , de rotis quatuor , & Auguſta , rebúſq; abſurdioribus , in ſua Catharinæ laude intexit: ſed etiam evidenter & indubitatè falſa ; puta, [f] *Maxentium continuiſſe orbem terrarum dominatu oppreſſum* , non modò Occidentem ; *&, quum Alexandriæ eſſet* , (quod quando fuit ?) *edictum propoſuiſſe , ut omnes Alexandriam , religionis procurandæ gratia , convenirent* ; *& Catharinæ patrem in Ægypto Principatum* (is nimirum erat rex Coſtus) *tenu-*

[a] Romanum reformatum.
[b] Iac. de Vorag. Vincent. Belv. Antonin. & breviar. Sariſbur.
[c] *Teſtes feneſtræ*,& ſigna tabernariorum: *omnes res & reculæ.* Campian. rat. 10. Poſſevin. biblioth. ſelect. l. 7. c. 26.
[d] Pius V. in breviario Rom. reform.
[e] Orat. in laudem D. Æcath.
[f] Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 8. cap. 15. & ſequēt. Eutrop. Rom. hiſt. breviar. lib. 10. Zoſim. hiſt. lib. 2. Sigon. de occident. imper. lib. 2. Baron. notat. in Martyrolog. Rom. Novembr. 25.

*Ex bibliotheca & typographia Georgii Ferrarii.

tenuiſſe. Quæ ipſa [a] Romæ item excuſa ſunt omnia; & quidem aliquanto [b] pòſt tempore quàm [c] Baronius iſtas * phaleratis verbis & cincinnis exornatas [d] fabulas ex parte redarguerat; idq; ab eiſdem, videlicet Patre Antonio Vicesgerente, & Fratre Bartholomæo Sacri Palatii Magiſtro, approbata, à quibus Poſſevini Selecta Bibliotheca. Unde adhuc rurſum luculentiùs patet commentitiam eſſe illam Catharinam, quam Pontificii colunt Alexandrinam virginem, nobilitate regia, Maxentii furore, converſione quinquaginta philoſophorum & Auguſtæ, rotæ ſeu rotarum quatuor miraculo, martyrii corona, Angelica deniq; in Arabiam tranſvectione celebrem. Quocirca ſi Calvinus Catharinam, Chriſtophorum, & ſimiles denotaſſet vocabulo monſtrorum: parum propriè forſan de iis, qui nulli unquam fuiſſent, loquutus eſſet. Verùm blaſphemiæ in Sanctos nihilo magis reus exſtitiſſet: quàm Bellarminus, nequiter eum calumnians, reus eſt modeſtiæ.

[b] Anno Dom. 1592.

[c] Anno Dom. 1586.

* Καίτοι τι καὶ βροτῶν φρένα, ὑφ' ὧν τὸν ἀληθῆ λόγον, ὑπεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις ἐξαπατῶντι μῦθοι. Pindar. Olymp. Ode 1.

[d] 2. Tim. 4. 4. 2. Pet. 1. 16.

30 *Carnifex* autem appellatur Dominicus à Calvino æquè juſtam ab cauſam, ac Georgius Cappadox ab [e] Athanaſio, & [f] Baronio; immò à Baronio Georgius, *execrandus carnifex*. Itaque, ſi hoſce abſolvet Eliſæus, [g] qui homicidam aut occiſorem nominavit Achabum ob [h] prophetarum & Nabothi ſanguinem effuſum; nec ipſis præjudicabit quòd Georgius habitus eſt pro martyre plus mille annis: quid eſt cur Dominicus, annis trecentis, non pro martyre quidem, ſed pro Sancto habitus, Calvinum, quia ſcapham ([i] Macedonum more) ſcapham vocat, condemnet? Nam [k] quando *crux in Gallia prædicabatur ex Innocentii Tertii mandato contra Albigenſes*, id eſt, plenaria

[e] Contr. Arian. orat. 1.

[f] De Martyrolog. Rom. c. 10.

[g] 2. Reg. 6. 32.

[h] 1. Reg. 18. 4. & 21. 19.

[i] Philip. Maced. apud Plutar. apophth. reg. & imper.

[k] Antonin. hiſt. part. 3. tit. 19. cap. 1. §. 3. & 4.

ria peccatorum remissione promissa excitabantur homines, ut signati cruce bellum Albigensibus inferrent tanquam hæreticis à Papa excommunicatis; (sicut scriptum est,[a] *Movebunt vos synagogis; immò veniet tempus, quum quisquis trucidabit vos, putabit se cultum præstare Deo;*) Dominicus inter crucis istius prædicatores ita excelluit, ut[b] *ad eum congregaretur cœtus fortis viribus cruce signatorum:* qui quàm[c] multa millia ferro deleverint, nihil attinet memorare, quum ad propositum satis sit, quòd *centum octoginta simul exustos* agnoscit[d] Bellarminus, quot Georgii impulsu necatos non invenio.

[a] Ioh.16.2.

[b] Theodoric. Appold.vitæ S.Dominici lib.1.cap 7. apud Sur. de probat.Sanct. hist.tom.4.

[c] Vincent. Belv.spec.hist. lib.29. ca.103. & lib.30. ca.9.

[d] Lib. de laicis,cap. 22.

31 At Bellarminus dicet dissimilem esse rationem; quoniam in Catholicos grassatus est Georgius: *Albigenses* autem, in quos Dominicus tubam inflavit, erant *hæretici*. At hæretici etiam fuissent quos Georgius persequutus est, si Arianis crederetur, eorum adversariis. Et quidem Pontificios multas hæreses falsò adscribere Albigensibus indicio sunt deliramenta, quorum Belforestus & alii ipsos arguunt. Etenim[e] Vincentius affirmat *eos nuptias detestatos esse, & carnem comedi prohibuisse.* Quod quàm ab omni verisimilitudine alienum sit, conjicere licet ex æqualibus temporum illorum, autoribus Vincentio antiquioribus & gravioribus, Petro Cluniacensi Abbate, & Bernardo. Quorum[f] alter, exagitans doctrinam à Petro Brusio Albigensibus traditam, narrat *sacerdotes & monachos* (fortasse parum continentes) *ab iis compulsos uxores ducere: at magno igne structo ligneis è crucibus* (quæ adoratæ fuerant) *carnes coctas esse, eásq; ipso Dominicæ passionis die ab invitatis publicè populis comestas.* Alter, ad Principem Tolosa-

[e] Spec.hist.lib 30.cap.9.

[f] Petr. Cluniac.epist.2.

num ſcribens contra Henricum, quo poſt Petrũ Bruſium crematum Albigenſes uſi ſunt magiſtro, [a] *irriſas* ait *orationes oblationéſq; pro mortuis, ſanctorum invocationes, ſacerdotum excommunicationes, fidelium peregrinationes, baſilicarum ædificationes, dierum ſolennium vacationes, chriſmatis & olei conſecrationes*: ſed eum, etſi [b] quædam in Petri Bruſii dogmatis mutaſſe fama fuerit, tamen hoc novaſſe, ne cui matrimonium contrahere aut carne veſci liceret, non ſignificat. Tamen Vincentius, Albigenſibus tribuens quæ de aliis neminem ſuæ ſectæ autorem & magiſtrum habentibus ſcripſerat [c] Bernardus, affirmat eos nuptiis & cibis interdixiſſe. Eodem ferè modo [d] Paulus Æmilius *Pauperum Lugdunenſium*, id eſt, Waldenſium *doctrinæ* (quam [e] Synodus Lateranenſis & [f] Æneas Sylvius eandem prorſus facere videntur cum Albigenſium) tradit *Albigenſes matrimoniorum damnationem adieciſſe, et ſcortationis approbationem*. [g] Belforeſtus verò, ſtatuens *VValdenſes & Albigenſes eoſdem eſſe*, nec ſatis odioſa putans quæ Waldenſibus ab Ænea Sylvio, Albigenſibus à Vincentio & Æmilio tribuuntur, adſcribit illis alia *Manichæorum, Arianorum, Cerinthianorum, Julianiſtarum, Sadducæorum, & Atheorum*; in ſumma, *legem eorum centuplo falſiorem & abſurdiorem ipſo Alcorano Mahometiſtarum fuiſſe* pronuntiat: *ſéq;* (quod caput eſt iniquitatis) aſſevêrat *iſtas Albigenſium hæreſes è multis fide dignis autoribus collegiſſe*; ac, tanquam hoc patêret ex Antonino & Vincentio, quorum alter nullam hæreſin nominatim, alter duas tantùm, quas dixi, iis attribuit, *Vide*, inquit, *Vincentium in ſpeculo hiſtoriali, lib. 31. cap. 2. & Antoninum Archiepiſcopum Floren-*

[a] Vitæ Bernard. li. 3. ca. 5.

[b] Petr. Cluniac. epiſt. 1.

[c] Super Cant. ſerm. 66.

[d] Hiſtor. Francor. lib. 6.

[e] Sub Alexandr. III. cap. 27.

[f] Hiſt. Bohem. cap. 35.

[g] Hiſt. Gall. lib. 3. cap. 75.

rentinum, lib. 3. tit. 18. cap. 1. Da ſodes Belforeſto lector, ſi vacat, ut hos autores, quos citat, videas. Ita Chriſtianiſsimi regis hiſtoriographum, quemadmodum ſe inſcribit, non tam hiſtorias Chriſtiano Principi, quàm Antichriſtiano Pontifici calumnias & fabulas mendaciſſimas ſcribere deprehendes.

32 Quòd ſi Albigenſes alicui hæreticæ opinioni aſſenſerunt; ut homines humanis caſibus ſunt obnoxii; nec minùs poterant illi errare, quàm Cyprianus: quo pacto probat Bellarminus centum octoginta, quos exuſtos memorat, hæreticos fuiſſe? Quia videlicet *exuſti ſunt*, inquit, *quum antea & verbis, et miraculis eos S. Dominicus convicisset*. Quis hujus rei teſtis eſt? *Scribit rem totam B. Antoninus 3. parte, tit. 19. cap. 1. §. 4. hiſtoriæ.* Atqui Antoninus, totius rei ſcriptor, poſtquàm dixiſſet *Simonem Comitem Montiſſortis, principem exercitus fidelium* (ita nominat Papiſtarum copias) *gladio materiali contra ipſos hæreticos & eorum ſequaces viriliter dimicaſſe:* pergit hunc in modum. *Unde & Minerbram municipium ceperunt, ubi multi hæreticorum capti ſunt, & multi interfecti: quúmq; captis daretur optio, ut quicunque hæreſin abiuraret, liber recederet; centum octoginta ex eis obſtinati in peccato potiùs comburi, quàm hæreſin abiurare elegerunt. Quod & factum eſt. Sed & veritas fidei noſtræ ibi per evidens miraculum comprobata eſt. Ut enim refert Vincentius, ſpeculi hiſtorialis lib. 30. ex geſtis Comitis Montiſſortis & hiſtoria B. Dominici, quum apud fanum Jovis, quoddam caſtrum, frequenter inter Catholicos & hæreticos diſputationum conflictus fierent*; & quæ ſequuntur. In quibus refert quidem Antoninus *miraculum ibi factum,*

ctum, ut ait: ſed adverbio, *ibi*, quem locum ſignificat? Num municipium ſigillatim, in quo illi combuſti ſunt? Immò verò generatim provinciam Albigenſium, in cujus alia parte, nempe *fano Jovis* (non ipſorum municipio, ſed [a] Simonis caſtro, quod is Dominico dedit) ait *poſt longam diſputationem tandem conveniſſe, ut libelli ſcriptam continentes fidem hæreticorum & Dominici in ignem iacerentur, ac ei qui non cremaretur adiudicaretur veritas: hæreticorum autem libello ſtatim combuſto, libellum Dominici non modò læſum non eſſe, verùm etiam ab igne proſiliiſſe in longinquum; iterúmq; ac tertiò iniectum, prodiiſſe æquè incombuſtum*. Nec verò Antoninus probat hoc miraculum verè contigiſſe: ſed autorem citans [b] Vincentium, *ex Dominici geſtis* id tradentem, potiùs infirmat. Nam ex iiſdem [c] geſtis Dominici Dominicanus [d] Theodoricus de Appoldia narrat *dæmonem, noctu in ſpecie ſimiæ illudentem Dominico ſcribenti, ab ipſo iuſſum eſſe candelam accenſam tenere: & quamvis ſimiæ digitus adureretur, quando ventum erat ad extrema candelæ, tamen coactum eum ſic perſiſtere, donec toto demum indice combuſto à Dominico dimitteretur*. Quod Romæ factum quum aſſerat Cæcilia Romana, Dominici diſcipula, ex cujus ore geſta ejus ſunt conſcripta; & tamen [e] Canus explodat ceu falſum, & ridiculum: non permittit dæmonis digitus combuſtus ut duo incombuſti libelli Dominici (nam alterum [f] pari fide probatum addit Antoninus) habeantur pro miraculis quibus Albigenſes ullos convicerit; nedum illos centum & octoginta, qui exuſti ſunt. Verbis autem convictos fuiſſe à Dominico, Antoninus tantum abeſt ut oſtendat: ut inſinuet potiùs

[a] Theodoric. Appold. vitæ Dominic. lib. 1. cap. 11.

[b] Spec. hiſt. lib. 29. edit. nov. Venet. cap. 96.

[c] Theod. Appold. epiſt. ad Nic. magiſtr. Ord. præfix. vit. S. Dominici apud Sur. tom. 4.

[d] Vitæ S. Dominici lib. 3. cap. 7.

[e] De loc. theolog. lib. 11. c. 6.

[f] Theod. Appold. vit. S. Dominic. lib. 1. cap. 9.

tiùs optionem illis uno quasi verbo militariter datam, comburi an abjurare vellent. Nec sanè in quibusdam poterant convinci, quæ à Dominico habita sunt pro hæresibus: ut, quòd [a] *negabant crucem adorandam esse*. Nam oppugnari potest veritas: convinci non potest. In hæretica verò sententia de *baptismo*, quam perhibentur tenuisse, Dominico melior doctor illis opus erat ut convincerentur: nisi ipse meliùs disseruit contra Albigenses, quàm [b] Stephanus episcopus Romanus contra Cyprianum. Porrò [c] Dominicus, *valde familiaris Comiti Simoni, permansit annis decem in illis partibus in* tali talis *hæresis exstirpatione*. Et [d] *Simon circumtulit bellum non in urbes hæreticorum modò, sed in alias multas*; scilicet, *ne iuvare possent hæreticos: eásq; vi subegit*. Quare si, quàm multa Christianorum millia in terris Albigensium & finitimorum occisa sint, examinemus: comperiemus Dominicum, lanienæ illius flabellum & signiferum, haud injuria carnificem à Calvino dici.

[a] Petr. Cluniac. epist. 2.

[b] Cyprian. epist. 74. & 75.

[c] Antonin. hist. part. 3. tit. 19. cap. 1. §. 4.

[d] Paul. Æmil. hist. Francor. lib. 6.

33 *Bestiarum* denique nomen Medardo & Lubino tributum Romanus Pontifex Innocentius à Bellarminiana blasphemiæ nota liberabit. Quum enim laici quidam (Waldenses, ut * conjicio) in Metensi Gallorum urbe & diœcesi, Evangelia & alios Scripturarum libros Gallicè versos legerent; ac de iis, quæ legerant, colloquerentur in conventibus; sacerdotibúsq;, à quibus propterea corripiebantur, contradicerent, docentes è Scripturis hæc sibi facere licere: [c] Innocentius Tertius, sacerdotum causam adversùs laicos agens, *Rectè fuit in Lege divina statutum*, inquit, *ut bestia quæ montem tetigerit lapidetur*;

* *Paucis annis elapsis orta est hæresis Waldosiana in civitate Metensi.* Cæs. Cisterc. dialog. lib. 5. cap. 20.

[c] Cap. cùm ex injuncto. extra. de hæreticis: in iis quæ Raymundus de Penna am. putavit; Antonius Contius restituit.

ne videlicet simplex aliquis & indoctus præsumat ad subtilitatem sacræ Scripturæ pertingere. Parum quidem rectè, quòd hunc divinæ legis locum ad laicos à Scripturarum lectione arcendos accommodat. Nam ita sacerdotes quoque arcebuntur, ex eodem loco, dicente, [a] *Si vel bestia tetigerit montem, lapidabitur*: quia [b] lapidandus item erat homo, si montem tetigisset. Cujus reiquanta sit dissimilitudo cum tractatione sacræ Scripturæ, apparet è Josua: quippe cui aditus ad montem interdictus, [c] Scripturæ autem meditatio & [d] lectio mandata est. Sed illud Innocentius alioqui non malè, quòd hominem indoctum cum docto (qualis debet [e] sacerdos esse) comparatum *bestiam* appellat: haud secus atque [f] Catulus, quum Crassum, oratorem summum, audisset, *fœnum alios* aiebat *esse oportere*. Enimverò David Sauli regi dicens, [g] *Quem tu persequeris? persequeris canem mortuum*; magis se abjecit quàm si dixisset, bestiam: & Spiritu Dei scripsit, qui scripsit [h] se fuisse *brutum* ac velut *iumenta*, quum ignoraret quàm bene sit bonis, malè malis. Quandoquidem idcirco Medardus & Lubinus collati cum Prophetis Apostolisq; à Calvino nuncupantur bestiæ; Prophetis autem & Apostolis tanto inferiores erant sapientia, quàm laici sacerdotibus, ut multo justiùs fœno alendi viderentur: restat Calvinum peccasse multo minùs, ivIedardum & Lubinum bestias appellando, quàm laicis vocabulum idem imponendo peccavit Innocentius; quem blasphemia usum non dicet Bellarminus, ne ipse à Papistis damnetur ut blasphemus.

[a] Heb. 12. 20.
[b] Exod. 19. 13.
[c] Ios. 1. 8.
[d] Deut. 17. 19.
[e] Mal. 2. 7.
[f] Cic. lib. 2. de orat.
[g] 1. Sam. 24. 15.
[h] Psal 73. 22.

34 Ita ventilatis ac perpensis omnibus, quibus

Sanctos

Sanctos veteris Testamenti & novi tanquam flagellis vexasse arguitur Calvinus, apparet ipsum in utroque Testamento id præstitisse, quod [a] testamento suo professus est moriens: nimirum *sedulò elaborasse, ut sacram Scripturam fideliter interpretaretur; & candidè ac sincerè in veritate contra hostes Evangelii propugnanda versatum esse*. Cujus sinceritatis, candoris, fidei sibi conscius, ut vivus oblatrantium canum maledicta calumniásq; contemnebat: sic in Domino mortuus, in glorioſiore memoria est apud pios, quoniam ab impio isto Jesuita *blasphemus, sacrilegus, arrogantissimus terræ vermiculus* nuncupatur. Nam quòd obiter etiam *coniugium* illi exprobratur, & quidem cum communi nostrorum irrisione, à Jesuita dicente, *Nefas apud eos est Episcopum creari, nisi unius saltem uxoris virum:* id quia æquè dici potest in [b] Petrum cum irrisu Christi, Nefas ei fuit [c] Apostolum creare, nisi unius saltem uxoris virum, Christiani animo æquiore ferimus. Quanquam Bellarminum, ne talibus jocis nos lacesseret, cohibere debuit quod [d] Cicero ait in Antonium; *Materia facilis est, in te & in tuos dicta dicere*. Præsertim quum [e] Decreti vetus hæc rubrica, *Qui non habet uxorem, loco illius concubinam debet habere*, meliorem nobis ansam suppeditet dicendi de Papistis; Nefas apud eos est Episcopum creari, nisi unius saltem concubinæ dominum. Minimè verò mirum, si, qui cæco suorum abreptus præjudicio, in homines verè sanctos, licet tales ei non videantur, bacchatur: idem justo Dei judicio percellatur spiritu vertiginis, ut imprudens illis, quos Sanctos esse agnoscit ipse,

[a] Vita Calvini à Beza descript.

[b] Matt. 8. 14.

[c] 1. Cor. 9. 5.

[d] Philip. 2.

[e] Can. Is qui non habet. Dist. 34. Hyper. de rat. stud. theolog. lib. 4. cap 5. Villavincent. ibid. cap. 4.

maledicat. Ecce enim, quum inter noſtrorum argumenta contra cultum Sanctorum [a] produxiſſet quatuor Patrum teſtimonia; [b] Athanaſii, *neque Angelos, neque homines Sanctos adoratione colendos eſſe*; [c] Epiphanii, *Mariam non eſſe adorandam*; [d] Ambroſii, *reos eſſe impietatis eos, qui adorant conſervos*; & [e] Auguſtini, *religionem nobis eſſe non debere cultum hominum mortuorum, neq; Angelorum:* ad iſtud argumentum è Patrum autoritate ductum [f] pòſt reſpondens, *Dico*, inquit, *eos loqui contra errores Gentilium, qui ex hominibus ſceleratis veros Deos faciebant, eíſq; ſacrificia offerebant*. Itáne? Etiam Auguſtinum, Athanaſium, Epiphanium, contra tales loqui dicit Bellarminus? & Mariam quoque, non ſolùm alios Sanctos ex hominibus ſceleratis Deos factos eſſe? Sic eſt. Nam hanc unam reſponſionem adhibet ad quatuor illos locos, quibus adorandi negantur Angeli, homines, conſervi, & Maria. Quapropter ut [g] Lycurgus, Thracum rex, in vites tanquam ebrietatis inſtrumenta inſaniens, [h] Dryantem filium ſuum, vitem arbitratus eſſe per furorem, ſecuri fertur percuſſiſſe: ſimiliter Bellarminus, Calvinum alióſq; Proteſtantes in odium ut blaſphemos rapere per amentiam ſtudens, beatis Dei ſervis, ſicut Proteſtantibus, blaſphemum ſceleratorum titulum impingit.

[a] Bellarm. de eccl. triumph. lib. 1. cap. 11.
[b] Serm. 3. contra Arianos.
[c] Hær. Collyrid.
[d] In cap. 1. epiſt. ad. Rom.
[e] Lib. de vera relig. cap. 55.
[f] Bellarm. de eccl. triumph. lib. 1. cap. 14.
[g] Plutarch. quo modo adoleſcens poem. aud. debeat.
[h] Apollodor. lib. 3. de orig. deor.

CAP.

CAP. VI.

Proteſtantes impiè à Bellarmino traduci, tanquam Porphyrii, Iuliani, & omnium, qui unquam impia cœlitibus bella intulerunt, imitatores. Ac Vigilantium & VVicleſum iniuſtè cum Porphyrio & Iuliano copulari.

Bellarminus.

SED & nos, ſi cives Sanctorum ſumus, ſi ullum habemus fidei zelum, excitemur, atque accendamur oportet, & religioſa, piáq; indignatione vehementer commoti tam nefariis hominibus acerrimè reſiſtamus. Imitentur Lutherani maiores ſuos, Porphyrium, Julianum, Vigilantium, VVicleſum, & quotquot unquam cum cæleſtibus Divis impia bella geſſerunt, &, ut fabulæ Poëtarum de gigantibus ferunt, de ſuis ſedibus cœlites deturbare ac detrahere voluerunt. Nos verò maiorum noſtrorum, Athanaſii, Ambroſii, Hieronymi, Paulini, Auguſtini, Gregorii veſtigiis inhæreamus. Qui quidem Apoſtolorum & Martyrum gloriam religioſè æmulari, & res geſtas contra detractores pro viribus diſſerendo tueri; & memoriam denique ſermonibus alere, Baſilicis honorare, carminibus celebrare, literis propagare, & conſecrare æternitati ſemper ſtuduerunt.

Ita

Ita enim fiet, ut & illi, quorum imitantur ſcelera, earundem cum illis pœnarum ſocietate iungantur: & nos, quos in hoc ſtudio ad virtutem habuimus Duces, eoſdem ad præmia & coronas ſocios habeamus. Nunc ad rem ipſam accedamus propiùs.

Rainoldus.

[a] A. Gell. lib. 18. cap. 13.

Ophiſtæ [a] cuidam Diogenem urgenti hoc captioſo ſyllogiſmo, *Quod ego ſum, id tu non es; homo autem ego ſum; homo igitur tu non es:* Diogenes reſpondens, *A me*, inquit, *incipe, & vera eſt concluſio*. Eundem in modum quod Bellarminus ait, *Sed & nos, ſi cives Sanctorum ſumus, ſi ullum habemus fidei zelum, excitemur atque accendamur oportet, & religioſa piáq; indignatione vehementer commoti tam nefariis hominibus acerrimè reſiſtamus*: à nobis incipiat, & concludit verè. Nefarii enim homines ſunt Pontificii, qui polluunt ſe [b] *nefariis ſimulacrorum cultibus*; ac non Proteſtantes, qui illis ſe opponunt: ut [c] Iſraelem perturbavit, non Elias, ſed Achab, & domus patris ejus, dum derelinquerent præcepta Jehovæ, & ſequeretur Baales. Veruntamen, ut Achab, quaſi parum eſſet Eliam appellaſſe perturbatorem Iſraelis, [d] inimicum etiam ſuum appellavit: ita Bellarminus, nefariorum hominum convicio non contentus, Porphyrium, Julianum, & quotquot unquam impia cum cœlitibus bella geſſerunt, eóſq; de ſuis ſedibus deturbare voluerunt, ma-

[b] 1. Pet. 4. 3.

[c] 1. Reg. 18. 18.

[d] 1. Reg. 21. 20.

majores noſtros eſſe dicit. Ubi, quum *maiorum* nomen iis attribuat quos imitamur, & referimus; ſicut Propheta Judæis [a] Chananææ incolas, Amoræos, Chettæos, imitantibus, [b] *Mater veſtra Chettæa*, inquit, *& pater veſter Amoræus*: nónne Bellarminus, aſſerens majores noſtros eſſe omnes qui impia cœlitibus bella intulerunt, indicat majores ſuos non eſſe Athanaſium, Ambroſium, & alios ſanctos quos recenſet, ſed [c] draconem & angelos ejus? Exemplum quidem certè draconis [d] ejicientis ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, ut eam à flumine rapi faceret, imitatur: ac tanto luculentiùs, quanto verſutiùs, ad immanis hujus calumniæ quaſi Gangem, aut ſiquod flumen Gange majus eſt, augendum, etiam Wiclefum & Vigilantium copulat cum Juliano & Porphyrio. Quò nimirum homines perſuaſi Vigilantium atque Wiclefum impios Sanctorum oppugnatores exſtitiſſe, de nobis idem ſentiant: qui illos imitamur, ut verbo Dei jubemur; id eſt, [e] quatenus ipſi Paulum, & [f] Paulus Chriſtum, imitati ſunt.

[a] Ezek. 16. v. 3.
[b] ver. 45.
[c] Apoc. 12. v. 7.
[d] ver. 15.
[e] Phil. 3. 17.
[f] 1. Cor. 11. 1.

2 Nam quid tandem fecit Wiclefus (ut ab eo ordiar, cujus cauſa eſt expeditior) cur impium cœlitibus bellum intuliſſe judicari debeat? Videlicet Sanctorum invocationem [g] reprehendit his verbis: *Stultitia videtur fontem omnino paratiorem relinquere, & ad rivum turbidum & remotum accedere*: &, *Quis faceret ſcurram mediatorem ſuum, ut regis paratioris & clementioris colloquio potiretur? In quibus*, inquit [h] Bellarminus, *Sanctos obiter ſcurris & rivis turbidis conferebat, quod eſt hæreticorum proprium*. Gravis criminatio. Ceterùm Wiclefus hæc

[g] Apud Thom. Waldenſ. tom. 3. tit. 12. cap. 111. & 114.
[h] De eccleſ. triumph. lib. 2. cap. 15.

hæc verba ſuperioribus eveſtigio [a] ſubjicit: *Sancti in cælo, licèt non ſint ſcurræ, ſed incorporati Chriſto per gratiam Salvatoris: tamen minùs ſe habent in comparatione ad illum, quàm ſcurra ad regem terrenum.* Ita, & *ſcurrarum* nomen multo leniùs minúſq; odioſè, quàm vulgò ſonat, uſurpavit; exemplo [b] veteris interpretis, in quo [c] Liranus id exponit de *vilibus perſonis*: & iſto quoque modo negavit Sanctos eſſe ſcurras; minores tantùm ſcurris dixit comparatè; qua ratione poteſt cum [d] verme & lumbrico (re abjectiori quàm ſcurra, homine parvi pretii, tamen homine) conferri vir juſtiſſimus. Rivo autem turbido ſimiliter Sanctos contulit, quia ſcriptam legerat querelam Domini de Judæis: [e] *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ:* [f] *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* Qua voce creaturas, quantumvis puriſſimas, cum Deo comparatas notari non immeritò, ut minùs puras, agnoſcemus: ſi rectè reputabimus illius majeſtatẽ, qui [g] lucem Angelis ſuis appoſiturus non eſſet, neq; Sanctis ſuis crediturus firmitatẽ; & cœlites non ſunt mundi in oculis ejus. Wiclefus ergo Sanctos affirmans eſſe rivum turbidum & remotum præ Deo, fonte puro, ac [h] propinquo omnibus invocantibus ipſum; tantóq; minus velle & poſſe apud Deum, quàm [i] vult & poteſt Chriſtus, quanto ſcurra inferior eſt [k] rege clementiſſimo & paratiſſimo ad juvandum; illuſtrat piis & aptis comparationibus duo fidei capita: alterum, [l] beneficia ad vitam pertinentia petenda non eſſe à Sanctis, ſed à Deo; alterum, non per Sanctos petenda ea, ſed per Chriſtum, qui meruit nobis omnia neceſſaria ad ſalutem. Quorum quum utrumque

[a] Apud Thomam Waldenſem, loco citato.

[b] 2. Samuelis, ſive Regum, ut ille inſcribit, cap. 6. ver. 20.

[c] In eum locum ſecundi Regum.

[d] Iob. 25. 6.

[e] Ier. 2. ver. 13.

[f] ver. 18.

[g] Iob. 4. 18. & 15. 15.

[h] Pſal. 145. 18.

[i] Rom. 5. 6. 1. Tim. 2. 5. 1. Ioh. 2. 1.

[k] Matt. 11. 27. & 21. 5.

[l] Eſai. 55. 1.

que orthodoxum sit, teste [a] Bellarmino : appâret ipsum facere quod sycophantarum proprium est; Wiclefum verò, quod est proprium hæreticorum, non feciſſe.

[a] De eccles. triumph. lib. 1. cap. 17.

3 Vigilantium autem impii belli Sanctis illati insimulat pluribus argumentis : sed quæ partim malè videtur Hieronymus è Vigilantio collegisse; partim Bellarminus ex Hieronymo pejùs. Etenim principio, quod Vigilantius [b] dixerat, *vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas Apostolorum & Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, & ubi voluerint, adesse præsentes* : id Hieronymus sic urget tanquam diceret Vigilantius, *eos usque ad diem iudicii tenêri custodia, nec esse cum Domino suo, cum Agno*; & [c] Bellarminus inde colligit Vigilantium affirmasse, *Sanctos nondum esse beatos*. Satis perversè, quum Vigilantius martyres non beatos modò, sed etiam *beatissimos* [d] ibidem appellârit. Nec multo saniùs Hieronymus, postquàm Vigilantii citaverat hæc verba, *Beatissimis martyribus, quos Agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore maiestatis suæ illustrat*, infert, *Vigilantium negasse martyres esse cum Agno*. Immò & (quod iniquius est) ex eo infert, quia scripserat *animas illorum vel in* [e] *sinu Abrahæ, vel in loco* [f] *refrigerii, vel* [g] *subter aram quievisse*: ex quo efficitur potiùs contrarium, quoniam [h] Abrahę sinus est in cœlo, ubi qui sunt, [i] cum Christo sunt; & subter aram quiescẽtibus [k] datę sunt stolæ albę, [l] quibus amicti stabant ante thronum, & in conspectu Agni. At enim Vigilantius negavit *illos posse adesse ubique præsentes*: unde colligit Hieronymus ipsum negasse *cum Agno illos esse, quia, qui cum Agno sunt, de illis scriptum est,*

[b] Apud. Hieron. adverſ. Vigilant. ca. 2.

[c] De eccles. triumph. lib. 1. cap. 1.

[d] Apud Hieron. adverſ. Vigilant. ca. 2.

[e] Luc. 16. 22.
[f] Sap. 4. 7.
[g] Apoc. 6 9.
[h] Matt. 8. 11.
[i] 2. Cor. 5. 8
[k] Apoc. 6. 11.
[l] Apoc. 7. 9.

eſt, [2] *Sequuntur Agnum quocunque vadit; & Agnus eſt ubique*. At pii deſcribuntur Agnum [1] ſequuti ſanctimonia vitæ, quocunque demum iret: ſequuti, non ut [b] Scriba, falſò pollicitus ſe ita ſequuturum, ſed ut [c] oves ſuum paſtorem ſequi ſolent, cujus vocem audiunt, obediúntq; ei, vel [d] ad mortem ducenti: ſequuti, quemadmodum [e] Auguſtinus explicat, *Quid eſt eum ſequi, niſi imitari? quia* [f] *Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum ut ſequamur veſtigia eius*: denique ſequuti (quod Auguſtinus addit) *non in quantum ille filius Dei eſt unus*, [g] *per quem facta ſunt omnia; ſed in quantum filius hominis quæ oportebat in ſe præbuit imitanda*. Agnus autem ubique eſt majeſtate gloriæ, [h] non quà filius hominis, ſed quà filius [i] Dei: itáq; etiam ibi eſt, quò [k] Sancti in cœlum recepti venire nequeunt. Quocirca Sanctos eſſe ubique, ſi cum Agno ſint, adeò vitioſè concludit Hieronymus, ut [l] Bellarminus afferens *veram ubiquitatem non modò non hominum, ſed nec Angelorum ſpiritibus convenire*, velit eum videri potiùs dixiſſe, *Sanctos mira quadam celeritate naturæ quodammodo eſſe ubique*. Pharmacum Hieronymi verbis alienum; qui non, *Quodammodo*, ait, ſed abſolutè & ſimpliciter: *Si Agnus ubique; ergo & hi, qui cum Agno ſunt, ubique eſſe credendi ſunt*. Id igitur ſimiliter elicit Hieronymus, atq; ex [m] Vigilantii percontatione, *an circumvolent cineres ſuos animæ Martyrum, ſempérq; ſint præſentes, ne fortè, ſi aliquis precator advenerit, abſentes audire non poſſint*; affirmat *ipſum ridere de reliquiis martyrum, eáq; hæreſi laborare, adverſus quam Tertullianus ſcribit Scorpiacum*: &, *Miror*, inquit, *quòd non dicas*,

[a] Apoc.14. 4.
[1] ὃ τοί ἐισιν οἱ ἀκολουθοῦντες: participio præteriti imperfecti temporis, ut ex antecedentibus ſequentibuſq; patet.
[b] Matt. 8.19.
[c] Ioh.10. ver. 4. & 27.
[d] Ioh.13.36. & 21.19.
[e] De ſancta virginit.ca.27.
[f] 1. Pet.2.21.
[g] Ioh.1.3.
[h] Matt. 28.6. Act.1.11. Auguſtin. epiſt. 57. ad Dardanum.
[i] Ier.23.24. Pſal.139.8.
[k] Luc.16.26.
[l] De eccleſ. triumph.lib. 1.cap.20.
[m] Apud Hieron.adverſ.Vigilant.cap.3.

dicas, nequaquam perpetranda martyria; quod quum dixeris, immò etsi non dixeris, ita habeberis quasi dixeris; qui enim reliquias martyrum asseris calcandas esse, prohibes sanguinem fundi, qui nullo honore dignus est. Ubi, licet agnoscat Vigilantium non dixisse, nequaquam subeundum esse martyrium; dixisse tamen colligit, quia sanguinem martyrum honore nullo censebat dignum: & hoc rursum colligit, quia reliquias martyrum calcandas asserebat, ac de illis ridebat: & hoc item colligit, quia negabat martyrum animas suis cineribus semper adesse, ut precatores audiant. Quo ex pronuntiato superiora consequi quoniam inficias ibit Bellarminus; quippe *Martyrum corpora varios in locos divisa esse* [a] notans; ut ubiquitatem eorum spiritibus convenire oporteat, si suis cineribus semper adsint: necesse est inficias eat Hieronymum de Vigilantii dictis rectè affirmare; *Etsi hoc non dixeris, ita habeberis quasi dixeris.* Ac mirifico sanè æstu Hieronymus, postquàm Vigilantium illius hæreseos accusasset, adversus quam Tertullianus Scorpiacum scribit, subtexit: *Miror quòd non dicas, nequaquam perpetranda martyria; Deum enim, qui sanguinem hircorum taurorumq; non quærat, multo magis hominum non requirere.* In quo perinde facit, acsi compellaret ipsum his verbis: Dicis martyria nequaquam perpetranda, & miror quòd non dicas nequaquam perpetranda martyria. Tertullianus enim scribit Scorpiacum adversus hæresin Gnosticorum, negantium martyria subeunda esse: & [b] illinc sumtum est argumentum quod Hieronymus adhibet. Hoc autem se vidisse quum indicet [c] Bellarminus; nec ad Gnosticos solùm, sed etiam ad Judæos & Samari-

[a] Bellarm. de eccl. triumph. lib. 2. cap. 4. ex Basilio, Theodoreto, & Chrysostomo.

[b] Tertull. Scorp. cap. 1. & ult.

[c] De eccles. triumph. lib. 2. cap. 1.

maritanos ab [a] Hieronymo revocatam hæreſis Vigilantii originem obſervet, quò eam revocandam non fuiſſe docet, utut excuſet Hieronymum: animadvertere debuit magnum illum virum, nimis affectibus ſuis indulgentem in exagitando Vigilantio, plus ex ejus verbis interdum extorquere, quàm ratio ferebat. Cujuſmodi ſine dubio eſt opinio iſta, quam Bellarminus locat in prima Vigilantii acie contra cœlites: animas Sanctorum cum Chriſto non eſſe, nec ante diem ultimi judicii beatas fore.

4 Deinde, *Fuit antiqua hæreſis Vigilantij apud Hieronymum, Sanctos non eſſe colendos*, ait [b] Bellarminus. Atqui hæc hæreſis, ſi hæreſis nominanda eſt; antiqua, fateor, quia [c] Dei, qui eſt [d] *antiquus dierum*; & hæreſis, ut [e] Conſtantinus Chriſtianam fidem [1] *Catholicam* & [2] *ſanctiſſimam hæreſin* appellavit: hæc, inquam, hæreſis Vigilantii non modò non damnatur ab Hieronymo, verùm etiam comprobatur. Quippe qui, [f] *Nos*, inquit, *non dico martyrum reliquias, ſed ne ſolem quidem, & lunam, non angelos, non archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur & in præſenti ſeculo, & in futuro, colimus & adoramus: ne ſerviamus creaturæ potiùs quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula.* Ac ad iſta porrò verba [g] Vigilantii, *Quid neceſſe eſt te tanto honore, non ſolùm honorare, ſed etiam adorare illud neſcio quid, quod in modico vaſculo tranſferendo colis?* reſpondet Hieronymus, *Quis, ô inſanum caput, aliquando martyres adoravit? quis hominem putavit Deum?* Quod poſtquàm è [h] Scripturis monſtraſſet nefas eſſe, *Et audes*, inquit, *dicere, Illud neſcio quid, quod in modico vaſculo*

[a] Epiſt. 53. ad Riparium.

[b] De eccleſ. triumph. lib. 1. cap. 11.

[c] Deut. 6. 13. Matt. 4. 10.

[d] Dan. 7. 22.

[e] Epiſt. ad Chreſt. epiſcop. Syracuſ. apud Euſeb. hiſt. eccleſ. lib. 10. cap. 5.

[1] Τῆς αἱρέσεως τῆς καθολικῆς.

[2] Τῇ ἁγιωτάτῃ αἱρέσει.

[f] Epiſt. 53. ad Ripar.

[g] Apud Hieron. adverſ. Vigilant. ca. 2.

[h] Act. 14. 13. & 10. 25.

lo

lo transferendo colis? Ita Hieronymus, non hoc in eo carpit, quòd Sanctos coli & adorari negasset oportere; alioqui seipsum carperet, atque adeò Apostolos, quos idem confirmantes citat: sed illud reprehendit, quòd innuisset esse qui Sanctos adorarent, & reliquias eorum colerent; quos ipse nullos esse asserit. Huic autem rei testimonium perhibet etiam Bellarminus, quando [a] pronuntiat *Vigilantium queri quòd Catholici verterint idola in Martyres*: ac Protestantes carpit ut ejus imitatores, quoniam affirmant *Papistas Ethnicorum in morem à variis Sanctis varia petere*. Nam Ethnici, à variis Diis petentes varia, unius Dei honorem communicabant multis: & idola pro numinibus habita quis nescit? Divinum igitur cultum Martyribus delatum queritur Vigilantius apud Hieronymum, Bellarmino teste. Nec id faciendum defendit Hieronymus, sed factum inficiatur. Proinde Hieronymus colendos Sanctos negat, quemadmodum colendos negabat Vigilantius. Interim, dicet quispiam, apparet Vigilantium ab Hieronymo accusari ut calumniatorem, in quem ita intonat: *Quis, ô insanum caput, aliquando Martyres adoravit?* Sanè. Sed hoc quoque acrius, quàm verius: sicuti [b] Gaudentius, episcopus Brixianus, Hieronymi æqualis docet; redarguens quorundam *idololatriam*, qui *parentalia mortuis suis sacrificabant*. Unde [c] Bellarminus, non ausus id negare, etsi, quantum ausus, in dubium revocans, dicit: *Fortasse pauci quidam mortuis sacrificabant, qui etiam meritò reprehenduntur; sed non propterea omnis cultus sacrarum reliquiarum abolendus est, quia nimius cultus iure reprehensus est*. Quocirca Bellarminum in eo non

[a] De eccl. triumph. lib. 2. cap. 10.

[b] Tractat. 4. in Exodum.

[c] De eccl. triumph. lib. 2. cap. 4.

vitupero, quòd nos ut imitatores Vigilantii notat: quandoquidem ipſi imitantur æqualium Vigilantii idololatriam, reprehenſione dignam. Ne illud quidem omni ex parte improbârim, quòd ſuos ex adverſo ſimiliter imitatores facit Hieronymi. Quum enim Hieronymus *conviciis planè ferreis verberet Vigilantium*, etiam [a] Villavincentii judicio, non [b] Hyperii tantùm, aut [c] Eraſmi: injurius ſim in Pontificios, ſi negem ipſos admodum prope ad Hieronymum iſta in re accedere. Ceterùm in eo non poſſum quin affirmem peccaſſe Bellarminum, quòd in Vigilantio condemnet tanquam hæreſin ex Hieronymi ore, Sanctos non colendos: quum uno ore ambo, Sanctos coli nefas eſſe, conſentiant.

[a] De rat. ſtud. theolog. lib. 4. cap. 6. obſervat. 7.

[b] Lib. eod. ca. 9. obſervat. eadem.

[c] Argument. in lib. Hieron. adverſ. Vigilant.

5 Poſtremò, *Vigilantius reliquias Sanctorum viliſſimum pulverem appellavit*, inquit [d] Bellarminus: *doluitq; Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proiici in ſterquilinium*. Et ex quibus, quæſo, ejus ſententiis deducit iſta Hieronymus, cui Bellarminus accepta refert? Ex [e] his duabus ſcilicet: *Quid neceſſe eſt te tanto honore, non ſolùm honorare, ſed etiam adorare illud neſcio quid, quod in modico vaſculo tranſferendo colis? Prope ritum Gentilium videmus ſub prætextu religionis introductum in eccleſias, ſole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & ubicunque pulviſculum neſcio quod, in modico vaſculo pretioſo linteamine circumdatum, oſculantes adorare*. Ubi, quoniam illud, cui honorem cultus & adorationis haberi queritur Vigilantius, appellat, *neſcio quid*, &, *pulviſculum neſcio quod*: ideirco Hieronymus, non affirmat quidem

[d] De eccleſ. triumph. lib. 2. cap. 3.

[e] Apud Hieron. adverſ. Vigilant. ca. 2.

quidem eum reliquias Sanctorum appellare pulverem viliſſimum, quod Bellarminus falſò tradit; ſed perinde exagitat, acſi appellaſſet. Quia verò dicit, *pulviſculum pretioſo linteamine circumdatum*: Hieronymus infert, *eum dolere Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proiici in ſterquilinium*. Verùm his aſperis & contumelioſis conſequutionibus, à nimis * acri & ſolerte ſermonis alieni interprete concinnatis, repugnant non obſcurè verba Vigilantii. Is enim interrogans ſuperſtitioſum reliquiarum cultorem, *cur honore tanto, non ſolùm honoraret, ſed etiam adoraret illud neſcio quid*: ſatis clarè indicat ſibi diſplicere, non quòd honorarentur Martyrum reliquiæ, ſed quòd tanto, id eſt, nimio honore adorarentur. Ita hac ex parte etiam idem prorſus cum [a] Hieronymo ſentit: qui, reliquias Martyrum adorandas negans, ſe honorare eas ait. Non igitur honeſtam commemorationem, aut honorem ſepulturæ, qualis [b] Stephano contigit, eorum corporibus, quos beatiſſimos Martyres vocat, denegavit: ſed nimium honorem, illis tanquam Ethnicis numinibus tributum, apta *pulviſculi* appellatione (qua cuncti homines vivi, non modò pauci mortui, notantur à [c] Propheta) minuendum cenſuit. Ac [d] poëta ſanè ingenioſus & diſertus haudquaquam ſe putavit contumelia afficere Achillis reliquias, quum de cremato cecinit;

Jam cinis eſt, & de tam magno reſtat Achille
Neſcio quid, parvã quod non bene compleat urnam:

ſed eas cum Achille ipſo collatas perexiguæ eſſe exiſtimationis, hac loquendi formula rectè ſignificare poſſe ſibi viſus eſt. Quanto rectius hoc ap-

* Δεινὸς ἀνὴρ τάχα καὶ καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο. Homer. Iliad. lib. 11.

[a] Epiſt. 53. ad Riparium.

[b] Act. 8. 2.

[c] Eſai. 40. 15.

[d] Ovid. Metamorph. lib. 12.

tare potuit Vigilantius ad reliquias hominum collatas cum Deo, cujus cultum illis deferri indignabatur? Præsertim quum in laudibus [a] Ezekiæ legisset, quòd serpentem æneum, opus Mosis, typum Christi, quum itidem coleretur, vocavit [1] *nehustan*: quæ dictio non minorem contemtum præ se fert, quàm *nescio quid*, aut, *pulviſculum*. Quanquam haud scio an Vigilantius, cum *pulviſculo* iterans *nescio quod*, notare eam quoque fraudem voluerit, quam in impostoribus circumferentibus *membra Martyrum, si tamen Martyrum*, perstrinxit [b] Augustinus. Quòd si non putasset Martyrum reliquias pretioso velamine tegendas, quum humantur: nequaquam ideo censuisset, quod infert Hieronymus, eas vel pannis, vel cilicio colligandas, vel in sterquilinium projiciendas esse. Christi enim corpus sepultum est [c] in horto, non in sterquilinio; neque colligatum cilicio, vel pannis, sed [d] involutum munda sindone, [e] linteisq; obvinctum: & tamen hæc fuerunt ita parvi pretii, [f] Hieronymo judice, ut simplex ejus sepultura condemnet ambitionem divitum, qui nec in tumulis quidem possunt carere [g] pretiosis linteis. Ac [h] Bellarminus è [i] Chrysostomo tributi abusui, quòd divites pretiosis vestibus induti sepeliri solent: quòs tamen in cilicio, pannis, sterquilinio humari nec Chrysostomus, nec Bellarminus jubet. Quapropter Hieronymus isto quoque modo perinde se gessisset, ac ille quem [k] Horatius, quia, quum à sordibus & avaritia revocaretur, quærebat, Num ergo prodigus & luxuriosus ero? hoc responso excipit:

Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere. Non ego, avarum

Quum

[a] 2. Reg. 18. 4.

[1] Diminutivo à נחש, quod significat *æs*. Pagninus reddit *ænulum*; Marcus Marinus *æniculum*: hoc est, parum quid æris, æs nullius pretii. Thesaur. ling. sanct.

[b] De opere monachor. cap 28.

[c] Ioh. 19. 41.

[d] Matt. 27. 59.

[e] Ioh. 19. 40.

[f] Comment. in Matthæi cap. 27.

[g] Augustin. in psalm. 48. concion. 2.

[h] De purgator. lib. 2. cap. 19.

[i] Homil. 84. in Iohann.

[k] Satyrar. lib. 2. sat. 1.

Quum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.
Est inter Tanaim quiddam, socerúmq; Viselli.

Verùm reliquias pretioso velamine tectas adorari; non sepeliri, sed in modico vasculo transferendo adorari, & coli; hoc Vigilantius improbavit: & quod vix [a] reliquiis Thesei aut Demetrii factum est à Græcis, id à Christianis Gentilium prope ritu pulvisculo nescio cui sub religionis prætextu fieri doluit. Quum igitur tegumenti pretiosi meminerit tanquam illecebræ ad idololatriam; ut Judæis [b] Dominus exprobrat excelsa latis maculis interstincta, & imagines versicoloribus vestibus opertas: laudandus est potiùs ob pietatem erga Deum, quàm impietatis in Sanctos arguendus, quòd reliquias eorum tanto honore adorari noluit. Nec verò quicquam aliud affert Bellarminus, quo Vigilantius impii belli cœlitibus illati convincatur. Proinde laudabiliùs [c] Magdeburgenses narrant *Vigilantium ab* [d] *Hieronymo sanctum presbyterum dictum esse*, quod & [e] Baronius fatetur, utut aliter postea de eo sensit Hieronymus: quàm [f] Bellarminus candidam Magdeburgensium censuram reprehendit, & Christianum Christianæ ecclesiæ pastorem ex festinata *unius noctis* ([g] autore ipso teste) *lucubratiuncula* perditissimis cœlitum oppugnatoribus accenset.

[a] Plutarch. in vit. Thesei & Demetr.

[b] Ezek. 16. 16.

[c] Cent. 4. c. 10.

[d] Epist. 13. ad Paulinum.

[e] Annal. eccl. tom. 5. anno Dom. 406.

[f] De eccles. triumph. lib. 1. cap. 16.

[g] Hieron. adverss. Vigilant. cap. 6.

6 Veruntamen habet aliquam excusationem, si minùs justam, at probabilem ignominiosæ istius notæ Vigilantio & Wiclefo inustæ: quoniam Hieronymus & Waldensis eos ita tractaverunt, ut in diuturna hæserint infamia. Sed Porphyrii, sed Juliani, sed omnium, qui unquam impia cum cœliti-

bus bella geſſerunt, nos imitatores eſſe: quam vel minimam ſpeciem probabilitatis obtendere pro ſeipſo poteſt, cur diceret? Porphyrius in [a] Deum, in [b] Chriſtum irruens furenter, tanquam rabidus canis, amanuenſes Spiritus ſancti, [c] Danielem & [d] Matthæum, nefariè calumniatus eſt ſcripſiſſe falſa. Quid ſimile à nobis, quos *Lutheranos* vocat Loiolanus iſte, & quidem multo addictior Loiolæ, quàm nos Luthero; ſed quid à nobis ſimile factum eſt? Immò, quid non diſſimile? Sicut [e] proteſtatio, ex qua *Proteſtantium* nomen ortum habuit; ſicut [f] Harmonia confeſſionum fidei noſtræ; ſicut commentarii à noſtris editi in Scripturas, in omnes Propheticos & Apoſtolicos libros; ſicut denique [g] Bellarminus ipſe Porphyrii hæreſin commemorans, neque nos illius inſimulans, ſatis arguit.

7 [h] Eandem inſaniam inſaniebat Julianus: præſertim [i] contra Evangelia. Ubi quum neque [k] Bellarminus auſus ſit ei nos adjungere; quod tamen per quemcunque colorem facit cupidiſſimè: cur objicit nobis Juliani imitationem? Nimirum, [l] inquit, *Magdeburgenſes, Calvinus, & alij aſſerunt Catholicos in Sanctis invocandis ſequi Ethnicum ritum & ſuperſtitionem, quia unum Sanctum invocant contra peſtem; alium, contra oculorum dolorem; alium, contra dentium. At hæc antiqua eſt querimonia Juliani Apoſtatæ apud Cyrillum libro ſexto in Julianum. Is enim queritur quòd Catholici idola verterint in Martyres, & eos ſimilibus votis colant. Calvinus ergo & Magdeburgenſes ſunt imitatores Juliani.* Argutè. Acſi quiſpiam è Jeſuitarum [m] patribus, tempore Joſiæ, adverſùs Jeremiam ratiocinatus eſſet hunc in modum. [n] Jeremias ait Judæos habe-

[a] Hieron. ad Cteſiphont. adverſ. Pelag. cap. 4.
[b] Idem catalog. ſcript. eccleſiaſt. proœm.
[c] Idem præfat. comment. in Dan.
[d] Idem comment. in Dan. cap. 1.
[e] Sleidan. comment. li. 6.
[f] Sect. 1. & 2.
[g] De verbo Dei, lib. 1. ca. 5.
[h] Hieron. catalog. ſcript. eccle. proœm. & comment. in Oſe. prophet. cap. 11. Cyrill. contr. Julian.
[i] Cyrill. præfat. operis ejus, ad Theodoſ. Imper.
[k] De verbo Dei, lib. 1. ca. 6.
[l] De eccleſ. triumph. li. 1. cap. 20.
[m] Ier. 18. 18.
[n] Ier. 7. ver. 8.

habere fiduciam in verbis falsis, dum [a] inculcant mentionem templi Jehovæ. At hæc antiqua est querimonia Pharaonis apud Mosen, Exodi capite quinto. Is enim queritur quòd Judæi [b] verbis falsis attenderint, quum [c] Mosi & Aaroni ipsos ex Ægypto ad sacrificandum Jehovę Deo suo vocantibus auscultarent. Ergo Jeremias est imitator Pharaonis. Hanccine conclusionem approbant Papistæ? Oportet: nisi illam argumentationem Bellarmini improbent. Nam ut Jeremias id objecit meritò Judæis sui temporis, quod immeritò priscis Judæis objecit Pharao: sic nostri Catholicis (ut se appellant) recentibus jure vitio vertunt, quod injuriosè antiquis Catholicis à Juliano culpæ datum est. Conferantur inter sese utrorumque facta vel in uno eorum quæ proposita sunt: res patebit. Papistæ invocant quendam Sanctum contra pestem. Quis is est? Rochus. De quo [d] Baronius narrat *decrevisse patres concilij Constantiensis, ut, ad propulsandam ingruentem urbi Constantiensi luem, non imago tantùm eius à clero, comitante omni populo, per urbem solenni pompa deferretur; sed impenderentur ei etiam ceteri honores Sanctis debiti: quo facto, quia pestis illa mox evanuit, inde exemplum*, inquit, *sumtum est, ut ubique locorum eius venerandæ imagines, altaria, sacella, ac denique templa erecta fuerint*. Iam verò in honoribus, quos impensos ei memorat Baronius, præsertim additis altaribus, comprehenditur Missa, atque invocatio, [e] his verbis concipi solita:

Tu, qui Deo es tam carus,
Et in luce valde clarus,

[a] ver. 4.
[b] Exod. 5. v. 9.
[c] ver. 3.
[d] Notat. in Martyrolog. Rom. Aug. 16.
[e] Missal. & breviar. Sarisbur. in Missa de S. Rocho.

Sana tuos famulos:
Et à peſte nos defende,
Opem nobis ac impende
Contra morbi ſtimulos.

Aut, ſi aliis forſan verbis invocari conſuevit apud exteros, quàm apud noſtrates; quanquam, ut *Miſſæ de Sancto Rocho* titulus communis nobis cum [a] illis fuit, ita & hoc canticum fuiſſe veriſimile eſt: ſed quibuſcunque verbis, invocatum certè à Pontificiis contra peſtem teſtatur item fabula, à [b] noſtratibus [c] exteriſq; in publicis precibus celebrata; *Deum* nempe *Rocho per Angelum promiſiſſe, ut, qui ipſum invocarent, à peſte liberarentur*. Quo in creaturæ cultu ſimiliter ſe omnino gerunt, ac [d] Gentiles olim Æſculapium contra peſtem implorantes: niſi fortè hoc ſit diſcriminis, quòd illi Æſculapium in [e] omnibus morbis adierunt, etiam oculorum & dentium dolore; Papiſtæ autem [f] Raphaëli committunt oculos ſanandos, [g] Apolloniæ dentes, & Rochum peſti reſervant. Quid igitur? An Juliani tempore eundem in modum imploraverunt Rochum Chriſtiani? At vix mille demum annis poſt Julianum mortuum [h] Rochus natus eſt. At nónne tum in uſu fuit ſaltem [i] *Miſſa de Sancto Sebaſtiano*, [k] qui adverſus peſtem invocabatur ante Rochum? Non. Ne illum quidem, aut aliam ullam creaturam honore tanto coluit Eccleſia ſub Juliano. Quam ad rem firmandam quid opus eſt adhibere ſplendidiſſimum ejus ætatis lumen [l] Athanaſium, alióſq; Patres?

[a] Miſſal. ad uſum Romæ & Lauſannæ. Petr. Viret. de cœna Dom. & de Miſſa, lib. 3. cap. 2.
[b] Miſſal. & breviar. Pariſb. in Miſſa de S. Rocho.
[c] Ord. eccleſ. Hildeſheim. apud Kemnic. exam. Conc. Trid. part. 3.
[d] Liv. lib. 10. epit. lib. 11. & lib. 40.
[e] Orph. hymn. in Æſculap. Plaut. Curc. act. 2. Pauſan. Corinth. Lacon. & Achaic. Tabell. marm. in fano Æſculap. Romæ. Smet. lib. antiquar. inſcript. quæ paſſim per Europam, ord. 2. fol. 29. inſcript. 1.
[f] Alan. Cop. dialog. 3. cap. 29. [g] Kemnic. exam. Conc. Trid. part. 3. cap. de invocat. Sanctor. & part. 4. cap. de reliqu. Sanct. [h] Circa annum Dom. 1300. Albert. Krantz. metrop. lib. 9. ca. 25. [i] Miſſal. ad uſum Romæ & Lauſannæ. Viret. de cœna Dom. & Miſſ. li. 3. ca. 2. [k] Baron. Notat. in Martyrolog. Rom. Ianuar. 20. [l] Orat. 2. contr. Arianos.

tres?

tres? quum [a] Julianus ipse declaret se propterea dixisse homines mortuos à Christianis pro Diis coli, quòd apud monumenta & sepulcra Martyrum prostrati Deum invocarent. Nam etsi, quia pii Martyrum *sepulcris advolvebantur*, uti loquitur impius Apostata, Martyres ab illis adoratos colligit; hoc quoque per calumniam, ut [b] Cyrillus docet, respondens *Deum solum à Christianis coli atque adorari*: tamen invocatos Martyres tantum abest ut asseverârit, ut disertè potiùs negârit, percontando, *Quomodo apud illa invocatis Deum?* Atque Bellarminus ad eum accomodans, quod [c] Faustus Manichæus Catholicis objecit, scilicet, *Idola vertistis in Martyres, quos votis similibus colitis*, videtur sibi fraudis conscius fuisse commemoratione *similium votorum*: alioqui hujus rei mentionem facturus [d] antè speciatim contra Calvinum, asserentem *Sanctos planè ut Deos à Pontificiis invocari*; quo tamen loco regerens *istam esse veterem calumniam Juliani*, generatim tantùm * divini cultus meminit, [e] Cyrillo, ut distinctiùs accuratiúsq;, sic fideliùs citato. Adeò manifestum est Julianum injuria Catholicos arguisse levioris tanquam ingressus in eam culpam, in qua ampliores factos progressus nos Pseudocatholicis jure exprobramus.

[a] Apud Cyrillum, contr. Julian. lib. 10.

[b] Contr. Julian. lib. 6. & 10.

[c] Apud Augustin. contr. Faust. Manich. lib. 20. cap. 4.

[d] De eccles. triumph. lib. 1. cap. 16.

* *Homines mortuos pro Diis Catholicos habere.*

[e] *Lib. 6. in Julianum, ultra medium: & lib. 10. ante medium.*

8 An verò non & Fausto item Manichæo, Judæísq;, ac Gentilibus, quos inprimis è ceteris oppugnatoribus cœlitum ad superiores aggregat [f] Bellarminus, eadem ratione qua Juliano comparamur? Nam Fausti adversarius S. [g] Augustinus ostendit Catholicos non coluisse Martyres aut ullam creatu-

[f] De eccles. triumph. lib. 1. cap. 16. & 20.

[g] Contra Faust. Man. lib. 20. cap. 21.

creaturam *votis ſimilibus* atque [a] Æſculapium coluerunt Ethnici: quippe *ad latriam uni Deo debitam* [b] *ea pertinere*; & [c] *nominatos quidem fuiſſe Martyres à ſacerdote Chriſtianum Deo ſacrificium offerente, non tamen invocatos.* Atqui Papiſtarum ſacrificuli invocant, non tantùm nominant, Martyres, & alias creaturas; etiam in novo Miſſali Pii Quinti; dicendo, [d] *Dei genitrix, intercede pro nobis:* [e] *Sancte Michael Archangele defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo iudicio:*

[f] *Solve iubente Deo terrarum Petre catenas,*
Qui facis ut pateant cœleſtia regna beatis.

Judæos porrò & Gentiles, [g] qui ſuſpectos reddere volebant Chriſtianos, tanquam Martyres colerent atque adorarent, injurioſè egiſſe declaraverunt [h] Chriſtiani: *ſe* enim, *ut par erat, Martyres diligere, propter ſummam eorum benevolentiam erga Dominum; ſed neminem niſi Deum adorare & colere.* A Romana autem Eccleſia coluntur & adorantur Martyres, non diliguntur modò: ut honor publicè habitus eorum ſpiritibus, & reliquiis, quorum [i] alteri invocantur, [k] alteris adoletur incenſum, argumento eſt.

9 Proinde, quum exemplis Porphyrii, Juliani, & aliorum qui nefariè Sanctos oppugnarunt, noſtrum tam diſſimile ſit, quàm eſt æquum iniquo, rectum pravo: non debuit Bellarminus accuſationem talem concludere fabula *gigantum, de ſuis ſedibus cœlites deturbare volentium*; ſed [l] Autolyci potiùs, qui *ad omne furtum ingenioſus*, ut Jeſuita, *Candida de nigris, & de candentibus atra facere aſſueverat.* Nam fabula concludendam præfationem tam fabuloſam optimè

[a] De civit. Dei, lib. 3. cap. 17. & lib. 8. cap. 26.
[b] Ibid. lib. 10. cap. 4. & 5.
[c] Ibid. lib. 22. cap. 10.
[d] Miſſa votiva de S. Maria. A Nativit. uſque ad Paſcha: & à Pentecoſt. uſque ad Advent.
[e] Propr. Miſſar. de Sanctis. In feſto apparit. S. Mich. Archāg. & feſto dedicat. eiuſdem.
[f] In feſto S. Petri ad vincula.
[g] Euſeb. hiſt. eccleſ. lib. 4. cap. 15. & lib. 8. cap. 6.
[h] Eccl. Smyrn. epiſt. apud Euſeb. hiſt. lib. 4. cap. 15.
[i] Breviar. Rom. in feſto S. Andr. & comm. Sanctor. in nat. Apoſt. hymn. *Exultet cœlum.*
[k] Miſſal. Rom. tit. de ritu ſervand. in celebr. Miſſ.
[l] Ovid. Metamorph. lib. 11.

timè judicavit. Ceterùm *gigantas* [a] Diodorus Siculus, qui poëtarum fabulas ad hiſtoriam revocat, ex Timæo tradit *fuiſſe gentem impiam* * *Phlegræos in Italia campos incolentem: quæ ideo æſtimata eſt Deos pellere de cæleſti ſede voluiſſe, quia negabat Deos*, inquit [b] Macrobius. Quocirca ſi ad eum oculos reflectere vellet Bellarminus, qui à [c] Jovio vocatur *irriſor & atheos:* domi inveniret multo digniores notari fabula gigantum, quàm inter Proteſtantes & reformatarum Eccleſiarum doctores. Quin immò [d] Ærodius, ſe Catholicum æquè ac Jeſuita profitens, affirmat è [c] Plutarcho *nullum eſſe maius athei indicium irreverentia in parentes*. Qua quum ſuum filium, ſurreptum à Jeſuitis, eorum magiſterio imbutum eſſe doceat: ecce, quanto propiùs, magno inter ipſos juriſconſulto judice, gigantum imitatores in ſinu habet Bellarminus? Tametſi, quòd nos confert hominibus à quibus Dii oppugnabantur, ex parte facit non iniquè: ſiquidem Papiſtæ Deorum inſtar Sanctos colunt. Verùm quòd *cælites deturbari* ait *è ſuis ſedibus à nobis*, qui è Dei tantùm throno creaturas omnes deturbamus, è ſua ſede neminem: hæc fabula eſt, non poëtica, ſolerter ad impietatem caſtigandam ficta; ſed Papiſtica, impudenter ad conflandum piis odium aſſerta. Id ex compluribus actibus hujus fabulæ, quos in diverſas ſcenas diſtributos Bellarminus variis diſputationis ſuæ de Eccleſia triumphante locis conſpiciendos proponit, reſtat ut ſequentibus capitibus planum faciam. Ita nos primò patebit *Athanaſii, Auguſtini, Gregorii*, & aliorum fidelium prudentiúmq; ſervorum Dei, imitatores eſſe; ut certò confidamus, quorum ſequimur pietatem,

[a] Biblioth. hiſt. lib. 4.

* *Sparſaq; Phlegræis victricia fulmina campis.* Ovid. Metamorphoſ. lib. 10.

[b] Saturnal. lib. 1. cap. 20.

[c] Elog doctor. viror. cap. 87. de *Nicolao Machiavello.*

[d] De patrio iure, ad filium Pſeudoieſuitam.

[c] De fraterno amore.

tatem, eorum gloriæ conſortes fore: deinde, Papiſtas idololatrarum *Gentilium* & *Judæorum* veſtigiis inhærere; quibus caligo tenebrarum in æternum ſervata eſt.

CAP. VII.

Proteſtantes falſò à Bellarmino accuſari, quaſi negent Sanctorum mortuorum ſpiritus aſpectu Dei in cœlo frui. Papiſtas autem huius erroris verè argui. §. 7. &c.

[a] Ioh. 14. ver. 1. & 7.

[b] 1. Cor. 13. 12.

[c] 2. Cor. 5. 8. Phil. 1. 23.

[d] Luc. 23. 43.

[e] 2. Cor. 12. ver. 2. & 4.

[f] 2. Cor. 5. 7.

[g] De eccleſ. triumph. lib. 1. cap. 1.

[h] Ibid. cap. 2.

Sancti, quibus Deus, [a] in ipſum credentibus, cõſpiciendum quidem fide ſe proponit dum in terreſtribus domiciliis degunt, ſed [b] conſpiciendum per ſpeculum, & per ænigma, non facie ad faciem: ſimulatque migrant è corporum tabernaculis, [c] cum Chriſto ſunt [d] in paradiſo, id eſt, [e] in cœlo; ubi [f] per aſpectum incedunt, non per fidem, & glorioſa Dei præſentia fruuntur, ut Scripturæ docent. Fuerunt hæretici, qui hanc beatitudinem Sanctis ante diem ultimi judicii non obventuram contenderent. Iſtorum autem numerum ut augeat [g] Bellarminus, *Eundem*, inquit, *errorem habet Lutherus, prælectionibus in Geneſin, ut Fridericus Staphylus citat in epitome trimembri Lutheranæ theologiæ: eundem habet etiam Johannes Calvinus in Inſtitutione*; & [h] *pertinaciter defendit, animas non videre Deum:*

Deum: eundem item [a] *Calvinistæ, qui nolunt Sanctos per martyrium è mundo proficiscentes ad Deum ire, sed ad inferos, aut ad alium locum extra cælum, ubi non magis Deus est, quàm hîc nobiscum*; [b] *nec eos ante diem iudicij Deum videre putant*. Quæ cuncta de Luthero, Calvino, & Calvinistis, ita per mendacia fraudibus implicata effert Jesuita: ut iustissimam nobis causam subministret orandi cum Propheta; [c] *Jehova, eripe me à labio falso, à lingua dolosa*.

[a] Ibid. cap. 4.
[b] Ibid. cap. 20.
[c] Psal. 120. 2.

2 Etenim Lutherus, prælectionibus in Genesin, errorem eum non habet. Immò contrarium planè [d] ibi adstruit, partim ex Esaiæ pronuntiato, [e] *iustos pacem ingredi*: partim ex Christi verbis ad latronem, [f] *Hodie mecum eris in paradiso*. Nam posteaquàm *iustos nec infernum ingredi nec purgatorium, sed pacem*, affirmasset: errorem *Papistarum, infantes non baptizatos negantium in inferno esse, & Dei tamen visione carere dicentium*, redarguit his verbis; *Privari visione divina est ipse infernus*. Unde liquidò patet iustos ex Lutheri sententia videre Deum: quandoquidem infernum eos ingredi negat. Porrò *iustos omnes, quum è vivis excedunt, ad Christum migrare* ait, *ac in eius sinum, id est, in paradisum recipi*. Ubi quoniam addit *cælum idem esse atque paradisum*: perspicuè ostendit iustos non in alio loco extra cœlum, sed in cœlo à se locari. Itaque, falsò traditur Lutherus prælectionibus in Genesin affirmare, Sanctorum animas nondum, nisi post resurrectionem, posse frui cœlesti patria & conspectu Dei. Quid ad me? excipiet forsitã Bellarminus; ego sat sciebam hoc in illo libro Lutheri non haberi:

[d] Prælect. in Genes. cap. 25.
[e] Esai. 57. 6.
[f] Luc. 23. 43.

ob

ob cámq; cauſam, nec certum caput libri, quemadmodum ſoleo, notabam; & ſubjiciebam, *ut* [a] *Fridericus Staphylus citat*: qui ſi officioſè catholicæ fidei zelo mentiendum cenſuit, peccatum quidem veniale eſt, ſed ipſius, non meum: nos, quæcunque faciunt ad Lutheranorum odium, libenter undecunque conquirimus, & objicimus; verè an falſò ſcripta ſint, à teſtibus fide dignis an ſycophantis, haud laboramus. Omnino iſta mente videtur Jeſuita Friderici Staphyli citationem intexendo caviſſe ſibi ipſi: vir digniſsimus (nonne?) quicum in tenebris mices. Namque in ſpeciem, præſertim nimis credulis lectoribus, hoc dicit: *Errorem habet Lutherus prælectionibus in Geneſin, ut Fridericus Staphylus, illius verba citans, indicat.* Re autem vera diligentiùs inquirentibus ait: Staphylus de Lutheri prælectionibus in Geneſin mentitur; ſed mendacium commodè faciens pro nobis; & fidem inventurum, ſi ex eo citemus cautè; quis enim tantum opus Lutheri evolvet, ut redarguat? Præclaro documento quàm cunctanter fides adhibenda ſit, vel aſſenſio potiùs prudenter cohibenda ab iis quæ Pontificii de noſtris aſſeverant. Etenim, ſi Staphylus, Regis Romanorum (ut ſe inſcribit) Conſiliarius, tam inverecundè mentiri auſus eſt: quid non auſuros putas eſurientes Græculos, Bolſecos, Surios, Genebrardos? Si falſa prædicare de ſcriptis, de operibus excuſis, non verentur, in quibus vanitatis ex evidentia rei facilè convincuntur: quid reformidabunt de factis, aut dictis; quorum vel perpauci, vel nulli teſtes ſunt? Si libellum plenum talibus calumniis, immò tætrioribus, cujuſmodi

[a] *In epitome trimembri Lutheranæ theologiæ*: part. 2.

Me-

[a] Melanchthon ſummatim plurimas perſtringit, appellat tamen [b] Poſſevinus *utiliſsimum*, [c] *aureum*, tanquam florem eorum autorum quos in ſcholis lectitari cupit: quod virus, quæ venena, quas peſtes mendaciorum inſtillari teneris adoleſcentium animis in reliquis ſentinis, quas exhauriendas ſuis Jeſuitæ commendant, eſt credibile?

[a] Reſponſ. ad criminationes Staphyli.
[b] Biblioth. ſelect. lib. 4. ca. 8.
[c] Ibid. lib. 7. cap. 4.

3 At enim *Calvinum* Bellarminus ait *habere eum errorem in Inſtitutione*, non ut Staphylus citat, ſed ut è *Calvino* ipſo apparet. Sanè; idq; tribus è Calvini locis confirmare nititur: ſed æquè veraciter, ac Staphylus è Luthero. Nam primò, quod [d] Calvinus, oſtendens Chriſtum [e] unici mediatoris noſtri & [f] advocati apud Patrem munere perfungi, enuntiat his verbis; *Chriſtus ſanctuarium cæli ingreſſus, ad conſummationem uſque ſeculorum ſolus populi eminus in atrio reſidentis vota ad Deum defert*: ex eo Bellarminus confectum opinatur, *Sanctos omnes cælo excludi à Calvino, & Chriſtum ſolum intromitti*; calumnia alieniſſima à mente Calvini. Quippe qui alludens ad id quod [g] antè dixerat, *Deum propterea in* [h] *Lege inſtituiſſe ut ſolus ſacerdos ſanctuarium ingrediens geſtaret in humeris nomina tribuum Iſrael, & totidem ante pectus lapides pretioſos, populus autem procul ſtaret in atrio, atque inde vota ſua coniungeret cum ſacerdote, quò umbratili illa Legis ceremonia doceret arceri nos omnes à facie Dei, ideóq; mediatore opus eſſe qui nomine noſtro appareat, nóſq; geſtet in humeris, & pectori alligatos teneat, ut in eius perſona exaudiamur; quin etiam ſacrificium eôdem valuiſſe ut ratæ eſſent ac firmæ preces, quò admoneremur preces mundari aſperſione ſanguinis, alioquì*

[d] Inſtitut. li. 3. cap. 20. §. 20.
[e] 1. Tim. 2. 5.
[f] 1. Ioh. 2. 1.
[g] Ibid §. 18.
[h] Exod. 28. ver. 9. 12. & 21.

alioqui nunquam ſordibus vacuas eſſe, ſicut [a] *declaraverat*: Calvinus, inquam, huc alludens, ſignificat ſolum [b] Chriſtum ita ingreſſum eſſe in cœlum tanquam in ſanctuarium, ut compareat faciei Dei pro nobis; & eccleſiæ totius, tanquam populi eminus in atrio reſidentis, preces ei gratas acceptáſq; reddere. Quòd ſi hinc ſit conſequens, ut Bellarminus colligit, Sanctos à Calvino è cœlo excludi, quoniam excluduntur è ſanctuario cœli: conſequens erit ergo [c] non patuiſſe populo aditum in templum, quia non patuit in ſanctuarium templi. Aut, ſi fateatur [d] populum, etiam [e] fœminas, etiam [f] publicanos, in templum aſcendiſſe, qui in [g] atrium tamen ſolum ſunt admiſſi: agnoſcat igitur Sanctos hoc prærogativæ Chriſti elogio è cœlo non excludi. Ceteroqui maculam, quam Calvinus contrahit è *cæli ſanctuario*, è *ſecretis* item *cælorum* contrahet [h] Auguſtinus. Is enim ſoli Chriſto eundem typum accommodans, *Tunc ſacerdos*, inquit, *ſolus intrabat in ſancta ſanctorum; populus autem ſtabat foris: ſicut nunc Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam intravit in ſecreta cælorum, ut ad dexteram Patris interpellet pro nobis; populus autem, cuius ille ſacerdos eſt, adhuc foris gemit*. Sed utut Bellarminus iſtîc judicaturus ſit de Auguſtino, quem [i] aliàs ab hac labe vindicat: Calvino certè manifeſtam facit injuriam, cui pro his verbis, *Chriſtum ſolum ingreſſum in ſanctuarium cæli*, [k] adſcribit hæc, *ſolum Chriſtum eſſe in cælo*. Quæ à Calvino inter ſe diſtingui, vel inde animadvertere & obſervare debuit, quòd in cœlum Sanctos ab illo intromitti ſciebat & tradiderat ipſe. Nam, [l] *Siquis*, inquit, *petat à Calvino ubi fuerint ante Chriſti mortem animæ iuſtorum: reſpondet fuiſſe in*

[a] Ibid. §. 9.

[b] Heb. 9. 24.

[c] Luc. 1. 10.

[d] Luc. 20. 1.
[e] Luc. 2. 37.
[f] Luc. 18. 10.
[g] 2. Chr. 4. 9. Ioſeph. contr. Apion. lib. 2.

[h] Contr. epiſt. Parmen. lib. 2. cap. 7.

[i] De eccl. triumph. lib. 1. cap. 5.

[k] Bellarm. de Rom. Pont. lib. 4. cap. 14.

[l] Bellarm. de Chriſto. lib. 4. cap. 9.

in cœlo, licet nec viderint Deum, nec sint visuræ usque ad diem iudicij. Ita Calvinus in psychopannychia. O magnam vim veritatis, quæ vel mendacissimis aliquam extorquet confessionem sui. Calvinus in psychopannychia, differens de quiete justorum in sinu Abrahæ, ait *illam esse cælestem Jerusalem, hoc est, visionem pacis, in qua Deus pacis dat se videndum suis pacificis iuxta* [a] *Christi promissum*. Itaque antiquum obtinet Bellarminus, quum asserit Calvinum ibi negare animas justorum videre Deum. Verùm, quod adjungit, eas in cœlo ab ipso collocari, declarat aliud esse apud Calvinum è sanctuario cœli excludi, aliud è cœlo.

[a] Matt. 5. ver. 8. & 9.

4 Secundò, quia *Sanctos mortuos una fide nobiscum coniunctos esse* [b] Calvinus ait, infert Bellarminus *negari eos videre Deum: nam ubi fides est*, inquit, *ibi certè non est visio*. Quæ ratio germana est superioris, fuco & fallacia. Calvinus enim [c] postea, id ipsum aliis verbis efferens, ait *Sanctos mortuos eandem pietatem nobiscum colere*. Unde nomen *fidei* videtur usurpasse quo sensu adversatur [d] perfidiæ & officii violationi, non quo [e] visioni aspectuiq; opponitur. Quanquam, ut hoc sensu Calvinum ea voce usum largiamur: [f] Bellarminus asserit, *Sanctos, si de gloria corporis intelligas, rectè dici posse sperare futuram gloriam*. Ubi autem spes est, ibi non est visio: [g] *quod enim videt quis, cur speret?* Quid? Agnoscet igitur se navim similiter, atque Calvinum, ad scopulum affixisse? An, ut sua verba de spe, quam nobiscum simul habent Sancti mortui, defendat: una quoque fide nobiscum aliquatenùs conjunctos esse concedet? Quum præsertim *fides* sit, [h] Apostolo teste, *substantia eorum*

[b] Institut. li. 3. cap. 20. §. 24.

[c] Lib. eod. cap. 25. §. 6.

[d] Matt. 23. 23.

[e] 2. Cor. 5. 7.

[f] De eccles. triumph. lib. 1. cap. 4.

[g] Rom. 8. 24.

[h] Heb. 11. 1.

quæ ſperantur : nec majorem ſpei locum in futura vita, quàm fidei, relinquat Papiſtarum Homerus [a] Thomas Aquinas; [b] fortaſſe etiam minorem. Quòd ſi Bellarminus ob Calvini odium ſibi ipſi notam erroris inuri malit, quàm illi non inuri: Calvinum tamen ſua rei explicatio apud æquos judices ab hac calumnia liberabit. Namque [c] is affirmat *Sanctos mortuos totos animo & aſpectu in Deo hærere; deeſſe tamen adhuc quiddam, quod videre cupiant, ſupremam nempe Dei gloriam implendam die iudicij, quando* [d] *ſatiabuntur aſpectu vultus Dei*: [e] *nec manere à morte fidem, quam* [f] *Apoſtolus aſpectui opponit; ſed tantùm ad id uſque temporis durare, quo peregrinamur à Domino*. Unde liquidò patet eum neque Sanctos mortuos ſic dixiſſe nobiſcum fide conjunctos, quin ipſos Dei aſpectu frui ſentiret: ac rectè potuiſſe conjunctos fide prædicare, quatenus adhuc ſupereſt quiddam quod non vident, & interim, dum [g] non vident, credunt.

[a] In 1ª 2æ. quæſt. 67. art. 4. & 2ª 2æ. quæſt. 18. art. 2.
[b] In 1ª 2æ. quæſt. 67. art. 5.
[c] Calvin. in pſychopannychia.
[d] Pſal. 17. 15.
[e] Calvin. comment. in 1. epiſt. ad Cor. cap. 13.
[f] 2. Cor. 5. 7.
[g] Heb. 11. 1.

5 Tertiò [h] *Calvinus*, ſicut ejus verba à Bellarmino recitantur, *Stultum*, inquit, *& temerarium eſt inquirere quo in loco ſint animæ iuſtorum, & an gloria fruantur, nécne. Interea quum Scriptura ubique iubeat pendêre ab exſpectatione adventus Chriſti, & gloriam, ac coronam eouſque differat, contenti ſimus his finibus divinitus præſcriptis: animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ exſpectant*. Quibus recitatis hæc ſubdit Bellarminus: *Nota miram ſtultitiam hominis, qui dicit ſtultum & temerarium eſſe quærere, utrùm animæ iuſtorum gloria fruantur, nécne: & ipſe tamen*

[h] Inſtitut. li. 3. cap. 25. § 6.

men audacter definit eas nondum frui gloria, ſed eam exſpectare. Ego verò contrà de Bellarmino moneo: Nota miram improbitatem hominis, ſi tamen hominis; aut ſi ulla improbitas miranda ſit in Jeſuita: qui, ut imperitis perſuadeat Calvinum ſtolidè ſcripſiſſe, ejus verba perfidè mutilat ac depravat. Nam [a] Pontificii quidam theologi è Schola, curioſis & vanis ſpeculationibus ineptè ſe torquentes, quærunt quali gloria perfruantur animæ Sanctorum in cœlo, & quod cœlum occupent: nónne cœlum Empyreum? nónne ſupra cœlum Empyreum locata ſit beata Virgo? nónne infra eam, cum primo ordine Angelorum, Johannes Baptiſta, fortaſſe & Johannes Evangeliſta, & Auguſtinus; ac infra hos alii, poſt quos alii deinceps, cœlo Empyreo in novem portiones ſecundum novem Angelorum ordines ſubdiviſo? tum, an ex illius loci ſublimitate, luminoſitate, & immobilitate, augeatur beatarum animarum delectatio? & utrùm hæc futura ſit major poſt judicium extenſivè tantùm, an etiam intenſivè ex habitus gloriæ augmento? Calvinus autem iſta ſomnia perſtringens, *Multi*, inquit, *valde ſe torquent diſputando quem locum occupent animæ, & an cœlesti gloria iam fruantur, nécne. Atqui ſtultum & temerarium eſt de rebus incognitis altiùs inquirere, quàm Deus nobis ſcire permittat. Scriptura, ubi dixit, Chriſtum illis præſentem eſſe, & eas recipere in paradiſum ut conſolationem percipiant, non ultrà progreditur. Quis iam doctor aut magiſter, quod Deus celavit nobis patefaciet? De loco non minùs inepta*

[a] Bonaventur. in 2. Sent. diſt. 2. part. 2. Thom. Argentin. in 2. Sent. diſt. 9. art. 2. & in 4. diſt. 45. art. 1. Ricard. Mediavill. in 4. Sent. diſt. 45. art. 1. quæſt. 2. & 4. diſt. 49. art. 2. quæſt. 7.

& futilis eſt quæſtio: quando ſcimus non eam eſſe animæ dimenſionem quam corporis. Quòd ſinus Abrahæ dicitur beata ſanctorum ſpirituum collectio, nobis abunde eſt ex hac peregrinatione excipi à communi fidelium patre, ut nobiſcum fidei ſuæ fructum communicet. Interea, quum Scriptura ubique iubeat pendêre ab exſpectatione adventus Chriſti, & gloriæ coronam eouſque differat, contenti ſimus his finibus divinitus nobis præſcriptis: animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ exſpectant. Hæc ille. Quæ collata cum Bellarminianis candorem produnt Jeſuiticum. Etenim ubi Calvinus notat curioſos quærentes, non an gloria, ſed *an cæleſti gloria iam fruantur animæ*; cœleſtem gloriam nominans gloriæ qualitatem & conditionem, à Deo minimè patefactam; (nam gloriam beatam iis [a] ibidem tribuit, & [b] patefactam docet:) Bellarminus ſupprimit vocabulum, *cæleſti*. ubi Calvinus ait *coronam gloriæ differri à Scriptura uſque ad Chriſti adventum*; reſpiciens verba Petri, qui [c] gloriæ coronam appellat conſummatam hominis totius in ultimo die beatitudinem: Bellarminus voces, *gloriæ coronam*, immutat in *gloriam, ac coronam*. ubi Calvinus concludit *piorum animas exſpectare fruitionem promiſſæ gloriæ*; deſignans illam gloriam, quam adventu Chriſti patefaciendam [d] Scriptura pollicetur: Bellarminus aſſerit *ipſum audacter definire eas nondum frui gloria*. ubi denique Calvinus *Chriſtum* facit *illis præſentem in paradiſo, in ſinu Abrahæ,* (hoc eſt, in cœlo, ſicut [e] ipſe explicat,) & improbat Sophiſtas de certo *loco* ſic quærentes, tanquam *animæ corporeis dimenſionibus*

[a] Inſtitut. lib. 3. ca. 25. §. 6.
[b] Luc. 23. 43.
[c] 1. Pet. 5. 4.
[d] Matt. 19. 28. Col. 3. 4. 1. Pet. 1. 5. & 5. 1.
[e] Comment. in Luc. cap. 16. & epiſt. 2. ad Cor. cap. 12.

bus essent præditæ : Bellarminus, hæc dissimulans, ad duas quæstiones, quarum autores *temeritatis & stultitiæ* à Calvino damnari ait, nempe, *quo in loco sint animæ iustorum, & an gloria fruantur*, responsum unum ita accommodat & urget, tanquam Calvinus *audacter eas arceret præsentia Christi in cælo.* [a] Fertur Medius quidam, princeps parasitorum Alexandri Magni, suis præcepisse, ut calumniis audacter incesserent & ferirent : quoniam, *Et si vulnus, sanaverit qui sauciatus est, cicatrix manet calumniæ.* Mirum nisi princeps iste Jesuitarum & Gnathonum Papæ in Medii schola educatus sit. Certè tam audacter calumniatur, & Calvini famam ac scripta mendaciis fraudibúsq; lacerat, ut hujus rei palmam vix concedat ulli, præterquàm Genebrardo : cujus in Calvinum rabies tam immanis est, ut [b] Bellarminus ipse interdum orthodoxæ Calvini fidei & doctrinæ adversùs virulentos & venenatos ejus morsus patrocinari cogatur. Quàm vellem, quemadmodum contra [c] Genebrardum pro Calvino [d] dicit; *Utinam semper sic erraret Calvinus* : ita nobis causam de se dicendi præbuisset; Utinam semper sic ageret Bellarminus. Nunc occasionem dedit renovandi querimoniam Hoseæ; [e] *Quid facerem tibi Ephraim? quid facerem tibi Juda? quum benignitas vestra tanquam nubes matutina, & velut ros manè stillans, abeat.*

[a] Plutatch. de discrim. adulat. & amic.

[b] De Christo, lib. 2. cap. 5. & 19.

[c] De trinit. lib. 2.

[d] Bellarm. de Christo, lib. 2. cap. 5.

[e] Hos. 6. 4.

6 Nam ex ista insuper Calvino aspersa labe colligit in ejusdem erroris societate versari Calvinistas : quantum mutatus ab illo, [f] qui, ex Catholica Calvini discipulorum & sectatorum sententia, Calvinum quoque rectè sensisse colligebat? Quod

[f] Bellarm. de Christo, lib. 2. cap. 19.

hoc item loco potuit ac debuit : quum & [a] Beza doceat *animas Sanctorum cum Chriſto capite ſuo colligi in cœlis, ibiq; iam nunc frui æterna beatitate ac præſentia Dei :* & [b] Harmonia confeſſionum fidei Reformatarum Eccleſiarum, cum obſervationibus edita Genevæ, eandem doctrinam approbet. Quin etiam [c] Bellarminus antè aſſeruerat *eas à Beza collocari in cælo :* & quidem *ex Calvini ſententia*. Quinam ergo tandem ſunt illi Calviniſtæ, ſecundum quorum errorem, Martyrum animas ire ad inferos, aut ad alium locum extra cœlum, hîc aſſerit Bellarminus ? At licèt hac ex parte ſuo ſe jugulet gladio, dicet quiſpiam : ibidem tamen oſtenderat *Bezam affirmare animas iuſtorum non viſuras Deum uſque ad diem iudicii* ; itáq; Calviniſtis id ſaltem verè objicit. Oſtenderat ? quo argumento ? Videlicet ait *Bezam ita reſpondere in libro contra Brentium de Chriſti maieſtate, parte ſecunda*. Prorſus, æquè verè, atque Calvinum in pſychopannychia. Nam [d] ibi hæc ſunt Bezæ verba : *In cælo cum Chriſto & beatis Angelis, Deum qualis eſt videntes, æterna felicitate perfruemur*. Quod ſe pronuntiare de felicitate noſtra inchoata ante diem judicii, non modò pòſt completa, ſi parum demonſtravit ibidem aſſeverando, *piorum animas in cælis cum Chriſto felices eſſe :* [e] epiſtola ex profeſſo ad hujuſce rei confirmationem ſcripta planum facit. Bellarminus igitur uni eorum quos Calviniſtas nuncupat, & quem è cunctis unicum nominatim citat, obtrectat periniquè. Cedò, quos alios deſignat iſto nomine ? Num Andream Fricium ? [f] qui elogium ſummi & ſingularis viri

[a] Epiſt. 82.

[b] Sect. 1. conf. Saxon. Sect. 2. conf. Baſil. & Bohem. Obſervat. ad cõf. Saxon. ſect. 1.

[c] De Chriſto, lib. 4. cap. 9.

[d] Reſponſ. ad Brent. argument. de carn. Chriſti omnipræſent. part. 2.

[e] Epiſt. 82.

[f] De repub. emendand. lib. 4. cap. 9.

viri tribuit Calvino. Num Hieronymum Zanchium? [a] qui nominare eum solet doctissimum interpretem. Num Petrum Martyrem? [b] qui se Christi sensu & mente conjunctissimum ei profitetur. Num Marloratum? qui suos commentarios ita demum absolutissimos fore censuit, si ex eo partem maximam mutuaretur. Num Bullingerum, Bucerum, Gallasium, Hyperium, Aretium, Sadeelem? quorum honorifica de præclaris ejus in Evangelio laboribus existimatio nota est. Aut si Bellarminus negabit se Calviniſtarum nomine hos notasse, quia *pios Dei conspectu statim à morte frui* [c] consentiunt: de nostratibus saltem in Anglia Protestantibus id intellectum voluisse concedat est necesse. Nam, *in Anglia*, [d] inquit, *regnante Elizabetha, iterum regnare cœpit Calvinismus*. Nempe meminerat, quis, de qua Principe illud in [e] fanatica & furiosa Bulla sua declamasset: *Impia mysteria & instituta ad Calvini præscriptum à se susceptа & observata etiam à subditis servari mandavit*. In quibus Vaticanus Rabsakes Assyrium ex parte imitatus est, dicentem de Ezekia; [f] *An non Iehova is est, cuius abstulit Ezekias excelsa & altaria, edicens Iudæ & Ierosolymis, coram altari hoc adorantes incurvate vos Ierosolymis?* ex parte sceleratos hypocritas Judæos, qui pium consilium à Jeremia datum aversabantur tanquam impium; &, [g] *Falsum loqueris*, inquiebant; *non misit te Iehova Deus noster ad dicendum, ne ingrediamini Ægyptum ad commorandum illic; sed Baruch filius Neriæ incitat te contra nos, ut tradat nos in manum Chaldæorum ad morte afficiendum nos, aut*

[a] De operib. Dei, part. 1. lib. 3. cap. 16. part. 3. lib. 2. cap. 5. 8. & alibi passim.
[b] Epist. theolog.
[c] Fruc. de eccl. lib. 2. tract. 10. Zanch. de oper. Dei, part. 3. lib. 2. cap. 8. Petr. Mart. & Marlorat. cõment. in 1. epist. ad Cor. cap. 13. Bulling. de potiff. Christ. relig. capit. dec. 4. serm. 3. Bucer. in Evang. Matth. cap. 8. Gallas. annot. in Irenæ. lib. 5. cap. ult. Hyper. de rat. stud. theolog. lib. 4. cap. 9. Aret. problem. theolog. tom. 1. loc. 7. Sade. respons. ad fid. profess. à mon. Burdeg. edit. art. 57.
[d] Bellarm. de Rom. Pont. lib. 5. cap. 7.
[e] Pii Papæ V. sententia declaratoria cõtra Elizabetham, prætensam (*ut appellat impius*) Angliæ Reginam.
[f] 2. Reg. 18. 22.
[g] Ier. 43. 2.

ad deportandum nos in Babyloniam. Sicut enim iſta profana fuit ſuperborum hominum calumnia, neque aut Baruch eos prodi hoſtibus voluit, ſed ſervari; aut Jeremias ipſius impulſu loquutus eſt, ſed Dei; quanquam Dei voci per Jeremiam ſonanti Baruch exoptavit ut obtemperarent: ita nec Calvini inſtituta impia ſunt, ſed religioſa; nec Elizabetha verbo ipſius, ſed Dei obſequuta eſt, quum ſubditis mandavit ne ingrederentur Ægyptum Pontificiam, ſed [a] Jeroſolymis adorarent. Quo beatior illa, cui capitalis inimicus, inprimis ſtudens detrahere, id objecit probri criminiſq; loco, quod in maximis laudibus præſtantiſſimæ Principis ſanctus Dei populus grata memoria & prædicatione ſemper celebrabit: [b] *Multæ filiæ fecerunt ſtrenuè, tu verò ſuperas omnes illas*. Verùm Bellarminus, *Calviniſmi* nomine traducens fidem noſtram, nos vocat Calviniſtas. Et ex eodem grege, eadem phraſi, [c] Campianus, *Iohannem Iuellum*, piæ memoriæ, *Calvinianorum Angliæ anteſignanum* nominat. Hic autem noſter anteſignanus [d] aſſevêrat *Sanctos videre Deum coràm, &* (ut loquitur [e] Apoſtolus) *facie ad faciem*. Bellarminus ergo eſt anteſignanus calumniatorum Romæ, qui ait Calviniſtas negare Sanctos mortuos aſpectu Dei in cœlo frui.

[a] Eſai. 2. 3. & 36. 7.

[b] Prov. 31. 29.

[c] Ration. 5.

[d] Defenſ. apolog. eccleſ. Anglic. part. 2. cap. 18.

[e] 1. Cor. 13. 12.

7 Atque is quidem, nobis hoc objiciens, exemplum ſequitur P. Clodii: [f] qui, quum ipſe Bonæ deæ pulvinaribus ſtuprum intuliſſet, ac ſacra flagitio violaſſet, religionem in Ciceronis domo neglectam queſtus eſt. Etenim [g] Bellarminus, tùm pronuntiat *juſtos defunctos colligatos eſſe nobiſcum in fide, ſpe, & caritate*: tùm conſequutionem iſtam [h] iterum urget;

[f] Cic. de haruſp. reſponſ.

[g] De purgator. lib. 2. ca. 15.

[h] De Rom. Pont. lib. 4. cap. 14.

get; *Quòd si fidem habent, non igitur Deum vident.* Proinde asseverât animas justorum non videre Deum. Respondebit forsitan id à se dictum non de justis omnibus, sed de quibusdam tantùm, in Purgatorio scilicet constitutis: quod [a] hîc etiam innuit, quum quæstionem ita concipit; *Sintne piorum hominum spiritus, qui & corpore soluti sunt, & nulla purgatione egent, iam ad fruendam beatitudinem, quæ in clara Dei visione sita est, admissi.* Esto. Ex parte igitur tenetur in hac culpa, cujus nos insimulat: idq; propemodum aperta confessione sua. [b] Declarat enim è Scripturis, [c] *nos, mortali ista vita excedentes, habere statim aliam longè meliorem in cœlo*; [d] *spiritúsq; nostros præsentes esse apud Dominum*, & [e] *videre eum facie ad faciem*. Quibus sententiis ut piorum statum describit Apostolus, agens de [f] *omnibus in Christo sanctificatis*: ita Bellarminus, asserens *perfectam mercedem redditum iri in die iudicii, quando totus homo corona gloriæ ornabitur*, addit, *mercedis partem, hanc nimirum felicitatem animæ, reddi singulis in obitu uniuscuiusque*, sicut ostenderat ex [g] Ecclesiastico. Idem insinuant cùm aliorum Patrum, quos [h] citat, testimonia, [i] Dionysii, [k] Cyrilli, [l] Epiphanii, [m] Hilarii, [n] Augustini, [o] Prosperi: tùm in primis Justini, & Chrysostomi. Quorum [p] alter ait *bonorum animas statim, quum è corporibus excedunt, in paradisum duci, & apud Dominum præsentes esse; malorum contrà ad inferos*: [q] alter, *peccatores, ubi ubi fuerint, esse procul à Rege, ideóq; dignos qui fleantur; iustos verò, sive hîc, sive in futuro seculo fuerint, esse cum Rege, illic tamen magis, & propiùs, non per*

[a] De eccles. triumph. lib. 1. cap. 1.
[b] Ibid. cap. 3.
[c] 2. Cor. 5. ver. 1.
[d] ver. 8.
[e] 1. Cor. 13. 12.
[f] 1. Cor. 1. 2. 2. Cor. 1. 1.
[g] Eccli. 11. 28.
[h] Bellarm. ibid. cap. 4. & 5.
[i] De eccles. hierarch. cap. 7.
[k] In Evang. Iohan. lib. 12. cap. 36.
[l] Hæres. 78.
[m] In psalm. 60. & 64.
[n] De civit. Dei, lib. 20. cap. 15.
[o] De vita contemplat. lib. 1. cap. 1.
[p] Iustin. quæst. & resp. 75. ad orthodox.
[q] Chrysost. hom. 3. in ep. ad Philipp.

per ingreſſum ac fidem, ſed facie ad faciem: uterque ſententiæ ſuæ firmamentum petens ex illis [a] Scripturarum locis, quæ à Bellarmino item adhibentur rei demonſtrandæ. Ita ex ipſius, luculenter ſanè hoc modo refutantis in [b] ſeptima controverſia, quod in [c] ſexta ineptè confirmare nititur; ex ipſius, inquam, documentis conſtat, juſtos omnes Dei conſpectu & præſentia ſtatim à morte perfrui. At qui hoc Papiſtæ negant de illis, quos Purgatorio includunt. Et *aliquos iam defunctos, uſque ad diem iudicij ibi manſuros*, aſſerit [d] Bellarminus. Aliquos ergo juſtos Deum uſque ad illum diem viſuros negat: ſéq; in hoc errare, diſertis ferè verbis ait. Ceterùm ne ſic quidem ſe tueri poterit, quin juſtos omnes uſque ad illum diem arceat à conſpectu Dei. Namque in [e] Miſſa precantur Dominum ſacrificuli, ut *omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerij, lucis, & pacis indulgeat*. Hoc autem [f] Bellarminus ait *ſe precari, quoniam illi nondum pacem & quietem habent à tormentis, & à deſiderio viſionis divinæ*. Viſione igitur divinâ nondum fruitur quiſquam Sanctus mortuus: quandoquidem [g] quieſcunt omnes in Chriſto. Itidem, quo die commemorationem omnium fidelium defunctorum celebrant, ſeu (ut vulgò nominant) omnium animarum, [h] *requiem & lucem eis* imprecantes; *Abſolve*, inquiunt, *Domine animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum: & gratia tua illis ſuccurrente mereantur evadere iudicium ultionis, & lucis æternæ beatitudine perfrui*. Ubi quum lucis æternæ beatitudine notetur conditio [i] ſtantium ante thronum in conſpectu ejus qui [k] lucem habitat inacceſſam;

[a] Iuſtinus è 2. Cor. 5. 8. Chryſoſtomus è 1. Cor. 13. 12.

[b] *De Eccleſia triumphante.*

[c] *De Eccleſia quæ eſt in purgatorio.*

[d] De purgator. lib. 2. ca. 9.

[e] In Canone Miſſæ.

[f] De Miſſa, lib. 2. cap. 25.

[g] 1. Theſſ. 4. 14. Apoc. 14. 13.

[h] Miſſal. Rom. 2. die Novembr. Miſſa in commemorat. omn. fidel. defunctor.

[i] Apoc. 7. ver. 9. & 15.

[k] 1. Tim. 6. 16.

ceſſam; ſequitur ex communi ſententia Papiſtarum, nullius Sancti animam adhuc videre Deum: niſi quem eorum negabunt contineri fidelium defunctorum numero, & [a] cum infidis [b] hypocritiſq; ſociabunt. Porrò preces iſtæ, quas pro fidelibus omnibus defunctis atque in Chriſto quieſcentibus fundunt, fundendæ ſunt in Miſſa uſque ad diem judicii, ex decreto [c] Papæ. Itaque nullius omnino Sancti animam Deum ante diem judicii viſuram eſſe pronuntiat cum Papiſtis ſuis Bellarminus.

[a] Luc. 12. 46.
[b] Matt. 24. 51.
[c] Pii V. Bulla: *Miſſali ſuo nihil unquam addendum, detrahendum, aut immutandum.*

8 Quid, quòd Papa Johannes Viceſimus ſecundus, Bellarmino etiam fatente, in hoc errore fuit. Id enim perhiberi tradit [d] Adrianus, Pontifex Romanus, (etſi nondum Pontifex, opinor, quum hæc ſcripſit,) affirmans *certum eſſe Pontificem Romanum errare poſſe in fide, quoniam alij alijs in rebus erraverunt, in hac Johannes iſte.* Et [e] Gerſon, Cancellarius Pariſienſis Academiæ, poſtquàm, in ſermone coram proceribus regni Galliæ habito, dixiſſet [f] *latronem, qui veriſimiliter nondum compleverat pœnitentiam pro omnibus peccatis ſuis, beatificatum fuiſſe in paradiſo ipſa hora mortis: Propter quod*, inquit, *apparet falſitas doctrinæ Papæ Johannis Viceſimi ſecundi, quæ damnata fuit cum ſono buccinarum vel tubarum coram rege Philippo avunculo tuo per theologos Pariſienſes de viſione beata; & credidit potiùs theologis Pariſienſibus quàm Curiæ.* [g] Bellarminus verò, quanquam cavillatur *licuiſſe tempore Johannis hoc ſentire ſine periculo hæreſis*; quorſum? quum, ut [h] hæreſis includit pertinaciam, hodie quoque liceat; ut autem [i] errorem orthodoxæ fidei repugnantem

[d] In 4. Sent. de ſacrament. confirmat. art. ult.
[e] Serm. in feſt. Paſch. tom. 1.
[f] Luc. 23. 43.
[g] De Rom. Pont. lib. 4. cap. 14.
[h] Hieron. in epiſt. ad Tit. cap. 3.
[i] Epiphan. adverſ. hær. eſ.

nantem notat, ne tum quidem licuerit: ſubſcribit tamen Adriano atque Gerſoni, *Iohannem in errore iſto fuiſſe, animas Sanctorum non viſuras Deum ante diem iudicij.*

9 Quò dignius eſt notatu, quemadmodum Calvino, verè hoc exemplum urgenti contra Papiſtas, ſed in aliqua forſan narrationis rei circumſtantia lapſo, quinque mendacia impudentiſſima objiciat. Nam [a] ille Pontificios, jactantes privilegio Chriſti cautum eſſe ne Papa errare poſſit, quia Petro dictum ſit, *Oravi pro te ne deficiat fides tua*, redarguit his verbis. *Iohannes Viceſimus ſecundus palàm aſſeruit animas eſſe mortales, unáq; cum corporibus interire uſque ad diem reſurrectionis. Atque, ut videas totam ſedem cum præcipuis ſuis fulturis tunc prorſus concidiſſe, nemo Cardinalium huic ſe tantæ inſaniæ oppoſuit: ſed ſchola Pariſienſis regem Galliæ impulit ut ad palinodiam hominem cogeret. Rex eius communionem ſuis interdixit, niſi mox reſipiſceret: idq; de more publicavit per præconem. Hac neceſsitate adactus ille errorem abiuravit. Hoc exemplum facit, ne me oporteat cum adverſarijs ampliùs de eo diſputare, quod dicunt; ſedem Romanam eiúſque Pontifices labi in fide non poſſe, quia Petro dictum ſit,* [b] *Oravi pro te ne deficiat fides tua. Certè ille tam fœdo lapſus genere à recta fide excidit, ut ſit inſigne poſteris documentum, non omnes eſſe Petros qui Petro in epiſcopatum ſuccedunt.* Hæc Calvinus. Quibus [c] Bellarminus addens quod in margine ſcriptum eſt, *Teſtis Iohannes Gerſon qui tunc vivebat*, pronuntiat *eum quinque mendacia impudentiſsimè pauciſſimis verbis protuliſſe. Primum, quòd Gerſon vixerit tempore*

[a] Inſtitut.lib.4. cap.7.§.28.

[b] Luc.22.32.

[c] De Rom. Pont.lib.4. cap.14. & de eccl.triumph. lib.1.cap.2.

tempore Iohannis Vicesimi secundi. Constare enim ex [a] *Iohanne Villano, Onuphrio, & ceteris historicis, Iohannem Vicesimum secundum obiisse anno Domini M. CCC. XXXIV. ex* [b] *Trithemio verò, Gersonem natum anno M. CCC. LXIII.* Cujus rationis ut utramque partem veram esse demus; quanquam nisi Gerson antè natus sit, quàm Trithemius tradit, erravit [c] Sixtus Senensis; sed ut concedamus: nónne affirmari potest *tunc vixisse*, qui vixit illo seculo? Aut, si Calvinus ratus est Gersonem ipso Johannis tempore vixisse; quod probabiliter potuit, quum Gerson, vir maturæ ætatis, coram eo [1] Principe loquutus sit, cujus [2] avunculus oppositit se Johanni: nónne hæc tanta verisimilitudo Calvinum in tam levi lapsu vindicabit ab impudentissimi mendacii reatu? [d] Bellarminus dixerat *Leonem asserere, Agar non fuisse veram uxorem Abrahæ*. Non hoc asserit Leo, ut [e] Bellarminus pòst agnovit: erroris sui causam Glossæ adscribens. Sed num se propterea impudentissimè mentitum esse exclamabit? [f] Bellarminus dicit, *Valentinianum, legem promulgasse, ut liceret unicuique duas simul coniuges habere*. Hoc à Socrate, quem Bellarminus sequitur, falsò proditum convincit [g] Baronius. Num igitur Bellarminus mendacium protulit impudentissimè? [h] Bellarminus dicit: *se nullam mentionem Kemniciani examinis in disputatione de cultu Sanctorum fecisse*. Mentitus impudentissimè? an oblivione potiùs lapsus? Nam [i] fecit certè aliquam. [k] Bellarminus colligit *recentiores Græcos in Liturgia nominatim orare solitos pro Papa, quòd inveniatur Nicolai Papæ nomen in Liturgia Chrysostomi à Leone Tusco Latinè reddita. At*

[a] Hist. de rebus Florent. lib. 11. cap. 19.
[b] De scriptoribus eccles. hast.
[c] Biblioth. sanct. lib. 4.
[1] Rodolpho Duce Lotharingiæ, aut Ludovico Comite Alençonio, nepotibus Caroli Valesii. Io. Tilii comment. de reb. Gall. lib. 1.
[2] Philippus Valesius. Gaguin. hist. Fracor. lib. 8.
[d] De conciliis, lib. 2. cap. 8.
[e] De matrimonii sacram. cap. 11.
[f] Ibid. cap. 10.
[g] Annal. eccl. tom. 4. anno Dom. 370.
[h] De bonis operib. in partic. lib. 2. ca. 4.
[i] De eccles. triumph. lib. 1. cap. 16.
[k] De Missa, lib. 2. cap. 21.

hujus

hujus Nicolai nomen Patriarchæ eſt Conſtantinopolitani. Ibidem enim Imperator nominatur Alexius: cujus tempore nullus erat Nicolaus Epiſcopus Romanus; [a] Conſtantinopolitanus erat. Ac poſt Nicolaum, *ſanctiſſimi & univerſalis*, id eſt, œcumenici titulo ornatum, nominantur Epiſcopi Alexandrię, Antiochiæ, & Jeroſolymorum. Ita, ſi Nicolaus Romanus ſignificatus ſit, Conſtantinopolitanus Patriarcha non nominatur. Quod à Græcis factum Alexio imperante, quî poterit dicere Bellarminus? Nam oſtendit [b] ipſe, *Græcos anno MLIV. apertè pronuntiaſſe, Romanum Epiſcopum de ſuo gradu excidiſſe: & iam ſummum ac primum Epiſcoporum omnium eſſe Pontificem Conſtantinopolitanum*. [c] Imperare autem cœpit Alexius poſt annum MLXXX. Quare, quocunque modo vox, *Papæ*, irrepſerit in locum vocis, *Patriarchæ*, Nicolai ſanctiſſimi & œcumenici Patriarchæ, non Papæ, nomen, in Liturgia Græcorum interpoſitum eſt. Quum igitur Bellarminus in rebus gravioribus labatur ſæpenumero, probabilitatis ſpecie deceptus, in quam inquirere diligentiùs nequaquã ſemper vacat: cohiberi debuit memoriâ [d] legis talionis, ne Calvinum impudentiſſimi mendacii damnaret, quòd Gerſonem dicat vixiſſe tempore Johannis.

[a] Zonar. annal. tom. 3.

[b] Præfat. in libros de Rom. Pont. è Sigeberto & Leone IX.

[c] Zonar. annal. tom. 3. Onuphr. Faſtor. lib. 4.

[d] Lev. 24. 19. Iud. 1. 7. A. Gell. lib. 20. cap. 1.

10 *Secundum mendacium* numerat, *quòd Iohannes aſſeruerit animas eſſe mortales. Hoc enim nec Gerſonem, nec ullum alium ſcripſiſſe ante Calvinum: ac ne ipſum quidem Gulielmum Ockam, qui Iohanni Papæ infeſtiſſimus fuit*. Unde Bellarminus, tanquam mendacii impudẽtiſſimè prolati nota non ſufficeret damnandæ huic culpæ, *horrendum mendacium à Calvino excogitatum eſſe* vociferat, *eúmq; mutuatum à magiſtro ſuo*

ſuo patre mendaciorum inſignem calumniam. Ne ſævi magne ſacerdos! Ockam, Gerſon, alii, ſcripſerunt idem quod Calvinus, etſi non iiſdem verbis: neque rem atrociùs effert Calvinus, quàm verba Johannis meruerunt. Nam [a] Johannes, in ſermonibus ſuis publicè habitis, ut [b] *animas ante diem iudicii Deum non viſuras eſſe aſſeruit:* ita & [c] *in vitam æternam non ituras.* Atque [d] in publico conſiſtorio pro hac ſententia ſic argutatus eſt: *Iacobus ait,* [e] *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam, quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ: & certum eſt quòd anima non eſt vir.* Item; *Chriſtus dicit,* [f] *Omnis qui reliquerit domum, & cetera, propter nomen meum, vitam æternam poſſidebit: & certum eſt quòd illi, quibus loquebatur, erant ſuppoſita, & non animæ ſeparatæ.* Item; *merces illa reddetur pro operibus miſericordiæ; Vnde Chriſtus dicet in iudicio,* [g] *Eſurivi, & dediſtis mihi &c. ſed certum eſt quòd ſuppoſitum, & non anima ſeparata, dedit eleemoſynam: igitur ſuppoſito, & non animæ ſeparatæ, reddetur merces.* Ubi quum Johannes animas uſque ad diem reſurrectionis, licèt in [h] quiete & gaudio eſſe concederet, æterna tamen vita frui pernegaret; pro eodem ſumens *vitam* ac *viſionem Dei:* idem (Johanne ipſo judice) ſcripſerunt Ockam, Gerſon, [i] alii, dicentes illum aſſeruiſſe animas non videre Deum; & Calvinus, eas expertes eſſe vitæ, mori, interire uſque ad diem reſurrectionis.

[a] Teſtes viri fide digni, qui adfuerunt, & audiverunt concionantē: ut refert Gulielmus Ockam, qui tunc vivebat.

[b] Serm. in feſto omn. Sanctor.

[c] Serm. qui incipit, *Tolle puerum.* Ockā in compendio errorum Iohannis XXII.

[d] Ockam dialog. part. 2. tract. 1. proœm. & cap. 4.

[e] Iac. 1. 12.

[f] Matt. 19. 29.

[g] Matt. 25. 35.

[h] Ockam ibid. cap. 4. & 5.

[i] Adrianus, Villanus, atq; Marſilius, à Bellarmino citati: de eccl. triumph. lib. 1. cap. 1. & 2.

11 *Tertium mendacium eſt,* inquit Bellarminus, *quòd nullus Cardinalium ſe oppoſuerit Iohannis ſententiæ. Hoc enim eſſe falſum patet, tum quia nec Gerſon, nec ullus alius hoc dicit: tum quia plurimi*

rimi ſentiebant contrarium, ut patuit ex definitione, quæ mortuo Johanne facta eſt à Benedicto Duodecimo [a] *de conſenſu omnium Cardinalium. Nec erat cauſa, cur iſti, qui contrarium ſentiebant, metuerent viventi Johanni contradicere. Siquidem* [b] *Benedictus aſſerit Johannem ſeverè præcepiſſe Cardinalibus, aliiſq; Doctoribus omnibus, ut ſincerè dicerent quid ſentirent, ut veritas inveniri poſſet. Denique* [c] *Villanus, qui tunc vivebat, ſcribit; maiorem partem Cardinalium repugnaſſe Johannis opinioni, illo vivente.* Verùm enimverò, quod Bellarminus ait nec à Gerſone dici, nec ab ullo alio : id & à Gerſone inſinuatur clariùs, quàm Bellarminus è re ſua eſſe judicavit ut cognoſceretur; & clariſſimè ex Ockamo aliiſq; colligitur. Nam Gerſonis verba, *Philippum regem credidiſſe potiùs theologis Pariſienſibus quàm Curiæ*, ſic repetit Bellarminus, quaſi *Curia* ſolum Papam ſignificaret, eúmq; ut Doctorem particularem, dicens: *Teſtatur Gerſon quòd rex Galliæ Philippus magis crediderit Pariſienſibus Doctoribus, quàm Johanni Papæ, ut particulari Doctori, de illa quæſtione diſſerenti.* Atqui Curiæ nomine, ut plures deſignari ſolebant vulgò quàm Papa; cujus rei fidem facit [d] vetus dictum, *Curia Romana non petit ovem ſine lana*: ſic & à Gerſone notatos eſſe plures, ſuo ejus vocis uſu ipſe indicat. Velut, quum Papam pro concione [e] admonens ne oneribus humanarum traditionum ſubditos premat, ſed divina lege ac Scriptura regat; & bonos viros Deum timentes, æquitate & meritis conſpicuos regimini præficiat; affirmat *alioqui futurum ut Curia ſua, Curia Romana, quæ ad ſimilitudinem hierarchiæ Angelicæ ordinanda erat, viriſq; piis, iuſtis, ſapientibus replenda,*

[a] Epiſtola Benedicti.

[b] In ſua extravaganti.

[c] Lib. 10. cap. ult.

[d] Apud Illyricum, in teſtibus veritatis temporum ſuperiorum contra Papam: verbo, *Vulgus.*

[e] Serm. in die Circumciſ. Domini, coram Papa.

da, mutetur in Curiam peccantium: & ad imitationem Curiæ diabolicæ maior frequenter ille sit futurus, qui astutior, qui perfidior, qui importunior, deterior, cupidior, miserior. Itaque Gerson, Curiæ tribuens errorem cui se opposuerunt Parisienses theologi, evidenter innuit Cardinales Johanni se non opposuisse.[a] Ockamus autem narrat *Johannem Cardinales in tantum terruisse, quum ob assertiones erroneas de rebus ad Francisci regulam spectantibus eum antea reprehenderent & corriperent: ut timentes ipsius furiam, à suis correptionibus salutiferis, ne damna temporalia incurrerent, pavidi cessarent.* Quo minùs fit probabile ausos esse postea ei se opponere; præsertim quum Bonagratia quidam Franciscanus, errorum eum admonens, in carcerem conjectus fuerit: & Michael Cæsenas, Generalis ordinis Minorum, aliíq;, qui ad Concilium ab eo provocaverant, perquisiti sint terra & mari per armatos milites, promissis donis maximis cuicunque ipsos aut vivos aut mortuos reducenti. Et quis existimet Ockamum non hoc, ut suæ causæ inprimis glorioſum, commemoraturum fuisse, siquis Cardinalium Johanni se opposuisset? aut Michaelis Cæsenatis, ignobilis Franciscani, [b] epistolas complures adversùs eum scriptas conservatum iri: de Cardinalibus verò nullum monumentum aut mentionem exstituram, si tale quid egissent? Villanus enim Bellarmini, scribens *maiorem partem Cardinalium repugnasse Iohannis opinioni*, significat animo repugnasse, non factis se opposuisse: ut & [c] ipse explicat, dicendo, *quæstionem Iohannis displicuisse maiori parti Cardinalium*; & alter Bellarmini testis explicandum, si verum esse velit, edocet. Nam-

[a] Compend. errorum Iohannis XXII.

[b] Ad capitulum Fratrum minorum, ad Fratres minores, & ad Imperatorem.

[c] Eod. lib. & cap. citato à Bellarmino.

que Benedictus, qui ex illis erat, nihil ampliùs oſtendit, fatente Bellarmino, quàm *ſe contrarium ſenſiſſe*. Ac Bellarmini ratio, *non fuiſſe cauſam, cur iſti, qui contrarium ſentiebant, metuerent viventi Iohanni contradicere, quia Iohannes ſeverè præcepit Cardinalibus, ut ſincerè dicerent quid ſentirent*, futilis eſt. Siquidem, [a] quo tempore leo, vulpes, & aſinus, inita ſocietate egreſſi ſimul venatum ceperunt multam prædam, etſi aſinum juſſit leo dividere ipſis: tamen quoniam aſinus prædam in tres partes ex æquo diviſit, leo ira percitus eum devoravit. Tum vulpes, juſſa dividere, unam in partem omnia congeſſit, relinquens ſibi paululum quiddam: ac leoni quærenti, *Quis tè, ô optima, ſic dividere docuit?* reſpondit, *Aſini calamitas*. Johannes ſeverè præcepit Cardinalibus, ut ſincerè dicerent quid ſentirent. Prorſus. Nam poſteaquàm [b] *cum magno fervore rationes ſuas repetiviſſet, quibus probare, niſus eſt animas Sanctorum non videre Deum*, [c] ſubjunxit ad extremum; *Siquis magnus aut parvus aliquid habet pro concluſione affirmativa, ſecurè det mihi, & libenter recipiemus*. Ceterùm hæc verba verbis leonis erant quàm ſimillima. *Et hoc ex eius operibus perpenditur evidenter*, inquit Ockamus: *nam ex perſequutione, quam infert zelatoribus catholicæ veritatis, conſtat apertè, quòd, qui daret ſibi aliquid pro veritate ſuo errori contraria, exponeret ſe periculo & confuſioni; eò quòd zelatores & defenſores catholicæ veritatis gratiam eius perdunt, & indignationem incurrunt*. Cui teſtimonio ne Bellarminus fidem deroget, quoniam Ockamus Johanni fuit infeſtiſſimus: meminerit à

[a] Æſop. fab.

[b] Ockam dialog. part. 2. tract. 1. in proœm.

[c] Ibid. cap. 11.

Villano

Villano ſuo idem aſſeri. *Mandabat enim,* [a] inquit, *Cardinalibus, Doctoribúſq;, & Prælatis Curiæ, ut dicerent quid ſentirent; ac proteſtabatur ſe per modum tantùm diſputationis ad veritatem eruendam rationes proponere, nec quicquam in alterutram partem ſtatuiſſe: ſed non obſtantibus cunctis proteſtationibus, pro certo dicebatur, & cernebatur ex operibus, ipſum ſentire & credere opinionem eam veram eſſe; quandoquidem quicunque Doctor aut Prælatus afferebat ipſi ſententiam aliquam Patrum quæ ex ulla parte faveret ei opinioni, accipiebat hominem comiter, & beneficii gratiam illi faciebat.* Ita, quum fuerit cauſa cur Johanni viventi contradicere metuerent Cardinales, qui contrarium ſentiebant, utut juberentur ſecurè, quæ ſentirent, dicere: Benedictus indicans eos contrà tantùm ſenſiſſe, non dixiſſe, teſtatur cum Calvino neminem Cardinalium Johanni ſe oppoſuiſſe. Propterea [b] Sanderus, *egregium hoc Calvini mendacium eſſe* aſſerens, idq; comprobare inſtituens [c] *Benedicti Pontificis* teſtimonio, ex ejus verbis infert, *primùm, Johannem nihil definiviſſe; atque ideò non fuiſſe, ubi quiſquam ſe opponeret illius opinioni: deinde, aut omnes omnino, aut pæne omnes Cardinales Johanni ſe oppoſituros fuiſſe, ſi ſemel ad rem perventum fuiſſet.* Satis quidem ineptè; qui ſuſcipiens probandum, Cardinales ei ſe oppoſuiſſe, concludat, oppoſituros ei ſe fuiſſe: ſed tanto manifeſtiùs confirmat teſtimonio unius ex iis ipſis Cardinalibus, de quibus agitur, ejuſdémq; Papæ, Calvinum verè dicere, nullum Cardinalium Johanni ſe oppoſuiſſe.

[a] Io. Villan. hiſt. de reb. Florent. lib. 10. cap. ult.

[b] De viſib. monarch. eccleſ. lib. 7.

[c] In eadem extravaganti quam citat Bellarminus ex Alfonſo à Caſtro, lib. 3. contr. hæreſ. in verbo, *Beatitudo.*

12 *Quartum mendacium* recenſet, non Sanderus, qui duo tantùm vidit, nec vidit, ſed Bellarminus, *quòd rex Galliæ interdixerit ſuis communionem* Johannis. *Quippe neminem hoc narrare; nec eſſe credibile Chriſtianum regem tale aliquid facere auſum:* [a] *Villanum item ſcribere, Regem ſolùm ſcripſiſſe ad Pontificem amicè, & reverenter, eúmq; monuiſſe ut caveret ab illis opinionibus, quæ videntur ſuſpicionem erroris ingenerare poſſe.* Quid audio? Scribítne Villanus Regem ſolùm ſcripſiſſe ita ad Pontificem? Profectò Bellarminus, Calvinum mendaciorum impudentiſſimè prolatorum arguens, incurrit in cenſuram illam [b] Juvenalis:

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?

Etenim Villanus dicit quidem *Regem ſcripſiſſe ita ad Pontificem*: ſed *ſcripſiſſe ſolùm* non dicit. Immò [c] dicit *Regem præterea, quum Generalis ordinis Minorum, Iohannis creatura* (ut à Villano appellatur) *in concione Pariſiis aſſeruiſſet Sanctos ante diem iudicij Deum non videre*; Villanus, inquam, dicit *Regem non modò reprehendiſſe acriter iſtum Iohannitam, dicendo eum eſſe hæreticum, & morte pœnas hæreſi debitas daturum, niſi errorem revocaret: verùm adiunxiſſe, ſe, ſi Papa ipſe, à quo excitata fuerat opinio, tueri eam vellet, probaturum etiam illum eſſe hæreticum.* Quò ſi addatur Gerſonis teſtificatio, *damnatam eſſe Iohannis doctrinam ut hæreticam edicto regio per præconem*; id enim * *ſonus tubarum*, quem commemorat, arguit: patebit à Calvino verè affirmari, Regem ſuis interdixiſſe communionem Johannis, niſi mox reſipiſceret. Nam hæreticorum communione leges [d] divinæ & [e] humanæ

[a] Lib. 10. cap. ult.

[b] Satyr. 2.

[c] Eodem, quem citat Bellarminus, loco.

* Hiſt. eccleſiaſt. Eccleſiar. reformatar. in Gall. lib. 11.

[d] Tit. 3. 10. 2. Ioh. ver. 10.

[e] 24. q. 1. c. quæ dignior. ca. 13. extra. de hæreticis.

næ piis interdicunt. Unde [a] theologi, qui Johannem hęresis ob doctrinam illam condemnaverunt, contenderunt eum vitandum necessariò ab omnibus scientibus eum esse hæreticum. Rex autem per edictum suum declaravit doctrinam illam esse hæreticam, & Johannem hæreticum, si in ea perseveraret. Rex ergo suis interdixit communionem Johannis, nisi admonitus resipiscceret.

[a] Ockam operis nonaginta dierum ca. ult.

13 *Quintum mendacium* facit Bellarminus, *quòd Iohannes à Rege adactus sit ad palinodiam, atque errorem suum abiuraverit*. Ad cujus rei probationem similiter ait *nec Gerſonem, nec ullum alium id ſcribere; nec debuisse Iohannem errorem abiurare, quum in errorem nullum incidisset: ac* [b] *Villanum ſcribere, Iohannem ſolùm retractaſſe opinionem ſuam pridie ante mortem ſuaſu affinium, non iuſſu Regis.* Johannem solùm retractasse opinionem suam pridie ante mortem? Num ita scribit Villanus? Immò Bellarminus hoc, *solùm*, ementitur: etsi non hoc solùm. Villanus scribit *retractasse pridie ante mortem*: sed retractasse etiam antea, nec Villanus negat, & Ockam facit manifestum. Nam quando emigravit Johannes ex hac vita? [c] Quarto die Decembris, anno Domini MCCCXXXIV. Atqui ante integrum ferè biennium, [d] anno Domini MCCCXXXIII. Januarii tertio, Johannes habuerat consistorium publicum, in quo hæc [e] loquutus est: *Nunquam fuit meæ intentionis dicere aliquid contra fidem; &, ſi aliquid diximus, totum ex tunc revocamus.* Quæ verba etiamsi protestationem contineant potiùs, quàm erroris revocationem, ut Ockam eruditè & acutè docet: tamen Johannes non ob nullam causam adhibuit vocem, *re-*

[b] Lib. II. ca. 19.

[c] Villan. ibid.

[d] Ockam dialog. part. 2. tract. 1. in proœm.

[e] Ibid. cap. 10.

[a] Ibid.cap. 12. *vocamus; atque*, ut [a] ſequitur, *ſuper hoc ſtatim petivit fieri publicum inſtrumentum*. Proinde licèt ſuam opinionem revocârit pridie ante mortem, [b] non tam motu proprio, ſicut ferebatur, quàm affinium impulſu, ne cum ſuſpicione & fama erroris moreretur: nequaquam hinc efficitur, quin antè, quum à Rege amanter [c] reprehenſus admonitúſq; eſſet, [d] per literas triginta Theologorum Pariſienſium ſigillis communitas, quibus damnabatur doctrina ejus ut hæretica, putârit etiam vir prudens [e] metuénſq; Regem canendam ſibi palinodiam, ſaltem in ſpeciem, & ſub conditione, ſiquid dixiſſet contra fidem. Quòd autem Bellarminus affirmat eum in nullum errorem incidiſſe, ideóq; non debuiſſe errorem abjurare; equidem haud miror Jeſuitam auſum eſſe Calvino in iis rebus obtrectare, quarum jam paucos exſtare teſtes ſciebat: quum ita frontem perfricuerit, ut contra mille teſtes, id eſt, conſcientiam, nec conſcientiam modò, ſed etiam confeſſionem ſuam, auſus ſit in Dei, Angelorum, hominum conſpectu apertiſſimè turpiſſiméq; mentiri, & Eccleſiam totam immanis impudentiæ ſuæ teſtem facere. Nam [f] ipſe ait *Iohannem revera ſenſiſſe animas non viſuras Deum, niſi poſt reſurrectionem*. At [g] hoc errorem eſſe, nec ſolùm eſſe, ſed fuiſſe Tertulliani tempore, mille annis ante Johannem, docet ipſe. Agnoſcit igitur ipſe Johannem revera in errorem incidiſſe: in eum errorem, quem [h] Adrianus Sextus peſtiferum appellat.

[b] Villan.lib.11. cap.19.

[c] Idem lib. 10. cap.ult.

[d] Belforeſt. hiſt.Gall.lib. 5.cap.6.

[e] Villan.lib.10. cap.ult.

[f] De Rom. Pont.lib.4. cap. 14.

[g] De eccleſ. triumph.lib.1. cap. 1. & ſequentib.

[h] In 4.Sent.de ſacram. confirmat.art.ult.

14 Ita in Bellarminum, in Johannem Papam, in Papiſtas recidit; quod immeritò Luthero, Calvino, Calviniſtis objicit Bellarminus: [i] *ut amoveas culpam ſanguinis immeriti, quem effudit Ioab, à me & à do-*

[i] 2.Reg.2.31.

mo

mo patris mei, inquit Salomon. Liceat enim mihi iisdem verbis uti de Bellarmini [a] lingua, gladio acuto; quibus nobilissimus ille rex sententiam de cæde à Joabo injustè facta tulit: [b] *Et retorquebit Iehova sanguinem eius in caput eius, qui irruit in duos homines iustiores & meliores se, & occîdit eos gladio, patre meo Davide ignorante: Sic reversis cædibus eorum in caput Ioabi, & in caput seminis eius in seculum; Davidi, id est, semini eius, & domui eius, ac solio eius erit pax usque in seculum à Iehova.*

[a] Psal. 57. 5.

[b] 1. Reg. 2. 32.

CAP. VIII.

Protestantes falsò à Bellarmino accusari, tanquam nullum Sanctis hominibus mortuis Angelisve honorem haberi velint. Tum Papistas illis honorem debitum detrahere.

[c] Onassus, animal quoddam magnitudine tauri, cornua in se flexa & pugnæ inutilia gerens, postquàm percussus est à venatoribus, fimum sæpe in fuga ad quatuor passus à se projicit, cujus contactus pilos insectantium canum adurit & absumit. Istius animalis simillimus est Bellarminus: cornua sibi faciens, qualia [d] Sedekias, speciosiora ad pompam quàm ad pugnam; & fimum calumniarum ita ejaculans in nostros eum

[c] Aristot. hist. animal. lib. 9. cap. 45.

[d] 1. Reg. 22. 11.

perſequentes, ut ipſorum famam exiſtimationémq; [a] incendiarii more tractet. Niſi hoc fortaſſe interſit diſcriminis, & quidem indies magis magíſq; (ut ſpero) intererit, quòd, ut [b] Deus minatus eſt ſe ſparſurum in Judæorum facies fimum ſuorum ſacrificiorum: ſic Papiſticarum calumniarum fimum, excitato [c] vento & turbine veritatis, in ipſum Bellarmini gregaliúmq; ejus corpus retorquebit. Exemplo ſit quod ſequitur, de *veneratione ſanctorum Angelorum & hominum mortuorum: quos honore omni à nobis ſpoliari* dicit [d] Bellarminus; *nec ullum iis cultum, aut parvum, aut magnum, deferendum agnoſci*. Sanè magnum cultum, nempe cultum religionis, qui plerunque ſolus notatur voce *cultus* & *adorationis*, ſoli Deo debitum eſſe contendimus: ſicut [e] Eccleſia Smyrnæa proteſtata eſt *ſe Deum ſolum* [1] *colere, atque* [2] *adorare*; ſicut [f] Epiphanius, *Pater*, inquit, *& Filius, & Spiritus ſanctus adoretur, Mariam nemo adoret*; ſicut [g] Cyrillus affirmat *nullum coli & adorari ab orthodoxis, præter unum Deum*; ſicut [h] Hieronymus *fideles* negat *colere & adorare omne nomen, quod nominatur in præſenti ſeculo & futuro, ne ſerviant creaturæ potiùs, quàm creatori*; ſicut [i] Juſtinus, [k] Athenagoras, [l] Theophilus, [m] Clemens Alexandrinus, [n] Origenes, [o] Cyprianus, [p] Minutius Felix, [q] Arnobius, [r] Lactantius, [s] Euſebius, [t] Athanaſius, [u] Baſilius, [x] Gregorius Nyſſenus, [y] Hilarius, [z] Ambroſius, [a] Philaſtrius, [b] Theodoretus,

[a] Pſal.57.5.
[b] Mal.2.3.
[c] Pſal.83.14.
[d] De eccleſ. triumph.lib.1. cap.11.
[e] Euſeb. hiſt. eccl.li.4.ca.15.
[1] Σέβειν.
[2] Προσκυνεῖν.
[f] Hæreſ.79.
[g] Contr. Julian.li.6. & 10.
[h] Epiſt. ad preſb.diac.& monach. Ægypt. Act.Synod.Epheſ. cap.1.
[i] Epiſt.53.ad Riparium.
[i] Apolog.2. in eodem loco, in quo *Juſtinum tradere, non ſolùm Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, ſed bonos etiam angelos ab omnibus Chriſtianis adorari & coli*, affirmat Bellarminus [lib.1. de eccleſ. triumph. cap.13.] ex vitioſa unius ſententiæ minùs claræ contra plures clariſſimas interpretatione: ut apologiam ipſam Juſtini cum judicio perlegenti liquebit. [k] Apolog. pro Chriſtianis. [l] Ad Autolyc. lib.1. [m] Strom.lib.6. [n] Contra Celſ.lib.5.& 8. [o] Ad Fortunat.de exhort.matr. cap.2. [p] In Octavio. [q] Adverſ.Gent.lib.3. [r] Lib.2.cap.17. [s] Demonſtrat.Evang.lib 1. [t] Contr. Arian. ſerm.3. [u] Apud Gregorium Nazianzenum, orat.funebr. in laud. Baſilii. [x] Orat.in laud.Baſilii Magn. [y] Can.3.in Matthæum. [z] De Spiritu ſanct.lib.3. cap.12. [a] Catalog. hæreſ.cap.108. [b] Curat.Græcar.affect.ſerm.2.de Principio.

Leo,

[a] Leo,& [b] Vigilius *ſolum Deum coli ſeu adorari debere* docent: ſicut denique [c] Auguſtinus *Sanctos mortuos* ait *honorandos eſſe propter imitationem, non adorandos propter religionem*; atque *ne aut eos, aut Angelos colamus, ſed Deum ſolum*, adhortatur. Ceterùm minore cultu, quem *cultum dilectionis & ſocietatis* [d] Auguſtinus vocat, ſanctos, tûm Angelos, tûm homines mortuos honoramus: ut patet ex [e] Harmonia confeſſionum fidei noſtræ, ubi [f] *legitima Sanctorum veneratio* laudatur nominatim, ac [g] *Divi diligendi & honorandi* prædicantur; & quidē [h] *honorandi ſumma diligentia*; ſed [i] *honorandi caritate, non ſervitute, ut monet* [k] *Auguſtinus*. Videamus igitur quemadmodū Bellarminus ſimum in nos egerat: nec eo tamen noſtros ſed ſuos pilos adurat, quū res ad veritatis examen revocabitur.

2 *Fuit*, inquit, *antiqua hæreſis Euſtathij apud Socratem, libro ſecundo hiſtoriæ, cap. 33. Eunomij, et Vigilantij apud Hieronymum, Claudij Taurinenſis apud Ionam Aurelianē ſem, et VVicleſi apud Thomam VValdenſem, tomo tertio de Sacramentalibus, tit. 13. Sanctos non eſſe colendos: quæ rurſum per Calviniſtas & Lutheranos renovata eſt. Nam Magdeburgenſes, Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 340. dicunt omnem Sanctorum adorationem eſſe idololatriam. Pari ratione Calvinus lib. 1. Inſtit. ca. 11. §. 11. & cap. 12. §. 1. & 2. non patitur ullum cultum exhiberi ſanctis Angelis, vel hominibus defunctis, neque parvum, neque magnum*. Hæc Bellarminus. Ubi quot jacula in Lutheranos & Calviniſtas vibrat: tot mendaciis calumniiſq; ſeipſum conſauciat. Nam primùm ait eos renovaſſe antiquam hæreſin Euſtathii. Hęc autem fuit, [l] ſacros conventus in privatis ędibus habendos, non in templis, baſilicíſve, aut [m] memoriis Martyrum.

[a] Serm. 2. in nativit. Dom.
[b] Contr. Eutych. lib. 5.
[c] De vera relig. cap ult.
[d] Contr. Fauſt. Manich. lib. 20. cap. 21.
[e] Section. 2.
[f] Partium 2. ſect. analyt. diſtribut.
[g] Confeſſ. Helvet. poſt.
[h] Confeſſ. Suev.
[i] Confeſſ. Wirt.
[k] De vera relig. cap. ult.
[l] Socrat. hiſt. eccleſ. lib. 2. cap. 33.
[m] Synod. Gangr. can. 20.

tyrum. Quod ipſum [a] Bellarminus tradit his verbis; *Euſtathius templa omnia, & præcipuè Martyrum deteſtabatur, teſte Socrate libro ſecundo hiſtoriæ, capite 33. & in privatis domibus conventicula fieri volebat.* Quid igitur? An Lutheranis & Calviniſtis idem placet? Immò verò [b] cœtus Eccleſiaſticos in templis celebrari jubent. Quod [c] Bellarminus etiam confitetur, dicens; *Lutherani & Calviniſtæ admittunt templa, ſed ſolùm ad concionandũ, & ſacramenta miniſtranda: reprehẽdunt autem, quòd fiant templa ad orandum.* Falſò hoc quidem addens de oratione: & ſuum illud, *ſolùm*, calumnia uſitata probans. [d] *Calvinũ* enim ait *velle ornamenta templorũ ſolùm eſſe concionẽ & ſacramenta*, propterea quia dicit *imagines tunc primùm in ornamentũ templorũ aſcitas eſſe, quum miniſterii ſinceritas nonnihil degeneraſſet: ac indignum videri templorum ſanctitate ut alias recipiãt imagines, quàm vivas illas & iconicas, quas verbo ſuo Dominus conſecravit, baptiſmum nempe, & cœnã Domini, cum aliis ceremoniis, quibus oculos noſtros & ſtudioſiùs detineri, & vividiùs affici convenit, quàm ut alias hominum ingenio fabrefactas requirant.* Atqui hinc quàm pravè & putidè inferatur, Calvinum nolle preces cum verbo & ſacramentis in templis celebrari, adeò ſibi conſcius erat Bellarminus: ut eodem loco ſtatim pronuntiet, [e] *Calvinum dicere templa erigi debere ad communes preces fundendas*. Miſeranda veſania, quæ impellat hominem ad iſtiuſmodi argumentationes: Lutherani & Calviniſtæ nolunt templa fieri ad fundendas preces; nam Calvinus dicit templa erigi debere ad communes preces fundendas. Sed quum Lutherani & Calviniſtæ probent templa, teſte Bellarmino; & eodem teſte

[a] De eccleſ. triumph. lib. 3. cap. 1.

[b] Harmon. confeſſ. fid. ſect. 15.

[c] De eccleſ. triumph. lib. 3. cap. 1.

[d] Inſtitut. lib. 1. cap. 11. §. 13.

[e] Inſtitut. lib. 3. cap. 20. §. 30.

teſte Euſtathius templa deteſtatus ſit: reſtat Bellarminum, in eo quòd Euſtathii hæreſin Lutheranis & Calviniſtis objicit, mentiri teſte Bellarmino.

3 Eandem ſibi plagam iterum infligit, dicendo eos renovaſſe antiquã hæreſin Eunomii. Nam *omnes Eunomiani baſilicas Apoſtolorũ & Martyrum non ingrediuntur*, inquit [a] Hieronymus. Calviniſtas autem & Lutheranos eas ingredi, Magdeburgẽſes & Calvinus cum Eccleſia Genevenſi documento ſunt. Etenim [b] primaria baſilica Magdeburgi eſt Mauricii Martyris. [c] In ea cives urbis, quos ut Lutheranos proſcripſit Carolus Quintus, curaverunt verbum Dei docendũ. [d] Genevæ ſummum templum eſt Petri Apoſtoli. In quod, quum Academiæ Genevenſis leges promulgãrentur, convenerunt inter alios quàm plurimos Calvinus, & Beza. Quin etiã, ex [e] canonibus ejus Eccleſiæ, habẽtur binæ conciones ſingulis diebus Dominicis in tẽplis ſingulis, S. Petri, Magdalenæ, & Gervaſii Martyris: cõpluréſq; aliæ aliâs; preſertim in templis Petri, ac Gervaſii. Ita, quod facere detrectaverunt omnes Eunomii ſectatores, ne quo modo Apoſtolos & Martyres honorarent: id Lutherani & Calviniſtæ non modò non detrectant, ſed etiam ſtudioſè factitant.

[a] Adverſ. Vigilant. cap. 3.

[b] Alb. Krantz. metrop. lib. 3. cap. 28.

[c] Sleidan. cõment. lib. 22.

[d] Leg. Academ. Genev.

[e] Leg. eccleſiaſt. Eccleſ. Genev.

4 Jam verò Vigilantius apud Hieronymum divino cultu Sanctos honorari noluit: in quo & Hieronymus cum eo ſenſit, ut [f] oſtendi. Eadem eſt omnino Claudii Taurinenſis doctrina apud Jonam: quam Jonas item probat. [g] Dilaudat enim iſtam rationem à Claudio adverſùs imaginum cultores adhibitam: *Si corpora Sanctorum, opera manuum Dei, colenda & adoranda non ſunt; quanto minùs imagines, opera manuum hominum?* Non igitur, quia Vigilantii & Claudii Taurinenſis veſtigia

[f] Supr. cap. 6. §. 4.

[g] Ion. Aurelian. de cult. imag. lib. 1.

ſtigia ſequuntur Luherani & Calviniſtę, idcirco renovârunt hæreſin, aut Sanctos omni honore ſpoliant.

5 Porrò Wiclefus apud Thomam Waldenſem, titulo decimotertio, ne loquutus quidem hac de re arguitur: ſed Wiclefiſtæ quidam, Sartor, & Purney. Pro quibus cur ſubſtituit Wiclefum Bellarminus? An quia verebatur, ne, ſi ipſius ſententiam citaſſet, [a] titulo decimoquarto, nempe *plùs coli à multis Sanctum novum recens canonizatum quàm Dominum Ieſum Chriſtum*, pateret cultum Dei delatum eſſe creaturis: nec honorem Sanctorum, ſed idololatriam Wiclefo diſplicuiſſe? Atqui & Wiclefiſtæ, [b] loco citato, deferri volunt Sanctis *adorationem*, prout [c] adorare dicuntur qui *ſalutant* ac venerationis ſignum quoddã exhibent: diſſentiente quidem Waldenſe, & affirmante, *Sanctos magnificè venerandos eſſe, immò congruentiùs* (ut addit) *adorandos, non ſalutandos qualitercunque*; veruntamen agnoſcente nequaquam illis detrahi omnem honorem. Adeò manifeſtam in hiſce de Euſtathio, Eunomio, Vigilantio, Claudio, & Wiclefo, aut nobis ex ipſorum comparatione, aut ipſis ſimul & nobis, injuriam facit Bellarminus.

[a] De Sanctis canonizandis. cap. 128.

[b] Tit. 13. de Sanctis adorandis. cap. 117. & 118.

[c] *Gen. 23. 7. Abraham adoravit populum terræ.*

6 Manifeſtiorem in iis quę ſubjungit, de Magdeburgenſibus, & Calvino. [d] Magdeburgenſium enim verba generalia ſunt, *Omnes creaturarum adorationes damnari, ut idololatriam, in ſcriptis Apoſtolorum.* Unde ſi ſequatur, idololatrię à Magdeburgẽſibus damnari omnem honorem Sanctis mortuis habitum: ſequatur itẽ oportet, omnem honorem hominibus vivis habitum ejuſdem criminis damnari. Quod quàm ſit abſurdè falſum, quis non videt? quum ipſi, [e] ibidem, *in Apoſtolorum ſcriptis tradi* doceant, *honorem & [f] parentibus*

[d] Cent. 1. lib. 2. ca. 4. col. 340.

[e] Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 297. & 299.

[f] Ephes. 6. 2.

&

& [a] *magistratibus tribuendum. Adorationum* igitur vocabulo cultus soli Deo debitos significant: neque Sanctis omnia ejusmodi detrahentes plus detrahunt, quàm [b] Lutherus; qui *Deam quandam & idolum ex Beata Virgine faciendum* negat; *honorem* tamen *ei habendum* pronuntiat. Nam disertè [c] laudant eôdem facientia, cûm Smyrnæorum, tûm [d] Epiphanii, & [e] Cyrilli testimonia: [f] *Mariam oportere in honore esse, sed adorari non oportere*; & [g] *Martyres neque Deos dicendos, neque adorandos, sed honoribus summis afficiendos, laudandósq;, & [h] dignè diligendos.*

[a] Rom. 13. 7. 1. Pet. 2. 17.

[b] Postill. Evang. in die nativit. Mariæ.

[c] Cent. 2. ca. 4. col. 50.

[d] Cent. 4. ca. 4. col. 298.

[e] Cent. 5. ca. 4. col. 351.

[f] Epiphan. hæres. 79.

[g] Cyrill. lib. 6. contr. Iulian.

[h] Euseb. hist. lib. 4. cap. 15.

7 Calvinus autem nullum cultum sanctis Angelis, vel hominibus defunctis, neque parvum, neque magnum, exhibendum esse, ubi tandem asserit? ubi? Tribus locis, ut indicat Bellarminus: primùm, *libro primo Institutionis, capite undecimo, paragrapho undecimo*. Scilicet. Nam ibi ait *Pontificios statuis & picturis eundem cultum impendere, quem idololatræ Iudæi Gentilésq; soliti sunt: & perinde facere, quum dicunt se dulia eas venerari, acsi adulter aut homicida aliud ascititium sceleri suo nomen imponeret.* Quòd nisi Bellarminus velit *statuarum* nomine sanctos Angelos significatos esse; *picturarum* verò, homines defunctos: non video quî hinc colligat Calvinum omni cultu eos dedignatum. Deinde, *eiusdem libri capite duodecimo, paragrapho primo.* Quid ita? An quia dicit *Sanctos qui hac vita excesserant evectos esse, aliquot retrò seculis, in Dei societatem, ut pro illo & colerentur, & invocarentur, & celebrarentur?* At his verbis negat cultum solius divinitatis proprium defunctis Sanctis communicandum: neque quicquam habet præterea, quo vel ipsos, vel Angelos omni cultu spoliet.

liet. At *paragrapho* ſaltem *ſecundo eiuſdem capitis* hoc facit ſine dubio: nam Calvinus rei firmandæ adhibet *argumenta*, quę Bellarminus recenſet. At Calvini verba, paragrapho ſecundo, hæc ſunt: *Quin etiam in hunc finem inventa eſt latriæ & duliæ, quã appellant, diſtinctio, quò impune viderentur Angelis & mortuis tranſcribi divini honores. Quem enim Sanctis cultum deferunt Papiſtæ, nihil reipſa differre à Dei cultu palàm eſt. Promiſcuè enim et Deum et illos adorant, niſi quòd, dum urgentur, exceptione hac evadunt, Deo ſe illibatum ſervare quod ſuum eſt, quia latriam illi relinquant. Atqui de re non de voce quum ſit quæſtio: quis illis permittat tam ſecurè in re omnium maxima ludere?* Ecce quemadmodum aſſerat Calvinus nullum ſanctis Angelis hominibúſve mortuis honorẽ exhibendũ, quoniã divinos honores iis tribui à Papiſtis queritur.

8 Et quidem operæpretium eſt animadvertere qualia *argumenta* dicat Bellarminus à *Calvino* ad rei probationem concinnari. [a] *Primum, duplex eſt honor; unus civilis, quo honoramus potentes & ſapientes homines; alter religionis, qui Deo ſoli convenit: ſed Angelis & ſanctis hominibus non convenit honor ille civilis, ut notum eſt, cùm non verſentur nobiſcum civiliter; honor autem religionis non poteſt eis tribui, quia religio eſt cultus Dei.* [x] Ergo Bellarminus eſt horribilis ſophiſta; ut [b] quidam Lutetiæ ſe cognominabat, non minorem eam appellationem ratus, quàm Africani, aut Aſiatici. Hæc enim concluſio infertur multo aptiùs ex integra Calvini diſputatione, quàm inſtitutum Bellarmini. Nam [c] Calvinus aſſerit *honorem eum, qui defertur* [d] *principibus ac præfectis, nimirum, ut Dij nuncupentur, quòd Dei, qui ſummus eſt*

[a] Bellarm. de eccleſ. triumph. lib. 1. cap. 11.

[x] facetè inſignitur.

[b] Lud. Viv. de cauſ. corruptar. art. lib. 3.

[c] Inſtitut. lib. 1. ca. 14. §. 5.
[d] Pſal. 82. 6. Ioh. 10. 34.

est Rex & Iudex, vices in sua functione gerant, longè maiore de causa deferri[a] *Angelis, in quibus divinæ gloriæ claritas multò abundantiùs elucet.* Tantummodò[b] reprehendit *superstitiosos, qui nihil non honoris deferendum illis putant: & quæ solius Dei & Christi sunt, ad ipsos transferunt.* Quamobrem ex ejus sententia Bellarminus enuntiatum primum efferre debuit hoc modo: duplex est honor; unus civilis, quo honoramus creaturas eximiis dotibus ornatas; alter religionis, qui Deo soli convenit. Immò *civilis honor*, inquit horribilis sophista, *non convenit Angelis & sanctis hominibus, ut notum est, cùm non versentur nobiscum civiliter.* Præclarè. Nos igitur Angli non debemus civili honore prosequi Papam, ut notum est, quia non versatur nobiscum civiliter. Quid?[c] Ærodii filius, quem Jesuitæ plagiarii surreptum in latebras nescio quas abdiderãt, num ineptè à patre admonetur mandati,[d] *Honora patrem tuum;* quoniam absens erat, neque civiliter cum eo versabatur? At filius Pseudojesuita impiè faciat, si hoc dicat: & *honor patri debitus est honor civilis*, teste[e] Bellarmino. Quòd si respondeat, vivos civili quadam conversatione inter se conjungi, quanquam absentes: quid dicet de Tobia,[f] sepeliente patrem suum honorificè? quid de[g] Rechabitis, præceptum patris sui mortui servantibus? Num obedientiam partem non esse honoris patri debiti; quod tamen[h] Catechismus Tridentinus docet: an civilem honorem haberi posse mortuis, licèt non versentur nobiscum civiliter? Romani quidem certè judicârunt, posse, quum[i] honores sepulcri & statuæ Servio Sulpicio mortuo decreverunt. Quapropter meliore argumento à conjugatis sic ratiocinatus

[a] Psal 8.6. Heb.2.7.

[b] Eod.lib.& cap §.10.

[c] Ærod. de patrio iure, ad filium Pseudojesuitam.

[d] Exod. 20.12.

[e] De eccles. triumph.lib.1. cap.12.

[f] Tob.14.Gr.

[g] Ier.35.6.

[h] In explicar. decalog. præcept.4.

[i] Cic. Philipp. 9. D. de orig. iur.l.2.§. Servius.

tus eſſet Bellarminus: Nos [a] ejuſdem ſumus civitatis cives cum Sanctis, & [b] Angelis, & [c] hominibus mortuis; civilem ergo honorem illis debemus. Aut ſi vocem improbat, velut huic rei minùs congruentem, quam & [d] Calvinus molliendo *civilis honor, ut ita dicam*, duriuſculam ſibi viſam eſſe innuit: concipiat diſtinctionem alia formulâ, qua volet, modò diſcrimine duarum tabularum Legis obſervato, ex [e] quibus alius honor debetur Deo, alius proximo; alius Domino, alius ſociis & [f] conſervis. Ac, ſive ſocialem, ſive quo alio nomine, honorem appellare libeat qui debetur Sanctis; Calvinus ſuum illis honorem deferendum eſſe agnoſcit: duntaxat *religionis honorem* illibatum Deo vult ſervari, quoniam [g] Scriptura ne cum Angelis quidem eum communicat.

[a] Eph. 2. 19.
[b] Heb. 12. ver. 22.
[c] ver. 23.
[d] Inſtitut. lib. 1. cap. 12. §. 3.
[e] Matt. 22. 37.
[f] Apoc. 19. 10.
[g] Col. 2. 18.

9 *Secundum*, inquit Bellarminus, *Calvini argumentum eſt, Si Sanctis deberetur cultus aliquis religionis; certè duliæ, non latriæ, ut Catholici docent: at ineptum eſt dicere, Sanctos coli, & non latriâ.* Age: quid concludunt hæc pronuntiata? Ergo Sanctis nullus religionis cultus debetur ex Calvini ſententia. Optimè. Nam cultus religionis is eſt, quem Calvinus ſtatuit deberi ſoli Deo: ut Bellarminus proximo argumento oſtenderat. Et Calvinus ait de cultu religionis; *ineptum eſſe dicere, Sanctos coli, & non latriâ.* Quò ineptiùs [h] Bellarminus reſpondet; [i] *Auguſtinum, qui tamen non erat ineptus, dicere, Sanctos coli, & non latria.* Non enim dicit Auguſtinus, Sanctos coli cultu religionis, & non latria: ſed *coli eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei*; ſed *honorari caritate, non ſervitute. Religionis* autem *cultum, id eſt, ſervitutem, latriam, ac duliam,*

[h] De eccleſ. triumph. lib. 1. cap. 14.
[i] Contra Fauſtum, lib. 20. cap. 21.

ſoli

ſoli Deo deberi pronuntiat [a] Auguſtinus, ut [b] Bellarminus confitetur. Nec quicquam ad rem facit, quod [c] Bellarminus ait, *duliam in ſcripturis non ſolùm accipi pro ſervitute mancipiorum, ſed etiam pro honoraria ſubiectione, ut Galat.5.* διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις, *Per caritatem ſervite invicem: ob eámq; cauſam hoc modo potuiſſe Theologos Auguſtino recentiores cultum Sanctorum vocare duliam.* Nam, ut omittam ne Papiſtas quidem hoc ſenſu vocabulum uſurpare; alioqui nobis viciſſim exhibendam eſſe à Sanctis duliam doceant oportet, ex ἀλλήλοις, *invicem:* Calvinus negat *duliam Sanctis exhibendam, quo ſenſu in Scripturis id ipſum ſonat quod latria, ut Galat.4.* ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, *Duliam ijs exhibebatis qui natura non ſunt Dij.* Quod & Bellarminus in iſto, quo de agimus, argumento indicat, quum *duliam cultum religionis* vocat. Ita horribilis ſophiſta, amphoram inſtituens, id eſt, profitens ſe probaturum Calvini argumentis, nullum, neque parvuum, neque magnum cultum ab eo Sanctis exhiberi; currente rota effingit urceum: & magnum religionis cultum denegari illis à Calvino probat, aërem cædens; ſed denegari parvum cultum dilectionis & ſocietatis non probat.

[a] De vera relig. cap. 55. In Exod. quæſt. 94.
[b] De eccleſ. triumph. lib. 1. cap. 12. & 14.
[c] Ibid. cap. 12.

10 Similem ſe præbet athletam reliquis argumentis, (nam talibus ſcatet ille, ſplendidáſq; totis paginis nugas agit,) niſi quòd interdum, nova quadam arte, Calvinum juvat copiis auxiliaribus, quæ ipſum prodant. Exempli cauſa, *Tertium*, inquit, *argumentum Calvini ex Scripturis, Deuteronom.6. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies. Cui ſimile eſt illud Pauli, 1. Tim.1. Soli Deo honor & gloria.* Neutrum enim horum locorum citat Calvinus: ſed priorem ut

aptum Calvini inſtituto (qui partem ejus aptiùs ad inſtitutum facientem [a] aliunde citat) addendum cenſuit Bellarminus, quò majore aſtu poſteriorem adderet. Nimirum hinc facilè alumnis Pontificiis perſuaſiſſimum fiet, Calvinum Sanctos omni honore ſpoliare: præſertim quum [b] Bellarminus contrà è [c] Scripturis oſtendat *Deum Sanctis honorem & gloriam promiſiſſe*; indéq; *illud Pauli, Soli Deo honor & gloria, de certo honore & gloria intelligendum eſſe* reſpondeat. Tametſi potuit item, ac meliùs forſitan, reſpondere, Paulum [d] ibi dicere, *Soli ſapienti Deo honor & gloria*: ut *ſoli Deo* elogium *ſapientis* tribuat, non honorem & gloriam adſcribat ei ſoli. Verùm, ne plus operæ minimè neceſſariæ in patefactionem tam perſpicuarum ſophiſtæ fraudum inſumam, Calvini ſententia conſtans eſt & eadem, quam adverſùs Theologorum Pariſienſium doctrinam de veneratione Sanctorum [e] explicat his verbis. *Sanctorum veneratio non alia nobis commendatur in Scripturis, quàm quæ in univerſum debetur fidelibus, iuxta* [f] *Pſalmum* 15. *&* 139. *Sic tamen, ut unicuique habeatur honor pro menſura gratiæ. Ergo de Sanctis, prout quiſque eorum excellit Dei donis, aut in altiore gradu collocatus eſt à Domino, honorificè ſentiendum eſt, ac loquendum. Cultum verò illis exhibere, ſicut ſolet mundus, profana eſt ſuperſtitio, & quæ Gentium potiùs inſaniam redoleat, quàm Eccleſiæ Dei conveniat. Quin etiam palàm repugnat præcepto:* [g] *Dominum adorabis, & illum ſolum coles.*

11 Quæ quũ ita ſint, Jeſuitæ fimum in ipſius caput, primùm veritatis impetus, ob calumniam; deinde ſodalium ſuorum afflatus, ob fallaciam, retorquet. [h] Cãpianus enim, & Campiani heres ex aſſe, [i] Poſſevinus, qui

[a] Matt. 4. 10.

[b] De eccleſ. triumph. lib. 1. cap. 13. & 14.

[c] 1. Sam. 2. 30. Ioh. 12. 26. Rom. 2. 10.

[d] 1. Tim. 1. 17.

[e] Antidot. ad artic. Theologor. Pariſ. art. 13.

[f] Pſalm. 15. 4. & 139. 17.

[g] Deut. 6. 13. Matt. 4. 10.

[h] Ratior. 9.

[i] Biblioth. ſelect. lib. 7. cap. 25.

qui totam Campiani cramben recoxit, ac famosum ejus libellum Bibliothecæ suæ intexuit, recensent inter nostra *sophismata σκιαμαχίαν, quæ auras et umbras magno conatu diverberat*. Atq; hoc primarium documentum statuunt egregii illius probri: *Scitum est inter cæcos luscum regnare posse: apud rudes valet sæpe fucata disputatio, quam schola philosophorum exsibilat*. Qua in re injuriam quidē nobis faciunt, ut [a] Whitakerus noster eruditè docuit. Etsi minimè mirum est Possevinū ausum calumnias dirutas reponere: quem, post [b] mentionem Whitakeri factam, quocum Campianus unà est excusus, non puduit tamen [c] dicere, *se propterea libellum recudisse, ne pereat, quòd nostri eum de medio tollere ac sepelire omni conatu studuerint*. Sed fallacia ista sophistarum auras & umbras diverberantium adhæret Bellarmino, ut [d] lepra Naamanis Elisæi servo. Nam contra agnoscentes honorem Sanctis habendū, prout quisque eorum excellit Dei donis; Dei autem donis præstare Angelos hominibus; [e] disputat *cultum aliquem maiorem merè humano Angelis deberi*. Quem oppugnat? Contra celebrantes Martyrum memoriam, citat *Origenem, Tertullianum, Cyprianum, id à se factum indicantes*. Quem ferit? In eos qui Smyrnæorum, Epiphanii, & Cyrilli testimonia laudant de Sanctis diligendis atque honorandis, producit eadem prorsus, similiáq; *Eusebij, Basilij, Ambrosij, & aliorum* dicta, *idem adstruentium*. In quem vibratur hæc clava? Veteres Romanos legimus in militiæ suæ tirociniis ad palum exerceri solitos. Quem morem explicans [f] Vegetius, *A singulis*, inquit, *tironibus singuli pali defigebantur in terram, ita ut nutare non possent, & sex pedibus eminerent. Contra illum*

[a] Respons. ad rat. Camp. & responsionis adversus Duræum defensione.

[b] Biblioth. select. li. 7. ca. 6.

[c] Ibid. cap. 16.

[d] 2. Reg. 5. 7.

[e] De eccles. triumph. lib. 1. cap. 13.

[f] De re militar. lib. 1. cap. 11.

palum, tanquam contra adverſarium, tiro cum crate & clava, velut cum gladio ſe exercebat & ſcuto: & nunc quaſi caput aut faciem peteret, nunc lateribus minaretur, interdum contenderet poplites & crura ſuccidere; accederet, recederet, aſſultaret, inſiliret, & quaſi præſentem adverſarium, ſic palum omni impetu, omni bellandi arte tentaret. Nec tirones ſolùm Romani ad militiam ſe hoc exercitii genere comparabant: verùm gladiatores etiam ad arenam; in quibus & fœminæ Romanæ.

[a] Iuven. ſat. 6.

[a] *Vel quis non vidit vulnera pali?*
Quem cavat aſſiduis ſudibus, ſcutóq; laceſſit,
Atque omnes implet numeros.

Equidem putaſſem Bellarminum arma pro Sanctis ſuſcipientem inſtituiſſe exemplum tironum aut gladiatorum Romanorum ſequi, ſi Theologorum Scholaſticorum more ſimpliciter rem tractaſſet: nempe, Sanctos nullo honore proſequendos videri; pro iſta ſententia ſic & ſic argui; ſed contrà eſſe quod ſcriptum eſt Rom. 2. *Gloria & honor omni operanti bonum*; ad argumenta ergo ex adverſo producta ſic & ſic dicendũ. Nunc ille, videns [b] titulum inſcriptionémq; operis ſui flagitare ut contra *huius temporis hæreticos* prælietur, ac non contra palos, ait ſe *Calvino*, & *Magdeburgenſibus*, *Lutheranis*, *Calviniſtis* clava & ſudibus ſuis vulnera infligere: immodeſtiùs agens, quàm, non dico viri Romani, ſed vel fœminæ; quarum nulla proditur fuiſſe tam impudens, ut aſſeveraret ſe trucidare hominem, quum palum confoderet. Hoc autem facit, quis? Num [c] *fraterculus* quiſpiam, *doctorculúſve*, aut [d] *magiſtellus*, è grege [e] *mendiculorum inermium*, quorum [f] *copiolæ* tam tenues ſunt, ut [g] *fumulos* [h] *tenebricoſi*

[b] *Diſputationes Roberti Bellarmini de controverſiis Chriſtianæ fidei adverſus huius temporis hæreticos.*

[c] Campian. rat. 1.
[d] Rat. 4.
[e] Rat. 6.
[f] Rat. 2.
[g] Rat. 3.
[h] Rat. 10.

bricosi homuli excitent, atque [a] *ranunculi coaxent è cavernulis?* Non: sed Bellarminus, vir ingens, & perindignus his diminutiunculis, quibus Campiani [b] Possevinus ornat Lutherum & alios Protestantes. Bellarminus Jesuita, quem [c] Baronius vocat *Reverendum Patrem*, ac *Romæ, multos annos, summa cum laude, publicè docuisse* scribit: & ait *istas eius disputationes ab eruditis omnibus mirificè prædicari; nobilissimúmq; planè opus esse; quod instar turris illius, quam* [d] *David ædificavit cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei, & omnis armatura fortium, in Ecclesia habeatur*. Quocirca si minoris culpæ nota injusta, immò justa, ut hoc ponamus, promeruit nobis illam censuram Possevini, *Inter cæcos regnat luscus*: audire ex eo pervelim, quales tandem autumet Pontificios esse, inter quos regnat Bellarminus.

[a] Rat. 4.

[b] Biblioth. select. lib. 7. cap. 17. 18. 19. 20. 22. & 26.

[c] Annal. eccl. tom. 1. anno Dom. 53.

[d] Cantic. 4.

12 Porrò, ut [e] Sextus Roscius immeritò accusatus est parricidii; Titus autem Roscius, qui eum accusandum curavit, commiserat homicidium: sic qui nos per istum Erucium criminantur, quasi nullum Sanctis honorem habeamus, ipsi eos spoliant debito honore. Siquidē quæ duo [f] Calvinus rectè monet, *de Sanctis honorificè tùm sentiendum, tùm loquendum, prout quisque illorum excellit Dei donis*: iis in ambobus delinquunt Pontificii, quà generatim erga universos Sanctos, quà sigillatim erga plurimos. Nam primò pro Sanctis mortuis, sicut [g] docui, orant ut *Deus locum refrigerij et pacis eis indulgeat, æternæq; lucis beatitudine perfrui concedat*. Tantumne? Immò [h] addunt; *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus*. Jam verò, quod [i] laudatur

[e] Cic. pro Sex. Roscio.

[f] Antidot. ad artic. theologor. Paris. art. 13.

[g] Suprà, cap 7. §. 7.

[h] Missa in commemorat. omnium fidelium defunctorum.

[i] Magist. sentent. lib. 4. dist. 45.

ab [a] Auguſtino dictum, *Iniuria eſt pro Martyre orare*; aut, quemadmodum Papa [b] Innocentius Tertius è *ſacra Scriptura* citat, *Iniuriam facit Martyri qui orat pro Martyre: hoc* declarat idem Papa *ratione conſimili de aliis Sanctis ſentiendum, quia orationibus noſtris non indigent, quum ſint perfectè beati*. Itaque univerſis Sanctis defunctis injuriam faciunt Papiſtæ. Augetur hæc injuria ex genere ærumnarum & periculorum, è quibus deprecantur ut liberentur Sancti.

[c] Abſalom, quum poſt triennium Geſſure actum in exilio Jeroſolymam revertiſſet, ibíq; manſiſſet integrum biennium excluſus è conſpectu regis, patris ſui, tantum dolorem hinc accepit: ut ſignificaret ſe malle adhuc exulem eſſe Geſſure, immò vel morte, ſi meruiſſet, affici, quàm non videre faciem regis. Quòd ſi gratioſa terreni regis & patris præſentia minimè frui tam acerbum fuit & luctuoſum illi: quid Sanctis è conſpectu Patris cœleſtis, Regis regum, & Domini dominantium excludi? Ac ille, etiam exul, liber perpetuò vixit & ſolutus. Sanctos Pontificii in purgatorium condunt: in carcerem tætriorem quàm [d] Putiphar Joſephum. Ille, excepto unius rei deſiderio, cetera lætus egit. Sanctos [e] Pontificii graviùs excruciant pœna ſenſus, non modò damni, quàm [f] Urbanus Sextus Cardinales ſuos, catenis, fame, frigore, ſiti, vermibus, eculeo. Ille quinquennio afflictus eſt, non ampliùs. Sanctos ſi tormentis tantiſper ſolùm lancinari ſinerent Pontificii, clementiùs ſævirent. Sed quum [g] Dominicus Soto, negans *credibile eſſe Deum longo tempore amicos ſuos in pœnis detinere*, dixiſſet; *Crediderim, nunquam aliquem in purgatorio viginti annis exſtitiſſe, immò, ut mea fert opinio,*

[a] De verbis Apoſt. ſerm. 17.
[b] Cap. cùm Marthæ. Extra. de celebr. Miſſar.
[c] 2. Sam. 13. 38. & 14. 29.
[d] Gen. 39. 20.
[e] Thom. Aquin. in 4. Sér. diſt. 21. quæſt. 1. art. 3.
[f] Theodoric. Niem. de ſchiſm. lib. 1. cap. 45. 50. 51. & 52.
[g] In 4. Sentent. diſt. 19. quæſt. 3. art. 2.

opinio, nec decem: [a] Bellarminus, improbans ejus sententiam, contendit ex *Ecclesiæ Romanæ anniversariis sacris pro defunctis*, & ex *visionibus, quosdam, qui centum annos, qui ducentos, etiam qui nongentos* ([b] tot enim effluxerunt ex quo [c] rem viso cujusdam probatam Beda memorat) *illic sunt detenti, tùm detineri adhuc, tùm ad diem usque iudicii detentum iri.* Quin & alios Sanctos, pœna tantummodò damni cruciatos quòd in bonis operibus è vita excesserint, idem [d] Bellarminus, [e] pari ratione, arcet à conspectu Dei & à gaudiis regni cœlestis usque ad diem judicii. Porrò, quos è cœtu fidelium defunctorum Papistę in cœlestium Sanctorum choro locant: eos itidem Deo, ut purgatorianos, precibus commendant. Nam [f] Innocentius Tertius, agens de presbytero non baptizato, *quem mortuum, quia in sanctæ matris ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveraverat, cælestis patriæ gaudium esse adeptum asserit incunctanter, iubet iuges preces hostiásq; Deo pro illo offerri.* Quod ulcus animadvertens [g] Panormitanus videtur hoc emplastro curare voluisse, ut presbyter diceretur *cælestis patriæ gaudium adeptus spe*, non *re*. Verùm Bellarminus agnoscit Innocentium de re loquutum esse. Alioqui falsò [h] affirmaret *eum disertis verbis veritatem adversùs hæreticos propugnare*, [i] *qui opinabantur animas Sanctorum usque ad diem iudicii nec videre Deum, nec beatas dici posse, nisi in spe.* Proinde manifestum est Pontificios gravem injuriam Sanctis facere, qui pro Sanctis orent.

[a] De purgator. lib. 2. ca. 9.

[b] Beda Ecclesiast. hist. gent. Anglor. lib. 5. cap. 12.

[c] Ibid. cap. 13.

[d] De purgator. lib. 2. ca. 7.

[e] Beda Ecclesiast. hist. gent. Anglor. lib. 5. cap. 13.

[f] Cap. Apostolicam. Extra. de presbyt. non baptizato.

[g] Comment. in dictum caput.

[h] De eccles. triumph. lib. 1. cap. 2.

[i] Ibid. cap. 1.

13 Beatam autem Virginem inprimis dedecorant ista quasi labe, quum [k] *salutatione Angelica ad precandum*

[k] Catechism. Trident. de oratione: cap. pro quibus orandum sit.

candum utuntur. Quod enim commune eſt [a] ſalutationibus, Angelus pro ea oravit dicens, [b] *Ave*: haud ſecus atque Chriſtus pro illis quibus dixit, [c] *Avete*, aut, [d] *Pax vobis*. Et quidem non [1] Syriacus modò interpres, ſed etiam [e] Janſenius putat Angelum uſum hac ſalutandi forma Hebræis familiari, *Pax tibi*: pro quo Evangeliſta reddiderit [2] Græca phraſi, *Ave*, id eſt, gaude. Quod utcunque ſe habeat, res eôdem recidit: Angelum oraſſe, ſalutando Virginem, ut Deus eam gaudio & pace cumularet. Fatetur verò [f] Bellarminus ſuos ſupplicantes, *ut Deus locum pacis omnibus in Chriſto quieſcentibus indulgeat*, ſignificatum velle *eos nondum Dei viſione frui*. Similem ergo in modum, quum Beatæ Virgini bene precantur, dicentes *Ave*, eam nondum æternæ beatitudinis gaudium adeptam eſſe innuunt. Et Papiſtæ crebriùs utuntur hac precatione, quàm ulla ceterarum quas pro Sanctis fundunt. Nam [g] Johannes Viceſimus ſecundus inſtituit, ut ter in ſingulos dies tintinnabula ad veſperum pulſarentur, ac tum unuſquiſque ſalutationem Angelicam Divæ Virgini ſacram recitaret, non ſemel tantùm (ex præſcripto [h] Bonaventuræ, quia veſpere ſcilicet ab Angelo ſalutatam ipſam creditum ſit) ſed ter. Quod Papæ inſtitutum [i] olim ſic ubique gentium invaluit, ut cuncti, audito tintinnabuli ſono, confeſtim in veſtigio genua flecterent & orarent. Recentiore autem ævo jam pulſatur, non ſolùm [k] Ave Maria veſpertina, ut vocant, ſed etiam [l] matutina, & [m] meridiana: ac meridie ſemel, manè ter repetitur Angelica ſalutatio. Huc accedit quòd multi præterea [n] qualibet hebdomada *Roſarium B. Virginis* reci-

[a] Matt. 10. 12. Luc. 10. 5.
[b] Luc. 1. 28.
[c] Matt. 28. 9.
[d] Joh. 20. 19.
[1] שלם לכי
[e] Comment. in concord. Evang. cap. 3.
[2] χαῖρε.
[f] De Miſſa, lib. 2. cap. 25.
[g] Polydor. Virg. de invent. rer. lib. 6. cap. 12.
[h] Octavian. Martin. Sueſſan. in vita S. Bonavent. ca. 8. apud Surium, tom. 4.
[i] Ante annos ſeptuaginta: quo tempore Polydorus Virgilius ſcribebat de inventoribus rerum.
[k] Hieron. Zanch. de operib. Dei, part. 1. lib. 4. cap. 11.
[l] Caniſ. de Maria virg. lib. 5. cap. 26.
[m] Coſter. Chriſtianar. inſtit. in gratiam ſodalit. B. Virg. Mar. lib. 1. cap. 22.
[n] Idem lib. eod. cap. 20.

tant

tant ter, sive *Psalterium eius* semel; id est, centies & quinquagies * blaterant *Ave Maria: Rosario* (ita dicto, quasi serto rosaceo, ex odoriferis precum & salutationis flosculis contexto) complectente Dominicam orationem quinquies, atque Angelicam salutationem quinquagies repetitam; hoc verò, ter recitato, efficiente numerum centesimum & quinquagesimum in salutatione Angelica, qui est numerus Psalmorum Davidicorum, unde vocant trinum illud Rosarium *Psalterium B. Virginis*. Quippe Pontificii, post [a] *confraternitatem Rosarii* (turbam deditam huic superstitioni) à Dominico institutam, [b] instituendas curaverunt complures *sodalitates* ad eandem orandi formam celebrandam. Eásq; verisimile est in morem [c] pediculorum per universam terram Ægypti nunc mirificè multiplicatas esse, postquàm Boncompagnus [d] Gregorius Decimus tertius instituit *solenne festum Rosarii B. Virginis quotannis sub duplici maiori officio ab omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus celebrandum & sanctificandum*: ac [e] sodalitatem hanc capessiverunt in illustribus locis, Romæ, Parisiis, Duaci, Coloniæ, non solùm alii cœtus obscuriorum hominum, sed etiam Collegia Societatis Jesu. Proinde quum tam multi, singulis septimanis, precentur *Ave Maria* centies & quinquagies: Papistæ autem omnes, diebus singulis, septies; & annis singulis, quis scit quoties? in festo Rosarii; nec pro reliquis Sanctis devotionem similem toties exerceant: restat Pontificios magis esse injurios in beatam Virginem, quàm in quenquam alium omnium Sanctorum.

14 Quid? De justo eorum honore & gloria nónne multũ minuunt, dum [f] vetant ne Biblia, in quibus Angelorum,

* Βαττολογῆσαι. Matt. 6. 7.

[a] Coster. ibid.

[b] Offic. Rosarii B. Virg. lect. 4 5. 6. & 7.

[c] Exod. 8. 17.

[d] Septimi Decretalium lib. 3 tit. 9. cap. 3.

[e] Coster. epist. ad universam Sodalitat. B. Virg. Mariæ: præfixa libello Sodalitatis.

[f] Conc. Trident. Sess. 22. cap. 8. & can. 9.

gelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, aliorúmq; Sanctorum facta, dicta, adjuncta, divinitus nonnullorum ex ipſis manu ſcripta ſunt, legantur in Eccleſia publicè lingua vulgari; aut [a] privatim cuiquam, paucis exceptis, legenda permittantur? Nam [b] gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude. Idcirco Siracides, agens de Sanctis gloriam adeptis, [c] *Sapientiam*, inquit, *eorum narrant populi, & laudem eorum enuntiat Eccleſia*. Sapientiam autem & laudem Enochi, Noæ, ceterorum, quibus palmam fidei ac pietatis tribuit, non [d] Siracides ſolùm, ſed etiam [e] Apoſtolus, quàm pauci celebraverunt inter Pontificios Eccleſiæ Chriſtianæ populos? quorum plerique ex Pontificiis inſtitutis in tanta ignorantiæ caligine cuſtoditi ſunt, ut non magis cognitas habuerint virtutes illorum hominum Dei, quàm [f] Poetæ verſum,

Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

Et quo pacto poterant [g] uxores fidelium obedientiam Saræ, aut [h] fideles cuncti Abrahami veſtigia ſequenda ſibi proponere, & [i] Prophetas ſumere pro lenitatis exemplari; quæ magno cum honore Saræ, Abrahami, atque Prophetarum præſcribit Spiritus ſanctus: quum innumerabiles non modò fœminæ, ſed & viri, Pontificiorum paſtorum, vel luporum potiùs, ſævitia ſic è Scripturarum paſcuis profligati ſint, ut mirum ſit ſi nôrint quod genus hominum Prophetæ eſſent, aut ecquis Abrahamus, ecqua Sara fuiſſet unquam? Legere verò ſcripta cujuſquam Apoſtoli, aut Evangeliſtæ, vulgo interdictum eſt ſub gravi pœna, inſtar [k] anathematis: opinor, quò juſtiùs à novis Phariſæis, quàm à veteribus, dici poſſet; [l] *Turba*

[a] Index libror. prohibitor. confectus à Deputat. Trident. Synod. & à Pio IV. approbat. regula 4.
[b] Cic. lib. 2. de invent. Auguſtin. tract. 100. & 105. in Evang. Iohann.
[c] Eccli 44. 15.
[d] Eccli 44. 16. & ſequentib.
[e] Heb. 11. 4. & ſequentib.
[f] Virg. Æneid. lib. 7.
[g] 1. Pet. 3. 6.
[h] Rom. 4. 12.
[i] Iac. 5. 10.
[k] Ioſ. 6. 21. & 7. 12.
[l] Ioh. 7. 49.

ba hæc non novit Legem, execrabiles ſunt. Certè [a] de nonnullis tanquam hæreticis inquiſitum eſt, *an legiſſent ſacram Scripturam contra Eccleſiæ determinationem* : & multi in periculum vitæ ſunt vocati, quòd vel audiviſſent alios legentes, non modò ſi legiſſent ipſi, Evangelium, aut Acta Apoſtolorum, Epiſtolámve aliquam, aut Apocalypſin. Quorum è numero [b] quidam hæreſeos pœnam ſubiturus, quum videret Apocalypſin ad palum alligatam, ut unà ſecum exurendam; quippe quam fortaſſe legerat cupidiùs ob divinum elogium, [c] *Beatus qui legit, & qui audiunt verba prophetiæ huius, & obſervant ea quæ in ea ſcripta ſunt*; ſed quum id videret, elata voce dixit: *O beata Apocalypſis, quàm bene mecum agitur qui comburar tecum?* Fortaſſe, quia libri illi, quos legebant, lectóſve audiebant, ab hæreticis verſi erant, dicet quiſpiam. Equidem in iſtam ſententiam facilè propendêrem, niſi hodie quoque viderem [d] Pontificios ſuis interdicere, ne Biblia vel à Catholicis autoribus verſa legant, niſi hoc eis Epiſcopus, aut Inquiſitor, cum conſilio Parochi, vel Confeſſarii, conceſſerit, ac facultatem in ſcriptis dederit. Uſque adeò, ut Regularibus item id ipſum interdictum ſit, niſi facultatem à Prælatis ſuis habuerint. Et tamen honorificum fore Matthæo, Lucæ, Jacobo, Johanni, ceteríſq; ut à plurimis legantur & audiantur, quis ignorat? Niſi fortè judicabimus ad honorem [e] Mariæ facere, quòd [f] ejus erga Chriſtum beneficentia commemoranda dicitur in quocunque mundi totius loco prædicatum fuerit Evangelium: Evangeliſtis autem honori non eſſe, quòd ut & hujuſce, & reliquę totius diviniſſimæ Chriſti hiſtoriæ ſcriptores, in quocunque loco degit diſperſa

[a] Io. Fox. hiſt. ecc'eſ. ex regiſtro Iō. Longland. epiſc. Lincoln.

[b] Londini ſub Tonſtall. epiſcop. Idem ibid. ex teſtimonio D. Rob. Outredi.

[c] Apoc. 1. 3.

[d] Ind. libror. prohibitorū, edit. à Pio IV. reg 4.

[e] Ioh. 11. 2. & 12. 3.

[f] Matt. 26. 13. Marc. 14. 9.

ſa Eccleſia, celebrantur. Aut [a] Ciceronem aptè pronuntiaſſe de orationis Galbæ epilogo; *Tanto in honore, pueris nobis, erat, ut eum etiam ediſceremus*: Apoſtolorum verò ſcripta ſi cujuſvis ætatis, ſexus, ordinis homines ediſcant, non tamen hoc honorem eorum illuſtrare.

[a] De clar. oratorib.

15 At vulgaribus tantùm linguis vetant, inquies, Scripturas vel privatim ab omnibus paſſim legi, vel publicè in Eccleſia: ſed in eccleſiaſticis officiis à paſtoribus ſeu Parochis Latinè, à theologis autem doctíſq; laicis Latinè, Græcè, aut Hebraicè, vel præcipiunt eas legendas, vel permittunt. Immò verò Parochis tam pauca & puſilla earum quaſi fruſta in Breviariis ſuis recitanda præſcribunt, ut nec ipſi laudes Sanctorum, de quibus dixi, [b] fidem Abrahami, [c] obedientiam Saræ, & [d] Prophetarum lenitatem celebrare ſoleant. Quod etſi [e] Cardinalis Quignonius obſervavit, & ex parte correxit, in Breviario Romano à ſe reformato; ubi [f] conqueſtus eſt *diſceſſum antea fuiſſe à ſanctiſsimis vetcrum Patrum inſtitutis, propterea quia libri ſacræ Scripturæ, qui ſtatis anni temporibus legendi erant more maiorum (ut eſt in* [g] *monumentis Gelaſij Papæ, & Concilij Romani LXX. epiſcoporum) vix dum incepti omittuntur in alio Breviario:* tamen [h] Pius Quintus, iſtam Cardinalis correctionem corrigens in Breviario novo, diſceſſit rurſum à veterum Patrum inſtitutis; capitáq; illa ſacræ hiſtoriæ de fide Abrahami, obedientia Saræ, & multa ſimilia de Prophetis, quæ reſtituerat Quignonius, ex Parochorum libris & oculis amovit. Theologos autem quàm inſigniter in Bibliorum lectione exercendos curent, teſtes ſunt labores ſuſcepti à clariſſimo Theo-

[b] Gen. 15. 6.
[c] Gen. 18. 12.
[d] Moſis, Michææ, Ieremiæ, & aliorum.
[e] Breviar. Roman. ex ſacra potiſſimùm Scriptura & probat. Sanctor. hiſt. confect.
[f] Præfat. ad Paulum III. in Breviar. à ſe recognit.
[g] Ivo Carnot. Pannorm. li. 2. cap. 90. Gratian. diſt. 15. cap. Sancta Romana.
[h] Breviar. Roman. ex decreto Conc. Trident. reſtitut. Pii V. iuſſu edit.

Theologorum Parisiensiũ collegio, Sorbona, adversùs Novum Testamentum à Colinæo excusum: & conflictus varii, habiti ab ipsis cum Roberto Stephano qui typographiæ Colinæi præerat. Nam in iis, [a] quum Stephanus interrogaret Theologos, quo loco Novi Testamenti aliquid esset scriptum; respondebant, *se illud apud Hieronymum, aut in Decretis legisse; quid verò Novum Testamentum esset, ignorare:* ignari scilicet à tergo Veteris Testamenti Novum imprimi solere. Atque adeò quidam ejusdem Collegii quotidie [b] sub id tempus sic loqui solitus est; *Miror quòd isti iuvenes allegant nobis Novum Testamentum:* * *per diem, ego habebam plus quàm quinquaginta annos quòd nesciebam quid esset Novum Testamentum*. Quòd si Sorbona, [c] quæ gloriatur se primogenitam esse Papæ filiam, [d] unde perpetua successione excellentes theologi prodiere, [c] ubi æstate per singulos dies Veneris respondetur à quinta matutina ad septimam vespertinam sine præside, sine socio, sine prandio & pastu, donec cunctis opponentibus satisfactum sit, tam diu talis canis fuerit in præsepi: quanto minùs reliquos theologos Pontificios, vel ipsos in legendis Bibliis exerceri, vel alios exercendos optare, est credibile? Et sanè ex eadem Sorbona testis locuples, qui tamen hac in causa Sorbonam parum sapit, nisi Sorbona se ipsam sapere desiit, sed ex ea [f] Theologus minimè suspectus testatur inter Episcopos Pontificios esse qui Scripturarum lectionem tam periculosam judicent, ut ab ea præ metu abstineant caveántq;, ne sic fiant hæretici: *quasi verò*, inquit, *hæreses ex Scripturarum studio, ac non potiùs ex neglectu & ignorantia nascantur*. Ex quo est facile divinatu quid laici, quantum-

[a] Robert. Stephan. resp. ad censur. Theologor. Paris. in præfat.

[b] *Ante paucos annos*, inquit Robertus Stephanus: cuius responsio (in qua hoc refert) edita est anno Dom. 1552.

* Iuramentum Sorbonicum.

[c] Rober. Stephan. resp. ad censuras Theologor. Paris. poster. artic. 106.

[d] Papir. Masson. annal. lib. 3.

[e] Genebrard. chronogr. lib. 4. anno Dom. 1315.

[f] Claudius Espencæus, in epist. ad Tit. cap. 1.

vis

vis docti & periti Latinè, Græcè, aut Hebraicè, putent inter ipſos ſe tutò facere poſſe: præſertim quum Hiſpanica quæ dicitur Inquiſitio, facta jam [a] Italica propemodum æquè ac Hiſpanica, & [b] Belgio pridem imminens, ubicunque ſedem præterea poſuerit, in omnes, qui de hæreſi ſuſpecti ſunt, Harpyiam agat. Quanquam ſi permitterent eruditis laicis id quod præcepit [c] Deus regibus Iſraelis, & Iſraelitis omnibus voluit licere, ut [d] de lege illius meditentur interdiu ac noctu: tamen quum ex viris vix milleſimus quiſque, ex fœminis autem nec milleſima Latinè intelligat, & Græcè Hebraicéve multo pauciores; Sancti longè aberunt à claritate & gloria quæ Davidi contigit, quo tempore [e] fœminæ prodeuntes ex omnibus civitatibus Iſraelis canebant, *Percuſſit Saul millia ſua, at David myriadas ſuas*. Papiſtæ igitur, prohibendo ne Biblia legantur linguis vulgaribus, quodammodo etiam ne Latina aut alia quacunque, vel publicè in Eccleſia, vel à quibuſvis privatim; Sanctorum honorificam recordationem famámq; multipliciter imminuunt & obſcurant.

[a] Onuphr. & Caten. in vita Pii V. Cicarell. in vita eiuſd. & Sixti V.

[b] Sleidan. cõment. lib. 22.

[c] Deut. 17. 19. Ioſ. 1. 8.

[d] Pſal. 1. 2.

[e] 1. Sam. 18. 5.

16 Denique lectiſſimos illos Dei ſervos, quos [f] Chriſtus eſt pollicitus ſeſſuros in duodecim thronis, atque judicaturos duodecim tribus Iſrael, Papiſtæ de ſupremo dignitatis ſuæ faſtigio deturbant. Exſtat [g] initium diſceptationis inter Græcum quendam & Cardinales Romanos habitæ: ubi Cardinalibus, affirmantibus *Petrum fuiſſe primum Eccleſiæ Romanæ paſtorem*, reſpondet Græcus, *hoc, quod ipſi ad honorem* [h] *forſitan Petri introducunt, converti potiùs in contrarium*. Bene ſanè Græcus, quòd enuntiatum ſuum temperavit inſerta voce *forſitan*: Cardinales enim id introducunt ad hono-

[f] Matt. 19. 28.

[g] Append. Nili de primatu Papæ: edit. à Bonavent. Vulcan. ex Bibliotheca Vaticana.

[h] Τάχα.

honorem Papæ, non Petri. Sed meliùs, quòd asseruit Petri [1] honorem ita lædi potiùs: sicut rationibus additis ostendit. Quippe, *& orbis doctorem, qui initio prædicationis à Iudæa facto apostolatus cursum Romæ consummavit, ista ratione solius Romæ doctorem fieri: & promissionem Christi Petro factam, de cuncta fidelium Ecclesia super eius doctrinam ædificanda, ad solam Romam coarctari*. Quapropter, utut Petrum cognomento principis Apostolorum ornent Pontificii verbo; revera illum omni prorsus dignitate Apostolatus exuunt: quando, quem Christus [a] proficiscí jussit in mundum universum, & prædicare Evangelium omni creaturæ, eum ipsi [b] proprium Ecclesiæ Romanæ pastorem & Episcopum fuisse pronuntiant.

[1] Ποίαν τιμὴν ὁι ταῦτα καὶ φρονοῦντες καὶ λέγοντες τῷ κορυφαίῳ τῶν Ἀποστόλων χαρίζονται, ὑμεῖς συλλογίζεσθε.

[a] Marc. 16.15.

[b] Bellarm. de Rom. Pont. lib. 2. cap. 4.

17 Pari impietate, cur enim leniore utar vocabulo, quum ad homines errorum suorum poculo inebriandos Scripturas [2] falsa & violenta interpretatione (ut rectè animadvertit Græcus ille) torqueant? pari igitur impietate Pius Quintus ceteros Apostolos omnes deprimit; dicendo, [c] *Regnans in excelsis, cui data est omnis in cœlo & in terra potestas, unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, extra quam nulla est salus, uni soli in terris, videlicet, Apostolorum principi Petro, Petrique successori, Romano Pontifici, in potestatis plenitudine tradidit gubernandam.* Nam Christus, postquàm dixerat [d] undecim discipulis, [e] *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*; subjunxit, [f] *Profecti ergo docete omnes gentes:* Apostolisq; omnibus delegavit suum officium, his verbis; [g] *Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos. Omnium* autem *gentium* appellatione si notetur aliqua particularis Ecclesia,

[2] Παραγραμματεύειν παραβιάζεσθαι.

[c] Pii Papæ V. Sententi. declarator. contr. Eliz. Angl. Regin.

[d] Matt. 28. ver. 16. [e] ver. 18. [f] ver. 19. [g] Ioh. 20. 21.

Eccleſia, non univerſa & Catholica: quanto minùs poterit Pontifex oſtendere Catholicam Petro traditam ex cura [a] *ovium* & *agnorum* ei mandata, ſine appoſitione dictionis *Omnium*? In poteſtatis verò plenitudine commiſſam eſſe gubernandam, ut Petro, ita ceteris, adeò luculentè declarant verba Chriſti: ut diſertè illinc adſtruat [b] Janſenius *Chriſtum ſuam eis functionem tradidiſſe cum plena ſibiq; propria poteſtate, quæ ad illam functionem Chriſti nomine obeundam erat neceſſaria, poteſtate ſcilicet remittendi & retinendi peccata; perinde atque reges legatis ſuis plenam poteſtatem committere ſolent, promittentes ſe ratum habituros, quicquid illi agerent rationabiliter*. Sed Apoſtoli multum debent Pio Quinto, qui, zelo ſui ipſius atque Sedis ſuæ tanquam œſtro percitus, majorem tribuit poteſtatem Lino, Cleto, Clementi, Epiſcopis Romanis, quàm Johanni Apoſtolo. Et [c] Euſebius cenſura Conſultorum Sacræ Congregationis Jndicis expurgatorij caſtigandus eſt, quód dicat in hiſtoria temporis Trajani; *Clemens Romanam gubernabat Eccleſiam: at Iohannes Apoſtolus, adhuc in Aſia vitam traducens, Eccleſias ibi adminiſtravit*. Nec enim ſine gravi Papatus periculo docebuntur homines, unius urbis Eccleſiam adminiſtratam à Clemente: à Johanne autem Eccleſias complures; eáſq; variarum provinciarum. Conſultius ergo foret Euſebiana verba corrigere hunc in modum; Clemens ſolus unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, extra quam nulla eſt ſalus, in poteſtatis plenitudine gubernabat: Eccleſiæ verò, quas Johannes Apoſtolus adminiſtravit, vel ab eo gubernabantur ut Clementis [d] vicario diœceſeos Aſianæ; vel erant hære-

[a] Ioh.21.15.

[b] Comment. in concord. Evang.cap. 147.

[c] Hiſt.eccleſ. lib.3.cap.16. Chriſtophorſ. interpr.

[d] Cod. de diverſis officiis. l.ult.Notit. dignitat.Imper.orient. cap.122.

hæreticæ, aut ſchiſmaticæ.

18 Ceterùm ex iſtis, quæ ſummatim attigi, appâret Pontificios honorem debitum detrahere Apoſtolis, Evangeliſtis, Prophetis, Patriarchis, aliiſq; fidelibus, ac Beatæ Virgini; omnibus demum Sanctis, tûm Angelis, tûm hominibus mortuis. Itaque frigidiùs remiſſiúſq; juſto agere mihi videar, ſi ad eos accõmodem Apoſtoli dictum de Judæis: [a] *Neque Deo placent, & omnibus hominibus adverſantur.* Nam & Deum ſuis idololatriis horribiliter offendunt: nec hominibus tantùm electis, verùm etiam Angelis, injuriam minuendo ipſorum honore faciunt. [a] 1. Theſ. 2. 15.

CAP. IX.

Proteſtantes falſò à Bellarmino accuſari dedecoris per contumeliam Sanctorum mortuorum reliquiis illati. Eáſq; à Papiſtis turpiter tractari.

DOna Spiritus ſancti, quæ Deus in Eccleſiam ſuam effundit, certis quaſi gradibus creſcunt & augentur; principio tenuiora, uberiora paulo pòſt, ad extremum verò invaleſcentia maximè: ut [b] Propheta edoctus eſt aquarum typo è Dei domo exeuntium, quæ primò talares erant, mox genua pertingebant, deinde lumbos, poſtremò tranſiri non poterant; & [c] Chriſtus indicat parabola unius minæ auctę ad decem, etiam ad undecim, addito elogio, *Omni habenti dabitur.* Quàm contrario planè modo ſe res ha- [b] Ezek. 47. 1. [c] Luc. 19. 13.

[a] 2.Tim. 3.13. beat in Eccleſię hoſtibus, declarat [a] Apoſtolus, quum affirmat eos in pejus proceſſuros: & Bellarminus in hac unica de Sanctis controverſia locupletiſſimum documentum præbet. Nam improbitate magis magiſq; augeſcente [b] aſſerit Sanctorum mortuorum reliquias & corpora, non modò nullo cultu & honore à noſtris affici, ſed etiam dedecore ignominiáq; vexari contumelioſè. Quippe, *Lutheranos atque Calviniſtas Eunomij, Vigilantij, Conſtantini Copronymi, Claudij Taurinenſis, & VVicleſiſtarum hæreſin de reliquijs delendis excitaſſe:* prout è *Luthero, Magdeburgenſibus,* & *Calvino,* quia Pontificium reliquiarum cultum improbant, confectum vult videri. *Calviniſtas* autem *porrò reliquias Sanctorum exurere, ubicunque poſſunt, & cineres in flumen abiicere: adeóq; in Gallia, anno M.D.LXII. Sanctorum Irenæi, Hilarij, & Martini corpora ab illis effoſſa, & cremata, & in profluentem proiecta fuiſſe, ut refert Surius. Quod idem,* inquit Bellarminus, *eodem in loco corporibus aliorum Sanctorum fecerant Ethnici ante annos M.CCCC. Nam, ut ſcribit Euſebius libro quinto hiſtoriæ, capite tertio, Ethnici Martyrum reliquias igni abſumtas in Rhodanum abiecerunt. Vt hinc nimirum intelligamus, quanta ſit Calviniſtarum cum Ethnicis cognatio ſacrilegiorum atque perfidiæ.* Verùm iſta canit Bellarminus ſuis: qui dictata ipſius & Surii ſic accipiunt, ut Ethnici Dodonæa & Delphica oracula. Nobis, quibus licet in Jovis & Apollinis verba inquirere, contrà uſu venit: ut hinc nimirum intelligamus, quanta ſit Papiſtarum cum mendacibus ſpiritibus cognatio calumniarum atque malitiæ. Siquidem honorem corporibus Sanctorum haberi

[b] De eccleſ. triumph. lib. 2. cap. 1.

oportere

oportere consentiunt omnes nostri: etiam Calvinistæ. Subscripserunt enim unanimes huic sententiæ: [a] *Fidelium corpora, ut Spiritus sancti templa, & quæ in ultimo die rectè creduntur resurrectura, iubet Scriptura honestè absque superstitione humo mandare.* Atqui honestè sepelire corpora, est ea honorare: sicut [b] Bellarminus docet è Scriptura, & Hieronymo, dicens; *Deuteronomij ultimo, Deus ipse (ut Hieronymus contra Vigilantium argumentatur) corpus Mosis honoravit, dum illud propriis manibus sepelivit.* Nostri igitur omnes honorari debere Sanctorum corpora consentiunt. Ac Mosis, [c] viri Deo longè acceptissimi, quo nihil habuit antiqua ætas mitius, sapientius, sanctius, teste [d] Bellarmino, corpus nullo alio honore est affectum, quàm ut [e] sepeliretur. Ita quem honorem haberi voluit Deus sanctissimi viri corpori: eum corporibus omnium Sanctorum habendum statuunt nostri.

[a] Harmon. confess. fid. sect. 16. Helvet. poster.

[b] De eccles. triumph. lib. 2. cap. 3.

[c] Num. 12. 7.

[d] Præfat. de eccl. triumph.

[e] Deut. 34. 6.

2 Nec verò adversantur huic assertioni testimonia Lutheri, Magdeburgensium, Calvini, à Bellarmino producta. Etenim honorem & cultum Pontificium ac superstitiosum reliquiis illi denegant, ut [f] antè declaravi: sed pium & Christianum honorem non denegant. Immò Lutherus iis ipsis verbis quæ Bellarminus citat è Sermone de cruce, *reliquias* nempe *altissimè sub terram abscondendas*, quid aliud aliorum Sanctorum corporibus faciendum censet, quàm divinitus corpori Mosis factum est? Magdeburgenses item, qui passim reprehendunt cultum reliquiarum, sed præcipuè Centuria quarta, capite sexto, columna 456. ut ait Bellarminus: nónne ibidem evidenter indicant reliquias honorificè humandas sibi videri?

[f] Cap. 1. §. 10. & 11. Cap. 2. §. 2.

Nam, *In ſeculis*, inquiunt, *ſuperioribus de tranſlatione reliquiarum Sanctorum & veneratione earundem nihil apud probatos autores reperimus.* Unde manifeſtum eſt *venerationis*, quam condemnant, nomine, honorem ſepulturæ non condemnari: quandoquidem in ſeculis ſuperioribus repererant, [a] Martyrum corpora reverenter & honeſtè ſepulta; [b] piósq; hoc officium præſtare voluiſſe Polycarpi oſſibus in rogo extincti; & [c] Stephani corpori præſtitiſſe. Denique [d] Calvinus affirmat *ſepulturam honorem eſſe debitum corporibus Sanctorum*: & [e] eos qui honeſtè ſepelienda curârunt priſcorum Martyrum corpora, ut [f] Stephani, & [g] Johannis Baptiſtæ, pro exemplo nobis imitando proponit. Quum ergo tam diſertè perſpicuéq; doceant noſtri Sanctorum reliquias honorandas eſſe: ne Timotheus quidem in bono diligentiùs implevit illud Apoſtoli, [h] *Sit* [1] *profectus tuus manifeſtus inter omnes*; quàm Bellarminus [2] in malo.

[a] Cent.3.ca.6. col.138.
[b] Cent.2.ca.4. col.50.
[c] Cent. 1.li.2. ca.6.col.504.
[d] Comment. in act.Apoſt. cap.8.
[e] In admonit. de reliquiis.
[f] Act. 8.2.
[g] Matt.14.12.

[h] 1.Tim.4.15.
[1] Προκοπὴ.
[2] Προκόψασιν ἐπὶ τὸ χεῖρον. 2.Tim.3.13.

3 Quanquam progreſſus ejus in *Eunomij*, *Vigilantij*, *Copronymi*, *Claudij*, & *VVicleſiſtarum* nominibus ingerendis, nihil magnopere habet ſingulare. Etenim eandem nobis in Eunomio calumniam impingit, quam [i] antè refutavi. [k] Eandem Vigilantio item, & nobis. In Copronymo novus eſt: & plus artis adhibet. Nam [l] Suidas ſcribit *eum iuſſiſſe reliquias διαπτύεσθαι, conſpui*, ut [m] interpretes reddunt: hoc eſt, [n] cum ignominia & dedecore tractari contumelioſè. Bellarminus autem à Suida ſcriptum aſſerit, *eum iuſſiſſe reliquias deleri*: quò ſub ambigua voce perſtringantur noſtri, qui humo quidem condi corpora Sanctorum, etſi reverenter, at humo tamen condi volunt. Jam Claudium accuſat hæreſis è Jona, & Wicleſiſtas è Wal-

[i] Cap.8.§.3.
[k] Cap.eod.§. 4.& ca.6.§.5.
[l] Vocabulo, Κωπρωνύμος.
[m] Hieron. Wolf.in hiſtoricis Suidę: & Gul. Xyland. in Cedreni compend. hiſtor.
[n] Matt.26.67. & 27.30.

è Waldenſe; ſed nec Wicleſiſtarum, nec Claudii verba memorat: quæ ſi memoraſſet, appareret corporum Sanctorum deſpicientiam falſò illis objici. Claudius enim diſputans adverſus quoſdam qui ex Sanctis idola faciebant,[a] ait, *Sanctos certè, ſi adorandi fuiſſent, adorandos potiùs fuiſſe vivos, quàm mortuos: ubi Dei*, inquit, *ſimilitudinem habent, non ubi pecorum, vel, quod verius eſt, lapidum, ſive lignorum, vita, ſenſu, & ratione carentium*. Qua comparatione cadaveris humani cum lapide & ligno admonentur cuncti mortales, etiam ſanctiſſimi, conditionis ſuæ: ſed abſque contumelia. Niſi fortè hujuſmodi notam Spiritui ſancto inuremus, quia dicit [b]hominem, ſecundum corpus, creatum eſſe pulvereum è terra: & poſtquàm ſeparatur anima à corpore [c]pulverem redire in terram quemadmodum fuerat. Tamen nullum aliud indicium habet Jonas, quo demonſtret Claudiũ corpora Sanctorum deſpectui habere. Wicleſiſta verò quidam *iudicialiter confeſſus eſſe* [d] fertur, *quòd reliquiæ Sanctorum, id eſt, carnes & oſſa hominum mortuorum, non debent à populo venerari, nec de monumento fœtido extrahi, nec in capſa aurea vel argẽtea reponi*. Ubi Pontificius ritus venerandi reliquias improbatur; is, de quo [e]Eraſmus ad Thomæ Cantuarienſis narrat, *Dictu mirum, quantum oſſium illic prolatum ſit, calvariæ, menta, dentes, manus, digiti, integra brachia, quibus omnibus adoratis fiximus oſcula; nec erat futurus finis, niſi comes eius peregrinationis, quum prolatum eſſet brachium adhuc carnem habens ſanguinolentam, huius oſculum exhorruiſſet, ac vultu quoque tædium quoddam præ ſe tuliſſet*: iſta, inquam, veneratio reliquiarum improbatur

[a] Apud Ionã. lib. 1. de cultu imaginum.

[b] Gen. 2. 7.

[c] Eccleſ. 12. 9.

[d] Apud Waldenſem, tom. 3. tit. 14. cap. 128.

[e] In colloq. peregrinat. religion. ergô.

batur verbis Wicleſiſtæ; ſed nihil dicitur quo probetur ille cenſuiſſe reliquias Sanctorum ignominioſè tractari oportere. Quòd ſi tûm ipſius tûm Claudii judicio omnis prorſus honor Sãctorum corporibus denegatus eſſet: debebat Bellarminus conjungere Lutheranos atque Calviniſtas cum Jona potiùs & Waldenſe; quàm hæreſin à Waldenſe & Jona oppugnatã iis attribuere. Nam corpora Sanctorum non eſſe contemnenda & abjicienda, ſed officioſè & honorificè ſepelienda, ex [a] Auguſtino diſputant [b] Jonas & [c] Waldenſis. In quo noſtros omnes aſſentientes habent. Itaque multiplices calumnias conſuit Jeſuita in objicienda noſtris Eunomij aliorúmq; hæreſi: ſed adeò uſitatas in ſingulis ferè controverſiis, ut citiùs expedierim [d] Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno, quàm quot iſte talibus pilulis nos enecet.

[a] De civit. Dei, lib. 1. cap. 13.
[b] De cultu imagin. lib. 1.
[c] Tom. 3. tit. 14. cap. 128.
[d] Iuv. ſat. 10.

4 Illud rarioris eſt, partim impudentiæ, partim aſtutiæ, quòd ait *Calviniſtas reliquias Sanctorum exurere, ubicunque poſſunt, & cineres in flumen abiicere*; addens, *Et notandum ſanè anno M. D. L X I I. à Calviniſtis corpora Sanctorum Irenæi, Hilarij, & Martini effoſſa, & cremata, & in profluentem proiecta fuiſſe, ut refert Surius: quod idem eodem in loco corporibus aliorum Sanctorum fecerant Ethnici ante annos M. C C C C. ut ſcribit Euſebius*. Quippe, quod [c] præfatus erat Calviniſtas facere *ubique*, & hîc affirmat facere *ubicunque poſſunt*: id non ſolùm fingit & ementitur inſigniter, ſed etiam abſque omni probatione ac teſte. Et tamen, ut probaſſe quodammodo videatur, adjungit teſtimonium Surii narrantis id in Gallia factum: quod, tanquam elegiſſet exemplum unum è multis, notari jubet, ut illuſtre, ſimillimúmq;

[c] Supr. cap. 2.

númq; ſcilicet facto Ethnicorum. Ceterùm Calviniſtas falſò perhiberi id facere, vel ubique, vel ubicunque poſſunt, Oxonienſes noſtri (ne longiùs abeam) teſtes ſunt: qui [a] S. Frideſwidæ reliquias non exuſſerunt, nec abjecerunt in flumen, quum poſſent, Calviniſmo regnante, ut loquitur [b] Bellarminus; ſed [c] honorificè humatas & conſepultas adhuc ſervant.

5 *Sanctorum* autem *corpora à Calviniſtis effoſſa eſſe in Gallia anno M. D. L X I I.* mirificum ſit portentum: quum effoſſa priùs fuerint à Papiſtis, de more, quo requiritur eorum [d] exhumatio ad Pontificium cultum; quemadmodum Calviniſtę, id improbantes, indicant. Nam [e] Viretus anno M. D. L I I. *Vos*, inquit, *idololatræ* (Papiſtas alloquitur) *ut Sanctos veneremini, id erga ipſos agitis, quod* [f] *Deus hoſtibus ſuis minatur, & tanquam indignos ſepultura effoditis*. Et [g] aliquot annis antea [h] Calvinus ipſe *Chriſtianorum eſſe* admonuerat, *Sanctorum corpora in ſepulcris ſuis relinquere: ex quibus effoſſa ſunt à Pontificiis, ut magnificè extollerentur*. Quid igitur? Num Surius refert Irenæi, Hilarii, & Martini corpora effoſſa eſſe à Calviniſtis? Non; ſed Bellarminus mentitur hoc de Surio: nequis eum pejùs cum adverſariis agere, quàm cum ſuis, autumet.

6 At *cremata* ſaltem *à Calviniſtis fuiſſe, & in profluentem proiecta, refert Surius*. Ne hoc quidem de profluente. Sed vidit Bellarminus ſe poſſe Calviniſtas cum Ethnicis apud Euſebium ſcitè comparare, ſi ad reliquas Surii calumnias hæc adjiceretur. Et *Martini* quidem *cineres* ait Surius *in aerem diſperſos eſſe*. Aeris autem in aquam mutatio levis eſt.

[a] Martyrolog. Rom. Octobr. 19. Matth. Pariſ. in Henrico 1.
[b] De Rom. Pont. lib. 5. cap. 7.
[c] Io. Fox. hiſt. eccleſiaſt. Ioſ. Simler. orat. de vit. & obit. Petri Mart.
[d] Thom. Waldenſ. tom. 3. tit. 14. ca. 128.
[e] De orig. ver. & nov. idololatr. li. 5. ca. 4.
[f] Eſai. 14. 19. Ier. 8. 1.
[g] Sleidan. comment. lib. 15.
[h] Admonit. de reliquiis.

[a] Iuv. ſat. 1.

[a] *Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,*
Si vis eſſe aliquis.

At ſine controverſia *Surius pronuntiat eos combuſsiſſe Martini, Irenæi, Hilariiq; oſſa.* Pronuntiat, fateor; & cum adjuncto: nam, *Hæc more ſuo combuſſerunt,* inquit. In quo ſeipſum arguit mentiri more ſuo. Idcirco enim dicit Calviniſtas iſtuc feciſſe more ſuo, quoniam antè dixerat eos combuſſiſſe cadavera variorum Principum & procerum. Quàm verè; teſtimonio ſit ille, quem in primis atrocitate hujus dedecoris & injuriæ nobilitat, his verbis: [b] *Ipſum cadaver regis Franciſci, eius nominis ſecundi, qui frater fuit Chriſtianiſsimus æquè Chriſtianiſsimi regis Caroli, iam in Gallia regnantis, in æde S. Crucis conditum combuſſerunt, animi crudelitatem in extinctum declarantes, quam in vivum non poterant. Is enim pius adoleſcens Aureliæ deceſſerat, quum illic ageret conſultandi cauſa, quibus rationibus regni ſui calamitatibus poſſet mederi.* Nempe hinc appâret Surium putaſſe, adoleſcentem eo loco, ubi obiit, ſepultum: ac inde auſum dicere, in æde S. Crucis, id eſt, in primario Aureliæ templo conditum, combuſtum eſſe à Calviniſtis. Atqui ejus regii adoleſcentis corpus Dionyſiano majorum ſepulcro eſt illatum, ut [c] hiſtorici Galli uno ore tradunt: nominantes etiam Sanſacum, & Broſſæum, qui officium ei in Sandionyſium Aurelia deportando præſtiterint. Calviniſtæ igitur iſto *more ſuo*, quo Franciſci regis corpus combuſſerunt, cremarunt oſſa Irenæi, Hilarii, & Martini. Quæ fortaſſe nihilo magis aſſervata ſunt in urbibus Lugduni, Pictavii, & Turonum, quàm Franciſci regis corpus Aureliæ: ſed ſi ſint aſſervata, perinde certè à Calvi-

[b] Frat. Laurent. Sur. Carthuſ. comment. brev. rer. in orbe geſtar. anno Dom. 1562.

[c] Popelin. hiſt. Gall. lib. 6. Hiſt. eccleſiaſt. Eccleſiar. reform. in Gall lib 4. Belforeſt. hiſt. Gall lib. 6. cap. 91. Io. Til. comment. de reb. Gall. lib. 1.

Calviniſtis cremata ſunt, ac Franciſci. Hujus rei autores habeo Pontificios in Gallia degentes, fide digniores Surio in Carthuſia Colonienſi morante. Namque [a] Feuardentius, theologus Pariſienſis, in Calviniſtas itidem affectus ut Surius, affirmat *eos Irenæi oſſa effodiſſe de requie ſepulturæ; thecarum aurum diripuiſſe; reliquiarum partem aliam in profluentem demerſiſſe, aliam, capitis nempe cranium, pilæ more pedibus protruſiſſe, & per vicos plateaſq; tota die deluſiſſe; id in rivulo derelictum, à catholico quodam chirurgo clam ſurreptum, & domi abditum eſſe: denique Catholicos, urbe recuperata, ad domum, in qua reliquias latêre didicerant, properaſſe; oſſa collegiſſe; ad Eccleſiam nomini Irenæi ſacram reverenter detuliſſe, & aſſervanda collocaſſe.* Ac, nequis teſtimonio ejus parum deferat, *Hæc*, inquit, *ut maiorem apud poſteros fidem haberent, curaverunt diligenter in acta publica referri, à quibus nos hæc accepimus.* Unde ſatis liquidò convincitur Surius mendacii, qui cremata fuiſſe Irenæi oſſa à Calviniſtis aſſerit.

[a] In vita D. Irenæi.

7 Interim, dicet quiſpiam, patet Calviniſtas illius oſſa tractaviſſe contumelioſè. Crederem, niſi teſtes hac ex parte fidem ſibi derogarent. *Calviniſtas* enim affirmant *ea effodiſſe de requie ſepulturæ, & thecarum aurum diripuiſſe.* Quid? Num ergo in theca aurea ſepultus fuit Irenæus? nec in una modò theca, ſed in pluribus? An ſacrilegi potiùs Papiſtæ non ſiverunt ipſius oſſa requie ſepulturæ frui: ſed effoſſa, partim in una theca aurea, partim in altera condiderunt, quò iſto quaſi [b] Gedeonis amiculo aureo ſcortarentur? Præterea Irenæus occi-

[b] Iud. 8. 27.

occiſus eſt & ſepultus ante annos mille & ferè quadringentos, circa annum à Chriſto nato ducenteſimum. Et éſtne veriſimile *capitis eius cranium* fuiſſe adeò firmum, ut, ſi *pilæ more, anno M. D. L X I I. protruſum* fuiſſet *pedibus, & per vicos plateáſq; tota die deluſum*, non in varia fruſta abiturum fuerit, ne dicam in pulverem; ſed integrum perſtiturum, quoad *in rivulo* tandem *derelictum ſurriperetur à chirurgo?* Nec enim dici poteſt non ejuſdem conditionis eſſe crania martyrum, cujus ſunt alia: quandoquidem, citra omnem dubitationem, ad eorum quoque reliquias pertinet illud Domini, [b] *In pulverem revertêris*. Non Petrum huic legi exemtum cenſuit [c] Prudentius:

Aut Vaticano tumulum ſub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obſes.

Non [d] Chryſoſtomus Paulum: de cujus *corpore, ore, corde, manibus, oculis, pedibus* ita loquitur, tanquam ea omnia exiſtimaret pridem in *pulverem* reſoluta, quum vix trecenti anni à Pauli morte effluxiſſent. [e] Panormitanus excipit quoſdam, de quibus ſcriptum ſit, [f] *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem:* ſed addit (idq; [g] rectiùs) *hunc locum poſſe propriè intelligi de corpore Chriſti*. Crania verò hominum, robuſtiora quàm Irenæi, minore ſpatio temporis quàm mille annorum tam imbecilla fiunt, ut alliſu lapidum frangantur è veſtigio. Refert [h] Herodotus ſe vidiſſe oſſa Ægyptiorum & Perſarum, qui commiſſo prælio inter Pſammeniti & Cambyſis copias ceciderant in Ægypto: ac Perſarum capita fuiſſe adeò fragilia, ut ſi vel calculo ſolo ferires, perforares; Ægyptiorum autem ita firma,

[a] Baronius factum narrat anno Dom. 205. Annal. eccleſ. tom. 2. Sed putat eum potiùs martyrio coronatum in ipſo exordio perſequutionis Severi: hoc eſt, anno 204.

[b] Gen. 3. 19.

[c] Contra Symmach. lib. 1.

[d] Hom. 32. in epiſt. ad Rom.

[e] Ad cap. 2. extra. de reliq. & venerat. ſanctor.

[f] Pſal. 16 10.

[g] Act. 2. 31. & 13. 35.

[h] In Thalia.

ma, ut ea vix ictu lapidis perfringeres. Cujus rei causam hanc ab indigenis redditam, & probabilem sibi visam, adjungit, quòd Ægyptii, statim à pueris exorsi, radenda sibi capita curant, atque os capitis ad solem densatur & duratur: Persæ contrà in umbra degere assuescunt, gestantes pilea tiaráſq;. Jam utrùm Irenæus cranium habuerit Ægyptiorum similius, an Persicorum, conjectura facilis est: quum & [a] Christianus fuerit eo seculo, quo [b] Isidis sacerdotes, radentes capita, ridebantur; & vitæ instituto in umbra plurimùm egerit. Quapropter quum Persarum [c] nondum octoginta annis mortuorum capita ictu calculi perforari potuerint: sine dubio cranium, pedibus per vicos plateásq; urbis Lugdunensis tota die protrusum, non fuit Irenæi, ante mille trecentos quinquaginta octo annos tum defuncti. ut, si verè in acta publica retulerint, Calvinistas eo modo se gessisse, necesse sit Papistis pro Irenæi cranio obtrusum esse cranium alterius cujuspiam (latronis, aut meretricis forsitan) colendum: pari artificio, quo Romæ, postquam creditum est S. Georgium equitem fuisse qui draconem necasset lancea, ferream ejus lanceæ cuspidem, ex nescio cujus militis spoliis, aut fabri ferrarii officina acceptam, inter [d] reliquias venerandam ostentant. Mihi verò in mentem venit suspicari, corpus ejusdemmodi à Pictavensibus pro Hilarii corpore, à Turonensibus pro Martini, adoratum esse. Nam *decem millia talium rerum Romæ sunt*: teste [e] Laurentio Valla, Patricio Romano, [f] Canonico Lateranensi. *Romana* autem *Ecclesia aliarum omnium est mater & magistra*, si credi-

[a] Hieron. epist. 29. Gregor. Turon. hist. Francor. lib. 1. cap. 29.

[b] Tertullian. carm. ad Senatorem.

[c] Herodotus scripsit historiam circa annũ vicesimũ Artexerxis Longimani, sicut docet Plinius, lib. 12. cap. 4. collatus cum Diodoro Siculo, lib. 12. vel potiùs antea, si vera sint quæ habet Suidas. Vt fortè nondum effluxerint septuaginta anni ab Ægyptiorum & Persarũ morte, quum eorum ossa vidit Herodotus.

[d] Romæ, in templo S. Georgii in Velabro. Mirabilia Romę.

[e] De falsò credita & ementita Constantini donat.

[f] Onuphr. de sept. urb. eccl. tit. de Basilica Lateran.

credimus [a] Synodo Tridentinæ. Cur igitur in Eccleſiis Pictavii & Turonum non eſſent falſæ reliquię ſuppoſitæ pro veris? [b] Qualis mater, talis filia: [c] qualis hera, tales pediſſequæ.

8 Ceterùm Hilarii & Martini oſſa à Calviniſtis neutiquam concremata eſſe, perſuadet ea ratio, quam [d] princeps oratorum firmiſſimam judicavit; *Hoc ne Publius quidem Clodius dixit unquam*. Noſtrorum enim hoſtis ſummè malevolus maledicúſq;, [e] Verſteganus, repræſentare ſtudens pictura, & poëſi, quàm odioſiſſimè poſſet, hanc immanitatem; *Non ſacri cineres urna, non oſſa ſepulcris Tuta ſuis*: pro rei probatione & exemplo ponit, non Hilarii, nec Martini, ulliúſve Sancti, ſed *Ludovici Vndecimi ſepulcrum apud Clerium urbem effractum, & oſſa eiuſdem combuſta*. In quo videtur ille, non incommodè ſanè, præceptum [f] Horatianum pictoribus atque poëtis datum obſervaſſe, ut opus ſui ſimile ſit, & ſingulæ partes proportione quadam ſibi reſpondeant: quandoquidem Calviniſtas item in Anglia *Neronianæ barbariæ accuſans, commemorat & depingit *Catholicum quendam in urbe Dubri correptum, pelli urſinæ inſutum, ab infeſtiſſimis Angliæ moloſſis laceratum*. Nam ut Pontificius non nemo, puta, Campianus, aut Campiani homulus, in urbe [g] Dubri fuit, quo tempore fortaſſis ibi erant urſi, & inde potuit iſtud in Calviniſtas concinnari; falſò; quid tum poſtea? num de hæreticis mentiri non eſt meritorium? ita, quum [h] Mariæ Clerianæ templum, in quo ſepultus fuit Ludovicus Undecimus, à Calviniſtis ob inſignem deteſtationem idoli Lauretanæ Mariæ ſimillimi diruueretur & vaſtaretur, oſſa Ludovici

[a] Seſſ. 14. doctr. de ſacram. extrem. unct. cap. 3.
[b] Ezek. 16. 44.
[c] Cic. ad Attic. lib. 5. epiſt. 11.
[d] Idem in Antonium, Philipp. 2.
[e] Theatr. crudelit. hæretic. noſtr. temp.
[f] De arte poët.
* Tacit. annal. lib. 15. *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis conſecti, laniatu canum interirent.*
[g] *Dorobernium appulimus, homulus meus, & ego.* Campian. epiſt. ad Everard. Mercur.
[h] Popelin. hiſt. Gall. lib. 8. Hiſt. eccleſiaſt. Eccleſiar. reformatar. in Gall. lib. 6.

Ludovici tam propinqua erant igni fortaſſe, quàm Campiani homulus pelli urſinæ; & [a] labia noſtra penès nos ſunt; quis eſſet dominus nobis? Verùm ſacros cineres à Calviniſtis exhumatos & oſſa combuſta oſtendere volens Verſteganus, atque hunc in finem adhibens Surianam de Ludovico rege, non de S. Hilario, aut Martino hiſtoriam: ſatis evidenter iſta de Sanctorum reliquiis crematis condemnat tanquam nimiùm manifeſta mendacia, & Catholico urſino in urbe Dubri abſurdiora.

[a] Pſal. 12. 5.

9 Quocirca ſi de eo, [b] *Fingere qui non viſa poteſt*, Romani ſapienter à cive ſuo ſunt admoniti, *Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto:* qualis autor Surius ſit, qualis Bellarminus, & quid Pontificiis agendum in utroque, viderint ipſi. Superioribus ſeculis Fratres Mendicantes adeò infames erant ob mentiendi licentiam, & vanitatem: ut *diebus iſtis* (inquit [c] hiſtoricus eorum temporum æqualis) *in ore cuiuſlibet bonum ſit argumentum, tenens tam de forma quàm de materia,* * *Hic eſt Frater, ergo mendax; ſicut & illud, Hoc eſt album, ergo coloratum.* Hodie Frater Surius Carthuſianus docet, argumentum in pluribus quàm in Mendicantibus tenere tam de forma quàm de materia, Hic eſt Frater, ergo mendax. Bellarminus verò, quem Societas Jeſu evexit ſupra Fratres ad dignitatem Patrum, non ita citans Surium, ut Surii ſimiles [d] Plinius, qui fidem ſuam haud obſtringit, ſed [e] aſſerens Calviniſtas reipſa combuſſiſſe corpora Sanctorum, Martini, Hilarii, Irenæi; immò & [f] ceterorum comburere ubique: reipſa juſtam nobis occaſionem præbet, ſi minùs immutandi veteris argumenti, Hic eſt Pater, ergo mendax; at immutandæ ſal-

[b] Horat. lib. 1. ſatyr. 4.

[c] Thom. Walſingham, hiſt. Angl. in Ricardo II.

* This is a Frier, ergo a lier.

[d] Natur. hiſt. lib. 7. cap. 1.

[e] De concil. & eccleſ. milit. lib. 4. cap. 9.

[f] Præfat. de eccleſ. triumph. ſupr. cap. 2.

ſaltem veteris ſententiæ, Hic Pater eſt, hunc tu Romane caveto.

10 Ac ex his, quæ dicta ſunt, appâret porrò, non ſolùm quàm egregiè pugnet Bellarminus, ut aſſolet, contra palum: ſed etiam illius ſermonis anſam det, de quo eſt apud [a] Ciceronem; *Occîdit ille, adverſariúmne? immò verò aiunt, ſe, & eum, quem defendit.* Nam prima & præcipua, quæ intorquet, jacula ſunt exempla Moſis, Dei, & Joſiæ. [b] *Moſes honorificè ſecum aſportavit & tranſtulit ſancti Ioſephi oſſa ex Ægypto in terram promiſsionis:* [c] *Deus non contemnit Sanctorum oſſa, ſed honorat, dum miraculum patrat per oſſa Eliſæi, eorum tactu ad vitam revocans quendam mortuum:* [d] *Ioſias, delere volens omnem idololatriam, quum aliorum mortuorum oſſa effodiſſet, & in cineres redegiſset, oſſa tamen ſancti Prophetæ aſſervari iuſsit.* Quorum exemplorum nos quidem nullum ferit: non magis quàm exemplum *Dei*, quod adjungit, [e] *ſepelientis Moſen.* Sanctorum enim oſſa honorari, non contemni, oportere docemus: & ſiquis ſibi certum ſepulturæ locum [f] per fidem elegerit, ut [g] Joſeph; eò deportandum, [h] humandúmq; agnoſcimus: ac Joſiam piè mandaſſe affirmamus, [i] nequis commoveret oſſa viri Dei. Verùm Pontificiis, qui Sanctorum oſſa commovent & effodiunt è ſepulcris ſuis, mortiferam infligit plagam hoc Joſiæ: neque nullam cetera. Sanctus Hyacinthus Polonus, verbi gratia (ut ejus, qui nuperrimè canonizatus eſt, exemplo res aperiatur) [k] ſepultus fuit anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Hujus oſſa, trecentis ferè pòſt annis, quum [l] Papæ placu-

[a] De orat. li. 2.
[b] Exod. 13. 19.
[c] 4. Reg. 13. 21.
[d] 4. Reg. 23. 17.
[e] Deut. 34. 6.
[f] Heb. 11. 22.
[g] Gen. 50. 25.
[h] Ioſ. 24. 32.
[i] 2. Reg. 23. 18.
[k] Severin. de vita, miraculis, & actis canonizationis S. Hyacinthi, lib. 1. cap. 18.
[l] Ibid. lib. 3. cap. 32.

placuiſſet, ut quamvis nondum poſſet perfectè canonizari, in Polonia tamen pro Sancto coleretur, [a] exhumari juſſa ſunt. Et [b] quoniam, quæ primo loco exhumata putârunt eſſe Hyacinthi, comparata cum aliis ex Hyacinthi ſepulcro erutis, comperta ſunt à medicis anatomiæ peritis non fuiſſe unius corporis; quod Prælatis ſtomachum movit, Lutheranis riſum: exhumata ſunt plura, quorum quædam tractans Archiepiſcopus Gneſnenſis aſſeruit eſſe veras reliquias Hyacinthi. Jam inter miracula Hyacintho tributa, ferunt [c] quendam juvenem, qui ex equo decidit & fracto collo exſpiravit, ipſius tumulo admotum, vivum & ſanum ſurrexiſſe. De quo non moveo controverſiam: tametſi nihilo putem verius, quàm, quod ferunt item, [d] ancillam quandam, cujus vitula infortunio infirmata decidens exſpiravit, currentem ad Hyacinthi ſepulcrum, ei ſupplicaſſe, ut reſtitueretur ſibi viva vitula; &, quum domum rediens reperiſſet lanium excoriantem vitulam, tunc vitulam cœpiſſe movere pedem excoriatum, & elevato capite ſanam ſurrexiſſe: aut, quod ferunt item, [e] Beatæ Virginis ſtatuam grandem alabaſtrinam, quatuor aut quinque talentorum pondere, in monaſterio Kiovienſi, trans Boryſthenem fluvium, quum Hyacinthus vivus Tartaris irruentibus è templo fugeret, magna voce ipſum inclamaſſe, *O fili Hyacinthe, effugis manus Tartarorum, & me, cum filio meo, diſſecandam, & conculcandam relinquis; accipe me igitur tecum*; attonitóq; Hyacintho, ac dicenti, *O glorioſa Virgo, eſt nimis gravis iſtæc imago tua, et quomodo eam aſportare potero?* reſpondiſſe Virginem, *Accipe, quia alleviabit pondus*

[a] Ibid. cap. 41.
[b] Ibid. cap. 42.
[c] Ibid. lib. 1. cap. 19.
[d] Ibid. lib. 2. cap. 7.
[e] Ibid. lib. 2. cap. 13.

dus filius meus; quo audito, Hyacinthum eam, arundine leviorem viſam, una manu, per Boryſthenem, ſiccis pedibus, bajulaſſe, uſque Cracoviam. Sed poſito & conceſſo mortuum Hyacinthi ſepulcro admotum revixiſſe, non tamen exhumandus fuit Hyacinthus: quoniam Eliſæum non juſſit Deus exhumari, quum [a] eum tam inſigni miraculo honoraſſet. Ac Joſephi oſſa, [b] in loculo ducentis annis aſſervata, [c] ſepulta ſunt ab Iſraelitis, quàm primùm locum ſepulturæ in poteſtatem redegiſſent; & in [d] ſepulcro ſuo quieſcere permiſſa: númne hinc efficitur oſſa Hyacinthi, quum plus ducentis annis ſepulta quieviſſent, è ſepulcro ſuo eruenda fuiſſe? Joſiæ verò verbis de ſepulcro Prophetæ, [e] *Sinite illud, nequis commoveto oſſa eius*, quid potuit fieri repugnantius, quàm ut commoverentur Hyacinthi oſſa, quia erat Sanctus ſemicanonizatus?

[a] 2. Reg. 13. 21.
[b] Gen. 50. 26.
[c] Ioſ. 24. 32.
[d] Hieron. tradit. Hebr. in Gen. cap. 48.
[e] 2. Reg. 23. 18.

11 Quanquam violatores iſti ſepulcrorum minorem hujus oſſibus injuriam fecerunt, quæ poſtquàm [f] proceſſionaliter circumgeſtata eſſent, ac publicè conſpecta, in ſublimiore ſepulcro condita ſunt. Nonnullorum penitus inſepulta ſervant; eáq; *ſepeliunt ſepultura aſini*, ut [g] Propheta loquitur: & honoris ſcilicet cauſa Sanctis faciunt, quod Pontificii ipſi, immò & Ethnici, ignominioſum, profanum, impium eſſe docent. Siquidem [h] Bellarminus inter *utilitates, quæ mortuis ex ſepultura accedunt*, hanc commemorans, *quòd conſulitur honori eorum, adhuc in hominum memoriis viventium: non enim caret*, inquit, *ignominia quadam, quòd fœditas noſtri corporis aliorum conſpectibus pateat*. Et [i] Cardinalis Borrhomæus, cum univerſa Synodo Mediolanenſi, vetat *ne tangantur ſacræ*

[f] Severin. de vita, mirac. & act. canoniz. S. Hyacinthi, lib. 3. cap. 44.
[g] Ier. 22. 19.
[h] De purgator. lib. 2. cap. ult.
[i] Concil. Mediolan. 4. tit. de ſacris reliquiis. Concil. tom. 5.

era reliquiæ, quoniam hoc ſacrilegum, ac minùs propterea ferendum eſſe, S. Gregorius Pontifex ſcribit. [a] Gregorius autem ſcribens, *intolerabile eſſe omnino atque ſacrilegum Sanctorum corpora tangere*, addit, *quum ſepulcrum Laurentij Martyris ignoranter ab operariis aliud agentibus apertum eſſet, eos qui præſentes erant & laborabant, monachos & manſionarios qui corpus Martyris viderunt, et ſi tangere non præſumſerunt, omnes intra decem dies obiiſſe, ita ut nullus vitæ ſupereſſe poſſet, qui ſanctum & iuſtum illius corpus viderat.* Denique, *inſepultam ſepulturã* [b] Cicero pro dedecore habet. Nec Turnus [c] Virgilianus largiens Pallanti, *Quiſquis honos tumuli eſt*, mortuis honorificum putavit non humari. Et [d] Horatius bella civilia hoc incommodo maximum ſui odium commotura ſperavit, quòd hoſtis, urbem occupans civibus orbatam, ſepulcrum Romuli violaturus ſit:

Quæq; carent ventis & ſolibus, oſſa Quirini,
(Nefas videre) diſſipabit inſolens.

At verò [e] Pontificii Sanctorum oſſa ſervant in capſis oſtendenda populo, à clericis attrectanda, geſtanda in proceſſionibus, in altaribus exponenda: nec ea, vel à ventis, vel à Solis radiis remota eſſe ſinunt, ſed è ſepulcris eruta conſpectui tactuíq; hominum objiciunt, & quaquaverſum diſſipant. [f] Pius Secundus partes oſſium Magdalenæ, recèns in quadam Italiæ inſula repertas, inſpexit, & oſculatus eſt: quod Andreæ capiti tûm ipſe priùs fecerat, tûm ab aliis fieri permiſerat, & curaverat. Etiam quorum crania, craniorúmve fragmenta, ſimulacris capitum argenteis illigata ſunt; eorum pars, aut [g] oſculo patêre conſuevit, quum adiri poſſent quoti-

[a] Regiſtr. lib. 3. epiſt. 30. ad Conſtantiam Aug.
[b] Philipp. 1.
[c] Æneid. lib. 10.
[d] Epod. 16.
[e] Cap. 2. Extra. de reliq. & venerat. Sãctor. Conc. Mediolan. 4. tit. de ſacris reliq.
[f] Commentarior. Pii 11. lib. 8.
[g] Eraſm. colloq. peregrinat. religion. ergô.

quotidie à quibuſvis: aut [a] conſpectui ſaltem, quum ſemel tantummodo quotannis magna pompa, diebus ipſorum memorię conſecratis, oſtenderentur populo. Cujus autem Sancti, paulo celebrioris, oſſa non in varias oras diſperſerunt? Certè Abundius & Abundantius nequaquam erant ex clariſſimis: [b] quorum tamen corpora poſteaquam è Coſmæ & Damiani templo, in quo requieſcebant, in novam Jeſuitarum baſilicam tranſferri juſſiſſet Gregorius Decimus tertius, quædam oſſa eorum relicta ſunt in priſtino hoſpitio Coſmæ & Damiani; quædam, ad Cœnobium Sanctimonialium, Senas tranſportata; quædam in Japonem, novi orbis inſulam, ultra Garamantas & Indos, tranſmiſſa. [c] Georgius Caſtriotus, Epirotarum princeps, is qui militaris virtutis & facinorum nobiliſſimorum gratia Scanderbegus, hoc eſt, Alexander Magnus, cognominatus eſt, ſepultus fuit in urbe Lyſſi. Quam immanes Turcæ ſimul atque in poteſtatem ſuam redegiſſent, Scanderbegi oſſa effodiunt è ſepulcro; non contumeliæ quidem cauſa, ſed honoris; quippe qui vel minimam eorum particulam theſauri loco ducerent; includerent in argento, in auro; nec ſolùm comparare tales reliquias, ſed videre & tangere, felicitati deputarent: veruntamen Marinus Barletius Chriſtianus, [d] ſacerdos, ut ſe inſcribit (ne quis ipſum habeat ſuſpectum pro Calviniſta) dicit *Scanderbegi oſſa in pace quieviſſe, quoad Turcæ & Barbari de tumulo ea extraxerunt.* Proinde licèt aſſerant Papiſtæ ſe reliquias ita tractare ad Sanctorum honorem; & hoc quodammodo verum ſit; nam bonus autor, quem [e] Poſſevinus ſuis commendat, [f] *honorem* quendam nominat *contumelioſum*; & *Catonem* [g] ait *eiectum eſſe à Clodio*

[a] Io. Villan. hiſt. de reb. Florent. lib. 10. cap. 172.

[b] Hiſt. paſſ. in vent. & tranſlat. Sanctor. Abundii & Abundantii, edit. à Colleg. Societ. Ieſu, Romæ, 1584.

[c] Marin. Barler. de vita & reb. geſt. Scãderb. lib. 13.

[d] *Marini Barletij Scodrenſis ſacerdotis, hiſtoria Scanderbegi.*

[e] Biblioth. ſelect. lib. ult. inſcripto, M. T. Cicero.

[f] Philipp. 7.

[g] Pro domo ſua.

à Clodio per honorem turpiſsimum: tamen tractant ipſas ignominioſè, quum exhumant, diſſipántq; nec patiuntur *corpora*, quæ [a] *in pace ſepulta ſunt*, in pace quieſcere; ſed quorum fœditatem, vel Bellarmino agnoſcente, ratio, religio, jus humanitatis tellure tegi jubet, ea partim intra capſas, partim extra, hominibus videnda & tangenda exhibent.

[a] Eccl[ci] 44.14.

12 Declaravi tribus in rebus, primis ordine, ponderе graviſſimis, de Sanctorũ omnium veneratione, beatitudine animarum fidelium, & honore corporum, quàm iniquè & improbè calumnietur [b] Bellarminus, *nos gigantum more cælitibus bellum facere, eóſq; de ſuis ſedibus deturbare conari*. Ac videtur quidem eâdem intemperie abreptus hoc effundere, qua vociferat [c] Hercules furens apud tragicum, *Gigantes arma peſtifera movent*: præſertim quum, ut Hercules, arma peſtifera in liberos & uxorem movens, id ab aliis fieri demens affirmat; ſimiliter Bellarminus, electos homines Angelóſq; honore debito ſpolians, eos à nobis ſuo honore ſpoliari aſſerat. Sed quocunque genere inſanię occęcatus ſit, ſententiam ſine dubio fert ut cæcus potiùs hac in re, quàm luſcus, quum *ſuos Athanaſii, Ambroſii, Hieronymi, Paulini, Auguſtini, atque Gregorij imitatores eſſe* ait, nos autem negat. Etenim Gregorius, ut ab illo ordiar, quem [d] Jeſuitę *planiſsimè ſuum eſſe* clamant; & ſanè pluſculum habet fermenti Pontificii; quippe, ut tempore, ſic integritate doctrinę ceteris inferior: veruntamen Gregorius utros meliores imitatores nactus eſt, Papiſtas, an Proteſtantes, in eo quod modò attigi, de ſacrilega corporũ exhumatione, inſpectione, tactione? In quo minùs mirũ eſt Athanaſium, ſuperiorem reliquis omnibus ętate & explorata

[b] Supr. cap. 6.

[c] Senec. Here. furent. act. 4.

[d] Campian. rat. 3. Poſſevin. biblioth. ſelect. lib. 7. cap. 21.

fide, planiſſimè noſtrum eſſe: etiam, *quum Antonium Eremitam Ægyptium accurato libello dilaudat, gravis autor*, ut [a] Jeſuitarum verbis utar. Nam [b] quod apud Ægyptios in more poſitum erat, ut corpora nobilium, ac prę cipuè Martyrum, nequaquam humo tegerent, ſed ſuper lectulos domi poſita reſervarent; id Antonius docuit ex patriarcharum, prophetarum, & Chriſti ſepultura, neque licitum eſſe, neque Deo placere: & hanc perſuaſionem appellat Athanaſius juſtam; Ægyptium verò morem errorem, & vitium; ac, ut honor ille defunctis haberetur, ex inveteratæ conſuetudinis vanitate traditum eſſe perhibet. Quòd ſi quis fortaſſe reliquorum cenſuit Sanctis honorificum futurum talem ritum, nec ei ſe oppoſuit; cujuſmodi quiddam de Ægyptiis Epiſcopis ſuſpicandi occaſionem dant Athanaſius & Antonius: cur nobis magis vitio vertatur, quòd ipſius veſtigiis non inhæreamus; quàm ipſi, quòd Antonium & Athanaſium ſequutus non ſit? Hilarius & Ambroſius, quemadmodum [c] oſtendi, excuſant factum Petri abnegantis Chriſtum, quaſi bene negaſſet hominem, quem ſciebat Deum. Hoc [d] Auguſtinus improbat, dicens, *Quidam eum favore perverſo excuſare nituntur.* Quid hic faciet Bellarminus, qui Ambroſii veſtigiis inhæreri jubet in rebus geſtis Apoſtolorum contra detractores diſſerendo tuendis? Num Auguſtinum damnabit, quòd Petri factum haud defenderit exemplo Ambroſii? Non: nam è [e] Scriptura [f] demonſtrat Petrũ peccaſſe. Reſpondebit igitur Ambroſium eatenus ſequendũ, quatenus ſinit veritas: convenienter [g] canoni de Patrum autoritate à Pontificiis recepto. Itidem vigilias pernoctationéſq; in baſilicis Martyrum, ad ipſorum

[a] Campian. & Poſſevin. ibid.
[b] Athanaſ. in vita S. Anton.
[c] Supr. cap. 4. § 5.
[d] In Evang. Iohann. tract. 66.
[e] Matt. 26. 75.
[f] De amiſſ. grat. & ſtat. peccat. lib. 1. cap. 7.
[g] c. Neque quorumlibet. diſt. 9.

ipsorum honorem celebratas, laudant [a] Hieronymus, [b] Augustinus, & Paulino clarior, antiquior, doctior [c] Basilius. Atque adeò eas contra Vigilantium, à quo improbabantur propter flagitia per noctem ibi perpetrata, defendit Hieronymus. Num ergo hæ in usu sunt Ecclesiæ Romanæ? Immo, *quoniam occasione nocturnarum vigiliarum*, inquit [d] Bellarminus, *abusus quidam irrepere cæperant, vel potiùs flagitia non rarò committi: placuit Ecclesiæ nocturnos conventus, & vigilias propriè dictas intermittere, ac solùm in iisdem diebus celebrare ieiunia*. Itaque vigilias in honorem Martyrum ab Hieronymo, Augustino, & aliis celebratas, Ecclesia, Bellarmino probante, abolevit. Et rectè: siquidem [e] omnia ad ædificationem facienda sunt, & [f] decenter. Sed ubi interim cohortatio Bellarminiana, ut *Hieronymi vestigiis inhæreamus, non Vigilantij?* Ecce, Ecclesia Romana Vigilantii hac in re vestigiis inhæret, non Hieronymi: & Bellarminus etiam Vigilantianus nobiscum factus est. Agnoscant igitur Pontificii Jesuitam nequiter asserere ipsos sequi Athanasium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, aliósq; Patres; nos autem non sequi: quorum vestigiis, & ipsi confitentur non semper esse inhærendum; & quando inhærendum est, nos id religiosiùs facimus quàm ipsi.

[a] Adverſ. Vigilant. cap. 4.
[b] De diverſis, ſermon. 115. cap. 5.
[c] Homilia in Pſalm. 114.
[d] De eccleſ. triumph. lib. 3. cap. ult.
[e] 1. Cor. 14. ver. 26.
[f] ver. 40.

13 Benedictus sit Deus, qui licèt [g] Mephibosethum Sibæ calumniis mendaciisq; traduci apud Davidem ad tempus passus sit; tamen [h] innocentiam ejus Davidi testatam tandem reddidit: ac suos ita Spiritu suo sanctificet, ut, si una tantùm parte audita [i] sententiam iniquam cum Davide tulerint; eam cum Davide, audita utrâque, [k] retractent. Ego verò minor

[g] 2. Sam. 16. 3.
[h] 2. Sam. 19. 26.
[i] 2. Sam. 16. 4.
[k] 2. Sam. 19. 30.

minor ſum omnibus beneficiis & miſerationibus tuis, ô Jehova. Veruntamen pulvis & cinis ſupplicare tibi non deſiſtam, ut inſtituas opus manuum mearum, cœptúmq; tua gratia proſequi digneris: & ſicut [a] Judæorum abominationes in idolo zelotypiæ, ſimulacris omnigenis, Tammuzo, & Sole venerando, per Ezekielem ipſis oſtendiſti; ita Pontificiis impietatem ſuam in cultu Sanctorum, reliquiarum, imaginum, rerum conſecratarum, & ſacramenti Euchariſtiæ, per ſervum tuum patefacias.

[a] Ezek. 8. 3. & ſequentib.

DE ROMANÆ ECCLESIÆ idololatria liber ſecundus.

* *
*

CAP. I.

Ex idololatriæ definitione convinci Pontificios idololatras eſſe. Eam à Ieſuitis futiliter & ineptè in quæſtionem vocari.

ECCLESIAM Romanam, quo nomine cõplector, non omnes Chriſti fidem Romæ profitentes, inter quos fortaſſe ſunt qui ſuſpirent propter abominationes ibi perpetratas, ut [2] erant olim Jeroſolymis; ſed eos qui Romanis ſuperſtitionibus & cõmunione Pontificis ſe contaminant: iſtam ergo Eccleſiam, hoc eſt, Papiſtas & Pontificios idololatriæ lepra laborare convincit ratio manifeſtiſſima. Nam QVISQVIS CREATVRAE DIVINVM CVLTVM EXHIBET, COMMITTIT IDOLOLATRIAM. AT

[2] Ezek. 9. 4.

PAPISTAE CVLTVM DIVINVM EXHIBENT CREATVRAE, IN SANCTORVM, RELIQVIARVM, IMAGINVM, RERVM CONSECRATARVM, ET SACRAMENTI EVCHARISTIAE VENERATIONE. PAPISTAE IGITVR IN SANCTORVM, RELIQVIARVM, IMAGINVM, RERVM CONSECRATARVM, ET SACRAMENTI EVCHARISTIAE VENERATIONE COMMITTVNT IDOLOLATRIAM. Hujus ſyllogiſmi propoſitio evidens eſt è Scripturis. In quibus [a] *idololatræ* vocantur, qui divinum cultum idolo, ſive propriè dicto, ut [b] ſimulacro vituli; ſive figuratè, ut [c] mammonæ, tribuunt. Aſſumtio, partim è Scripturis: partim ex aliis teſtibus idoneis. Nam Scripturæ docent [d] *fiduciam*, [e] *invocationem*, [f] *vota*, [g] *ſacrificia*, & [h] *adorationem* divinum eſſe cultum. Horum autem quædam ſe deferre Sanctis, quædam reliquiis, quædam imaginibus, nonnulla rebus conſecratis & ſacramento Euchariſtiæ, teſtantur [i] Pontificii ipſi. Concluſionem ex præmiſſis neceſſariò conſequi, non eſt opus ut adjiciam. Optandum potiùs ut Eccleſiæ Romanæ filii concludant id ad ſe ſpectare, quod filiis Iſraeliticæ à Deo dictum legimus: [k] *Contendite cum matre veſtra, contendite, ipſam non eſſe uxorem meam, & me non eſſe virum ipſius: ut amoveat ſcortationes ſuas è conſpectu ſuo, & adulteria ſua è medio uberum ſuorum: ne denudem eam planè, & ſtatuam eam ut die quo genita fuit; diſponénſq; eam velut in deſerto, & redigens eam velut in terra ſiticuloſa, exſtinguam eam ſiti; & filiorum eius non miſerear, eo quòd filii ſcorti ſint.*

2 Atque hoc quidem facturos eſt ſperandum, quot-

[a] 1.Cor.10.7. Eph.5 5.
[b] Exod.32.4. Act.7.41.
[c] Matt.6 24.
[d] Ier.17.7.
[e] Pſal. 50.15. Ioel.2. 32. Rom.10.14.
[f] Eſai.19.21.
[g] Exod.22.20.
[h] Exod.20.5. Act.10.26. Apoc.19.10.
[i] Miſſal. Pontifical.Breviar.& lib.ceremoniar. Romanæ Eccleſiæ: Scholaſt. theolog. Canon. Hiſtor. & Concil. Trident.
[k] Hoſ.2.2.

quotquot inter ipsos religiosa Dei reverentia tanguntur, si piè prudentérq; attendant & observent illud sponsæ ad sponsum in Cantico canticorum: [a] *Indica mihi, tu quem diligit anima mea, ubinam pascas, ubinam cures recubare gregem meridie: cur enim essem quasi extendens tentorium apud greges sociorum tuorum*. Quippe [b] sermo Dei, quo Ecclesiæ sponsus & [c] pastor suos imbuit, declarat eum [d] non pascere in cœtibus Papisticis, speluncis idololatrarum; neque instituere ut grex meridie ibi recubet: sed in [e] caulis herbidis, secundum aquas lenes, id est, in [f] umbraculis orthodoxorum cœtuum idola detestantium. Quorum autem anima non ita diligit sponsum, ut ex [g] ipso studeant discere ubi pascat, ubi curet recubare gregem meridie: seducuntur facilè à pastoribus exteris, sponsi societatem profitentibus nomine, revera se nequaquam cum eo sociantibus. Sicut hîc periculum est ne seducantur, præsertim à duobus *Sociorum Iesu*; nimirum Bellarmino, & Gregorio de Valentia: qui, quò tabernacula apud ipsorum greges extendenda hominibus persuadeant, omni artificio conantur se purgare de idololatria. usque adeò ut nimia hujus rei cura & sollicitudine idem consequuti esse videantur, quod [h] Theophrastus, homo alioqui disertissimus, curiosè loquendo consequutus est: quando anus Attica illum, annotata unius affectatione verbi, hospitem dixit; nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quàm quòd nimium Atticè loqueretur. Nam Jesuitæ isti, homines alioqui solertes & acuti, dum conantur evertere syllogismi nostri non solùm assumtionem, qua

[a] Cant. 1. 7.
[b] Ioh 17. 17.
[c] Eccles. 12. 13.
[d] 1. Cor. 10. 14. 2. Cor. 6. 14.
[e] Psal. 23. 2.
[f] Esai. 4. 5.
[g] Ioh. 10. 27.
[h] Quintilian. lib. 8. cap. 1.

Papistæ

Papiſtæ cultum divinum creaturæ tribuere dicuntur; ſed etiam propoſitionem, qua, quicunque id faciunt, pronuntiantur idololatræ: nimiùm accuratè ambas rationis partes oppugnando faciunt ut meritò idololatriæ inſimulatos ſuſpicemur. Quid enim? Sextus Roſcius parricidii accuſatus eſt hoc argumento: Quiſquis patrem occîdit, committit parricidium: At Sextus Roſcius patrem occîdit: Ergo Sextus Roſcius commiſit parricidium. Si patronus Sexti Roſcii, M. Tullius, negaſſet parricidium ab omnibus committi qui occîdunt patres; dixiſſétq; eos duntaxat eſſe parricidas, qui rigidos patres & ſeveros, qualis Roſcii pater haudquaquam fuit, occîdunt; ac non [a] aſſumtione ſola refutanda innocentiam ſui clientis oſtendiſſet: eccui Romanorum judicum putamus viſum iri reum vacare omni culpa, quem tali patrocinio tantus orator egêre judicaſſet? Itidem Johannes Papa Duodecimus arguitur adulterio ſe contaminaſſe: Quiſquis cum alterius uxore conſuetudinem habet, committit adulterium: At [b] Johannes Papa conſuetudinem habuit cum uxore alterius: Johannes igitur Papa commiſit adulterium. Si [c] Pariſienſis ille Sorboniſta, qui Eccleſiam in moribus errare poſſe negat, aſſereret, ad ſummum hoc Eccleſiæ caput à lapſu vindicandum, non quiſquis aliena cum uxore cubat, eum adulterari; ſed tantùm ſiquis laicus, clericúſve inferior, aut ſiquis maritali affectu id perpetret, ac non amatorio: quis tam eſt imperitus & ignarus rerum quin exiſtimaret deploratam cauſam à Sorboniſta ſuſceptam, & eum conſcientia teſte cavillari, abreptum potiùs ſtudio paraſitandi Papæ, quàm veritatis agnoſcendæ

[a] Cic. pro Sex. Roſcio.

[b] Luithprand. Ticin. rer. per Europ. geſtar. lib. 6. cap. 11.

[c] Margarinus de la Bigne, Theologus Doctor Pariſienſis præfat. ſacr. biblioth. ſanctor. Patr. ad Gregor. XIII.

cendæ & tuendæ cupidum? Quapropter quum propositio nostri syllogismi ex eodem fonte & firmamento statuat damnandum idololatriæ, quisquis exhibet cultum divinum creaturæ; ex quo parricida, quisquis patrem occîdit; adulter, quisquis alterius uxori consuescit, esse perhibetur: profectò aut perindulgens in Bellarminum & Valentianum, aut parum prudens sit oportet, qui Pontificiam causam non suspectam habeat, quam tali cataplasmate medici tam insignes indigere rati sunt. Ac eo quidem magis, quoniam emplastrum [a] Bellarminianum, ex *distinctione imaginis ab idolo & simulacro* factum, multo est putidius quàm siquis interfectorem clementis patris à parricida, aut clericum adulterum à laico, discriminaret: [b] Valentianense verò, *idololatras esse quicunque creaturæ divinum honorem tribuunt sicut Deo*, perinde adhibetur, acsi Sorbonista adulterum esse diceret, quisquis alienæ uxori maritale officium præstat sicut maritus. Quorum utrumque postquam hoc libro manifestum fecero, & syllogismi nostri propositionem à falsis istis Sociis Jesu liberavero: assumtionis partes singulas de Sanctis, reliquiis, imaginibus, rebus consecratis, & sacramento Eucharistiæ, singulis deinceps libris contra ipsos & alios, si Deus voluerit, comprobabo.

[a] De eccles. triumph. lib. 2. c. p. 5.

[b] De idololatr. l. 2. c. 1.

CAP.

CAP. II.

Idoli nomen à ſcriptoribus Eccleſiaſticis uſurpari pro quavis imagine quæ divino honore colitur. Ac Bellarminum perperam conari hoc evertere ex ſeptima Synodo, Origene, & Theodoreto. Impiè porrò facere Papiſtas qui Deum pingant.

BEllarminus igitur, etſi non ſit auſus idololatriæ definitionem apertè oppugnare, quam ipſe ita probat, ut diſertè [a] dicat, *Creaturam æquè colere ac Deum eſt certè idololatria:* tamen per cuniculos eam demoliri conatur, dum idolum [b] diſtinguit ab imagine; affirmans imaginem eſſe rei veræ ſimilitudinem; idolum autem commentitiæ, & ejus quæ revera non eſt. Nam, ſi crucifixi & crucis ſimulacrum, quoniam imago eſt rei veræ, idcirco ſub idoli nomen haud cadit: reſtat nec latriam, crucifixi & crucis ſimulacro exhibitam, idololatria quenquam obligare, quia divinum cultum tribuit non idolo. Videlicet [c] Papiſtæ quotannis magna pompa & celebritate in die Paraſceves exhibent latriam imagini crucis & crucifixi, fatente [d] Bellarmino. Ex quo, ſi imago idolum eſſe poſſit, conſequuturum fuerit manifeſtiſſimam quotannis à Papiſtis committi idololatriam.

[a] De eccleſ. triumph. li. 2. cap. 24.

[b] Ibid. cap. 5.

[c] Miſſal. Rom. feria 6. maioris hebd. in Paraſcev. Pontifical. Rom. part. 3. Sacrar. ceremon. Rom. Eccleſ. lib. 2. tit. 1.

[d] De eccleſ. triumph. li. 2. cap. 23.

Propte-

Propterea Bellarminus, vimineam quasi parmulam ad hoc acerrimum telum depellendum comparans, multis argumentis contendit Ecclesiasticos scriptores sic distinguere idolum ab imagine, ut nulla imago sit idolum. Quam disputationem, quandoquidem in speciem admodum nervosa est, & nihil habet otiosum, age, universam ex ipsius ore ad verbum recitemus.

Bellarminus.

Henricus Stephanus in suo thesauro in voce εἴδωλον, *scribit apud Ecclesiasticos idolum vocari omne simulacrum, numen aliquod repræsentans, quod cultu & honore dignamur. Ex quo sequitur, apud Ecclesiasticos, imagines Christi & Sanctorum, & præcipuè imagines Trinitatis, rectè vocari idola. Et si quidem Henricus per Ecclesiasticos intelligit, Doctores suos Calvinum, Martyrem, Illyricum, & alios eiusdem classis: rectè dicit; illi enim vix unquam aliter imagines nostras appellant, quàm idola. Si autem per Ecclesiasticos intelligit sanctos Patres, vel Apostolos, & Prophetas, falsissimum est, quod ipse dicit; nam inprimis VII. Synodus act. 5. & act. 7. anathema dicit iis, qui imagines Christi, & Sanctorum vocant idola.*

Deinde Origenes homilia octavâ in Exod. & Theodoretus quæstione 38. *in Exod. exponentes illud Exodi* 20. Non facies tibi sculptile (*quod LXX. verterunt* εἴδωλον) & omnem similitudinem, *&c. Dicunt: inter imaginem & idolum hoc interesse, quòd imago est vera rei similitudo;*

pingimus hominem, equum, &c. Imago enim ab imitando dicta eſt. Idolum autem eſt falſa ſimilitudo, id eſt, repræſentat id, quod revera non eſt. ut cùm Gentiles proponebant ſtatuas Veneris, aut Minervæ; illa ſigna idola erant, quia repræſentabant Deos generis fœminini, quales Dij nec ſunt, nec eſſe poſſunt. Atque ita nec verè repræſentabant, ſed erant falſæ imagines. id enim, quod non eſt, repræſentari non poteſt. Ex quo intelligimus imagines Chriſti & Sanctorum non eſſe idola. Sed nec Trinitatis, aut Angelorum imagines ſunt idola, quia non ſunt factæ ad repræſentandam naturam Trinitatis, vel Angelorum, ſed ad exprimendam formam, in qua apparuerunt, vel certè eorum proprietates, ut infrà dicemus.

Rainoldus.

2 Phariſæi, ut ſuis Chriſtum in contemtum & odium adducerent, [a] *Num quis*, inquiunt, *ex primoribus credidit in eum, aut ex Phariſæis? ſed turba hæc, quæ non novit Legem; execrabiles ſunt.* Similiter Bellarminus, ut pietatem Chriſtianam Antichriſtianæ impietatis oppugnatricem inviſam ſuis reddat, negat imagines, quas Pontificii colunt, idola dici à Prophetis, Apoſtoliſq;, vel ſanctis Patribus; ſed tantùm à Calvino, Martyre, Illyrico, & aliis ejuſdem claſſis. Neq; hujus claſſis ſententiam proponit ex cujuſquam ipſorum ſcriptis, uti ſolet: verùm ex Henrici Stephani theſauro. Quam ab cauſam? An quòd Stephani verba, minùs forſitan explicata & clara, ſuſpicionem poſſint de noſtris, quibus favet, theologis excitare, tan-

[a] Ioh. 7. 48.

tanquam cunctas Christi & Sanctorum imagines, etiam quæ nullo cultu polluuntur, in idolis numerent? Nam [a] ille, *Apud Ecclesiasticos*, inquit, *scriptores* εἴδωλα *(Latinè etiam idola) peculiari significatione vocantur simulacra numen aliquod repræsentantia, quod honore & cultu dignamur*. Ubi licèt Stephanus sensisse videatur simulacra ea, in quibus numen aliquod repræsentatum colitur, idola Ecclesiasticis scriptoribus vocari: tamen verba possunt perinde capi acsi diceret, idoli nomen ab illis tribui imagini repræsentanti numen quod colitur, quamvis non colatur imago, aut numen in imagine. Quo sensu intellectum si voluit Bellarminus, quod omissâ cultûs mentione infert, nimirum, *inde sequi apud Ecclesiasticos imagines Christi & Sanctorum, & præcipuè imagines Trinitatis, vocari idola; atque hoc revera fieri apud Calvinum, Martyrem, Illyricum, & alios eiusdem classis; illos enim vix unquam aliter imagines Pontificiorum appellare quàm idola:* calumnia! quanquam eam ceteroquin etiam adhibuit evidenter in vocibus, *vix unquam*; nam sæpius aliter appellant; sed insigniore calumnia in famam nostrorum grassatus est. Etenim [b] Illyricus, ut idolorum nomen imaginibus tribuit, scribens, *non minimam partem religionis Antichristianæ seu Papisticæ esse hoc tempore, cultum idolorum*: sic [c] affirmat, *Christi & Sanctorum imagines haberi rectè posse; modò ne colantur atque adorentur*. Item [d] Petrus Martyr: *Christum quoad naturam humanam pingi ac fingi posse, & Sanctorum imagines permitti lege Dei*, concedit: utcunque simulacra talia, si colantur, idola vocet, [e] dicens, *homines ætatis nostræ esse pronos ad idololatriam, quandoquidem statuas,*

[a] Henr. Steph. thesaur. lingu. Græc. tom. 1. voce, εἰδωλον.

[b] Catalog. testium veritat. in Synodo Francofordiensi.

[c] Ibid. & Centur. 8. cap. 4. column. 274. cap. 8. col. 535. cap. 9. col. 639. & cap. 10. col. 666.

[d] Comment. in lib. 1. Reg. cap. 7.

[e] In eiusdem libri cap. 12.

as, picturas, & reliquias Sanctorum, necnon ſacramenta nefariè adorant, ante omnia hæc procumbunt, candelas accendunt, ſuffitum faciunt, invocant; & ea ſibi dari ab illis petunt, quæ à nulla creatura conferri poſſunt; ut *ad crucem inclamant*,

* *O crux, ave ſpes unica,*
Hoc paſſionis tempore,
Auge piis iuſtitiam,
Reiſq; dona veniam.

* Breviar. Roman. Sabb. infra hebd. quartã Quadrageſimæ.

Calvinum autem neceſſe eſt [a] Bellarminus ipſe fateatur itidem uſurpaſſe idoli appellationem : quippe [b] *quem* agnoſcit *dicere, imagines Chriſti & Sanctorum non eſſe prohibitas ſimpliciter, ſed non debere poni in templis*. Nam idola non eſſe prohibita ſimpliciter, nec Bellarminus ait Calvinum dicere, nec potuit. Eodem modo ceteri claſſis ejuſdem, in quibus nominatim Lutherum, Zuinglianos, Philippum, Magdeburgenſes, & Calviniſtas [c] pòſt recenſet, [d] omnes uno ore deteſtantur cultum imaginum, non imagines : nec eas, qui è templis ob periculum cultus exterminatas cupiunt, idolorum nomine perſtringunt niſi adorentur. Quum ergo Bellarminus hoc habuerit cognitum, ut de Calvino ſaltem manifeſtum eſt: putetur voluiſſe dicere, quod debuit, imagines Sanctorum, Chriſti, Trinitatis Papiſticas, id eſt, quæ coluntur, idola à Calvino, Martyre, Illyrico, & aliis ejuſdem claſſis appellari. Tametſi mihi videtur obiter dixiſſe quod debuit, non quod voluit, quando aſſeverans *ex Stephani dicto ſequi apud Eccleſiaſticos imagines Chriſti & Sanctorum, præcipuè Trinitatis, rectè vocari idola*; ſubjungit, *eum rectè dicere, ſi per Eccleſiaſticos intelligat*

[a] De eccleſ. triumph. lib. 2. cap. 8.
[b] Calvin. inſtit. lib. 1. cap. 11. § 12. & ſequentibus.
[c] Bellarm. de eccl. triumph. lib. 2 cap. 6.
[d] Sleidan. cõment. lib 3. Zuingl. de vera & falſa relig. Bullinger. de orig. culr. Divor. & ſimulacror. erron. cap. 29. Melanchth. in locis theolog. Magdeb. centur. 8. capitib. ſuprà citatis in Illyrico. Harmon. confeſsionum fid. ſect. 2. confeſſ. Helvet. Bohem. & Suev. Sect 17. confeſſ. Helvet. & Saxon.

Docto-

Doctores ſuos, Calvinum, Martyrem, Illyricum, & alios eiuſdem claſſis. Namque ſi hoc modo Stephanus rectè dicat, & ex ejus dicto ſequatur tales imagines à Doctoribus noſtris idola * rectè vocari: verum eſt imagines tales eſſe idola; quod enim rectè vocantur, ſunt; & Bellarminus, alio modo quàm [a] Balaam, invitus rectè dixit, quum pravè dicere cogitavit.

* Ὀρθῶς γε τὼν Ἀλκιβιάδης ἰατρεύεται. Aristoph. in veſp.

[a] Num. 24. 14.

3 Ceterùm imagines tales, quibus cultus divinus exhibetur, idola ab iſtius infimæ tantùm claſſis hominibus vocari, ac non à ſanctis Patribus, Apoſtoliſve, & Prophetis: quibus tandem teſtibus probat Bellarminus? Inprimis ſeptima Synodo: non illa, quę [b] ſeptima primò dicta eſt, Conſtantinopoli habita [c] circa annum Domini ſeptingenteſimum quinquageſimum; nam [d] ea idolorum nomine perſtringit adoratas Chriſti & Sanctorũ imagines: ſed recentiore, quæ [e] triginta quinque annis pòſt coacta in Nicęa urbe, unde ſecundę Nicænæ titulo [f] celebratur, *anathema* [g] *dicit iis qui imagines Chriſti & Sanctorum vocant idola.* Fulmen mettuendum, niſi Spiritus ſanctus nos adverſus talia crepitacula inſtruxiſſet: [h] *ut avicula errando, ut hirundo volitando; ita maledictio immerita non aduentura eſt.* Etenim anathema iſtud immerentibus nobis impingi, ipſa illa Synodus Nicæna, & Bellarminus, ſi diligenter expendamus quæ dicunt, planum facient. Ariani hæretici à ſanctis [i] Patribus condemnati ſunt idololatriæ, quòd Chriſtum creaturam eſſe affirmantes, non Deũ (ſicut loquitur [k] Scriptura) manifeſtatum in carne, divino tamen cultu cum venerentur. Hoc [l] quidam è præcipuis Nicænæ illius Synodi anteſignanis memorans ait, *Arianos iuſtè à Catholica Eccleſia idololatras appellari.* Et quoniam

[b] Inſerta ſextę actioni concilii Nicæn. 2.

[c] Hiſt. miſcell. Paul. Diac. lib. 21. collat. cum Funccii chronolog. & Onuphr. Faſtor. lib. 3.

[d] Secũdæ Synodi Nic. act. 6. tom. 2. & 6.

[e] Hiſt. miſcell. Paul. Diacon. lib. 22.

[f] Conc. Trident. ſeſſ. 25. decret. de imaginib.

[g] Act. 5. & 7.

[h] Prov. 26. 2.

[i] Athanaſ. contr. Arian. orat. 1. Greg. Nyſſen. orat. in laud. Baſilii Magn.

[k] 1. Tim. 3. 16.

[l] Act. 6. tom. 2.

Neſtorius divinum item cultum Chriſto deferebat, quem merum hominem eſſe volebat, non Deum: *anthropolatrarum* nomen, Neſtorianis tributum à ſanctis [a] Patribus, [b] Nicæna illa Synodus ſic probat explicátq;, ut dicat *ſe fidenter anathematizare Neſtorij idololatriam in homine*. Quid igitur? An Chriſtum, quando ab hæreticis, pro Deo ipſum non habentibus, colitur ut Deus, idolum jure nuncupat Synodus Nicæna: imagines verò Chriſti, quando, quæ Dii non ſunt, Deorum inſtar honorantur, idola nuncupandas, non abſurdiſſima ſit ſi neget? Porrò [c] Bellarminus dicit, *idolum eſſe imaginem quæ habetur pro Deo:* [d] dicit, *Alexandrum Severum coluiſſe imagines Chriſti & Abrahæ cum ceteris ſuis idolis:* [e] dicit *Carpocratem* (inter cujus hæreſes [f] recenſetur cultus imaginibus Chriſti exhibitus adorando, incenſúmq; ponendo) *coluiſſe Chriſti imaginem eo modo quo Gentes colunt idola:* denique, *Damaſcenum* [g] citans *teſtantem fuiſſe aliquos Chriſtianos* [h] *qui Chriſti & Sanctorum imagines quaſi Deos colerent*, dicit *tales accedere ad idololatriam.* In quibus ita patet imagines quaſcunque divino honore cultas idola ab illo nominari: ut hac in re impletum item videatur quod Propheta ſcripſit, [i] *Ac inimici noſtri ſunt iudices*. Huc accedit quòd libris Caroli Magni nomine contra ſecundam Nicænam Synodum ſcriptis [k] Bellarminus Synodi Francofordienſis acta contineri agnoſcit & demonſtrat. Qui autem ibi dicunt, [l] *Non enim nos imagines in baſilicis poſitas idola nuncupamus, ſed ne idola nuncupentur, adorare & colere eas recuſamus:* perſpicuè declarant idolorum nomine notandas ſibi videri imagines quæ coluntur atque adorantur. Quapropter etſi Bellarmi-

[a] Synod. Epheſin. epiſt. ad Theodoſ. & Valentin. Imperat. Act. Synod. cap. 67.
[b] Act. 7. Epiſt. Synod. ad Conſtantin. & Iren.
[c] De eccleſ. triumph. l. 2. cap. 7.
[d] Ibid. cap. 11.
[e] Ibid. cap. 16.
[f] Irenæ. adverſ. hæreſ. lib. 1. cap. 24. Epiphan. hær. 27. Auguſtin. de hæreſib. cap. 7.
[g] Ibid. cap. 11. & 16.
[h] Damaſcen. in fine libri de hæreſibus.
[i] Deut. 32. 31.
[k] De eccleſ. triumph. l. 2. c. 14.
[l] Carol. Magn. contra Synod. in part. Græc. pro adorand. imaginib. geſt. lib. 4. cap. 18.

nus

nus nolit ullos alios ſcriptores Eccleſiaſticos, quàm Calvinum, Martyrem, Illyricum, ſimiléſq;, idoli notam adoratæ Chriſti aut Sancti cujuſquam imagini inuſſiſſe: tamen novit ipſe priſcos Orientalium & Occidentalium Eccleſiarum Patres, qui ante octingentos annos vixerunt, idem factitaſſe; ac Nicænæ ſecundæ Synodi anathema immeritò, cûm Synodo judice, tûm ſeipſo, in Proteſtantes intorqueri.

4 Deinde Origenem & Theodoretum pejore fide producit. Nec enim falſam modò eorum ſententiam aſſumit quaſi veram, & ex falſo concludit falſum: ſed & verum falſò illis affingit, quo major, etiam falſa dicentibus, fides habeatur. Namque [a] Origenes, exponens illud præceptum, [b] *Non facies tibi ſculptile* (quod Septuaginta verterunt εἴδωλον) *aut ullam ſimilitudinem eorum quæ ſunt in cœlis ſuprà, aut quæ in terra infrà, aut quæ in aquis infra terram*; ait *aliud eſſe facere idolum, aliud ſimilitudinem: quippe, ſiquis ſculpat vel pingat quadrupedis, ſerpentis, aut avis ſpeciem, & adorandam ſtatuat, eum ſimilitudinem facere, non idolum: idolum contrà facere, non ſimilitudinem, qui repræſentet ſpeciem quam oculus non vidit, ſed ipſe ſibi animus fingit; ut ſi quis humanis membris caput canis aut arietis formet, vel duas facies fingat in uno hominis habitu, vel humano pectori poſtremas partes equi aut piſcis adiungat.* [c] Theodoretus itidem affirmans *ſimilitudinem eſſe alicuius* [1] *ſimulacrum &* [2] *effigiem, idolum autem nihil repræſentare quod ſubſiſtat; Quoniam*, inquit, *formas nequaquam ſubſiſtentes effingunt quidam Græci, verbi gratia, Sphingas, Tritonas, ac Centauros, & Ægyptij homines canina facie præditos, bubulóq; capite, idola vocat rerum non ſubſiſtentium*

[a] Homil. 8. in Exodum.
[b] Exod. 20. 4.
[c] Quæſt. 38. in Exodum.
[1] εἰδωλα.
[2] ἀφομοιωματα.

[1] μιμήματα. Nam Bellarminus ex hoc ipſo loco Theodoreti tradit *imaginem ab imitando dictã.*

[1] *imagines: ſimilitudines verò, effigies rerum ſubſiſtentium, veluti ſolis, lunæ, ſtellarum, hominum, belluarum, reptilium, & his ſimilium.* In quibus aberraſſe Origenem & Theodoretum à ſententia Scripturæ & Septuaginta interpretum, negari non poteſt. Nam פסל, vox Hebræa, quam illi Græcè verterunt εἴδωλον, aptiſſimè à veteris vulgatæ Latinæ interpretationis autore redditur *ſculptile*, id eſt, imago ſculpta: atque, tanquam ſpecies, expreſſè primò nominata, quoniam [a] idololatris erat uſitatiſſima, ſub *ſimilitudine*, ut genere, comprehenditur. Quod ex verbis Moſis liquidò appâret, dicentis populo ſuo: [b] *Non animadvertiſtis ullam ſimilitudinem, quo die alloquutus eſt Iehova vos in Horeb è medio ignis; ne corrumpatis vos, & faciatis vobis ſculptile, ſimilitudinem ullius ſimulacri, formam maris aut fœminæ, formam ullius animalis quod ſit in terra, formam ullius avis alatæ quæ volat verſus cælum, formam ullius repentis in terra, formam ullius piſcis qui ſit in aqua ſub terra.* Etenim, quum ex eo, quia nullam viderant ſimilitudinem Jehovæ, cujus [c] nomen indicat ipſum præ cunctis, quæcunque ſunt, ſubſiſtere, cavendum illis infert, ne faciant ſibi ſculptile, ſimilitudinem ullius rei: docet neutrum horum alteri opponi, neque rei minimè ſubſiſtentis formam vocabulo *ſculptilis* notari; ſed, poſt interdictum in ſpecie expreſſum, idem generatim vetari voce *ſimilitudinis*. Haud multo ſecus atque de rege Ageſilao, quod [d] Xenophon ſcripſerat univerſè, *eum noluiſſe imaginem corporis ſibi ſtatui:* hoc [e] Cicero enarrans per ſpecies imaginum, *Neque pictam, neque fictam*, inquit, *imaginem ſuam paſſus eſt eſſe*. Et quidem

[a] Deut. 7. 5. & 12. 3. & 27. 15.

[b] Deut. 4. 15.

[c] Heb. שמו à verbo quod ſignificat ESSE. [Exod. 3. 2.] Unde Græcè redditur ὁ ὤν à Theodoreto, [in Exod. quæſt. 15. & epit. divinor. dogmat.] poſt Clementem Alexandrinũ. [Strom. lib. 5.] eumq; propriè notat, qui ſolus eſt per ſe, & rebus omnibus dat ut ſint. Exod. 3. 14. Rom. 11. 36.

[d] In laud. Ageſ.

[e] Epiſt. ad famil. l. 5. ep. 12.

Sep-

Septuaginta, reddentes [a] ſæpenumero γλυπτὸν, id eſt, ſculptile, quod ſemel εἴδωλον reddiderunt; etiam in [b] hoc ipſo præcepto de Jehova, conſenſu omnium codicum; ne dicam & in [c] illo priore, conſenſu [d] plurimorum; quem locum reliquerunt dubitationi, quin idoli nomen ad rerum ſubſiſtentium effigies pertinere ſenſerint? Præſertim quum eaſdem voces adhibuerint ad alias Hebræas interpretandas alibi, ubi clariſſimè de ſimulacris rerum ſubſiſtentium agitur: [e] *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt ſculptile; & mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem bovis comedentis fœnum:* [f] *Idola gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum, os habent, & non loquuntur; oculos habent, & non vident; aures habent, & non audiunt; nares habent, & non odorantur; manus habent, & non palpant; pedes habent, & non ambulant; non mutiunt gutture ſuo.* Nam tametſi quædam horum membrorum, cum officiis adjunctis, convenire poſſent monſtroſis rerum minimè ſubſiſtentium formis, quales ab Origene & Theodoreto memorantur; ſicut *Triton* ille, quem [g] Paleſtini coluerunt nomine *Dagonis*, [h] inferiore corporis parte piſcem referens, ſuperiore habebat manus, &, ut [i] Virgilius canit, *Frons hominem præfert, in priſtin deſinit alvus*: tamen omnia ſoli homini conveniunt, quemadmodum [k] Auguſtinus rectè obſervavit, dicens, *Quæ de ceteris membris commemorabat, communia eſſe hominibus belluiſq; ſentimus; nam & vident, & audiunt, & olfaciunt, & ambulant, & quædam, ſicut ſimiæ, manibus contrectant; illud autem, quod de ore dixerat, proprium eſt hominis, quoniam beſtiæ non loquuntur.*

[a] Lev. 26.1. Deut. 7.5. & 12.3. & 27.15. Iud. 17.3. alibiq; paſſim.
[b] Deut. 4 verſ. 15.23. & 25.
[c] Deut. 5.8.
[d] Complut. Reg. Bibl. &c. Vet. Teſtam. iuxta Septuag. ex autorit. Sixti V. Romę edit. cum annotat. in Deuteronom. cap. 5. Gr. Lat.
[e] Pſalm. 105. 19. ſecundum Septuagint.
[f] Pſalm. 113. part. 2. verſ. 4. ſecundum Septuaginta: ubi vetus vulg. Lat. editio εἴδωλα vertit *ſimulacra*.
[g] Iud. 16. 23.
[h] 1. Sam. 5. 4.
[i] Æneid. lib. 10.
[k] In Pſalm. 113. concion. 2.

5 Quid, quòd ex ipſius Bellarmini verbis etiam appâret, eas fuiſſe rerum ſubſiſtentium formas & effigies, quas in rerum minimè ſubſiſtentium formis, quia ex homine beſtiáq; mixtæ & conflatæ erant, recenſent Origenes & Theodoretus. *Imagines* enim *Angelorum*, inquit Bellarminus, *non ſunt idola, quia fiunt ad repræſentandas eorum proprietates, ut infrà dicemus.* Infrà autem [a] dicit, *poſſe aliquid pingi ad explicandam naturam rei non per immediatam & propriam ſimilitudinem, ſed per analogiam, ſeu metaphoricas myſticáſq; ſignificationes: quemadmodum pingimus Angelos, iuvenes, alatos, ad ſignificandum eos ſemper viribus pollere, celerrimè moveri.* Ita licèt juvenis alatus ſit res mixta ex homine & ave, ſubſiſtens nihilo magis quàm Theodoreti [b] *Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella*: tamen Bellarminus alati juvenis effigiem, ad repræſentandum Angelum depictam, agnoſcit eſſe imaginem rei ſubſiſtentis. At verò Ægyptii ſimulacra *hominum caninis* aut * *bubulis capitibus præditorum* ad repræſentandas rerum naturas eundem in modum effingebant. Namque [c] muliebri ſimulacro bubula cornua habente adūbrabant Iſin, quòd Luna, quam ſub Iſidis nomine (ut [d] Diodoro viſum eſt) colebant, cornuta appareat quũ eſt propinqua Soli, bóſq; apud ipſos ei conſecrata ſit: aut ſaltem (ex [e] Euſebii ſententia probabiliore) quòd [f] regina Iſis, cum Oſiride marito, agri boum opera colendi rationẽ ad fruges percipiendas Ægyptios edocuerit; [g] galeámve ex bubulo capite confectam, quũ regali capitis ornatu in tumultu nudata eſſet, geſtârit. [h] Canino autem capite adjuncto corpori virili formabant Anubin, quòd ipſi galea fuerit canini capitis pellis: aut quòd

[a] Libro eodẽ, cap. 8.

[b] Auſon. gripho ternar. num.

* βικεφάλως (quod Picus, Theodoreti interpres, incommodè vertit *Bucephalos*) Theodoretus itidem hac in re uſurpat, ut Herodotus βόκερων, & Plutarchus βύκρανον.

[c] Herodot. in Euterpe.

[d] Biblioth. hiſt. l. 1. part. 1.

[e] Evang. præparat. li. 2. & 3.

[f] Diodor. Sic. lib. 1. part. 1.

[g] Plutarch. de Iſid. & Oſir.

[h] Diodor. Sic. lib. 1. part. 1.

quòd [a] vigilantissimum sagacissimúmq; Osiridi & Isidi custodẽ corporis se præbuerit. Ac ex his de ceteris judicari potest: quippe quę, seu Ægyptii, seu Gręci coluerunt, ad alicujus rei naturam bene de ipsis, ut putabant, meritam repræsentandam edolata sunt. Quocirca Origenem & Theodoretum in discriminanda similitudine ab idolo hallucinatos esse, cûm ex Mose patet, atque Septuaginta, tûm ex Bellarmino.

6 Jam ecce astutiam Jesuitæ. Volebat persuadere nullius rei veræ similitudinem & imaginem apud Ecclesiasticos scriptores denotari nomine idoli. Apud Septuaginta videbantur sibi unico ex loco malè intellecto id animadvertisse Origenes & Theodoretus: unde, sicut erat consequens, affirmant hominum effigies idola non vocari, ne si colantur quidem. In quo redarguuntur communi Patrum consensu, [b] Hegesippi, [c] Justini, [d] Tertulliani, [e] Cypriani, [f] Athenagoræ, [g] Theophili, [h] Clementis Alexandrini, [i] Eusebii, [k] Athanasii, [l] Epiphanii, [m] Philastrii, ac, ne singulos memorem, (quis enim veterum aliter loquutus est?) etiã [n] suo: qui, ex Septuaginta, [o] autoris libri Sapientiæ, & [p] Apostolorum usitata phrasi, nomen idolorum simulacris [q] Antinoi & aliorũ hominum divinos honores post mortẽ adeptorũ tribuunt. Bellarminus igitur, ut altero Origenis & Theodoreti errato fucum faciat, alterum emendat: & eorum sententiam, mutatis Cynocephalorũ similiúmq; rerum exemplis in exempla hominũ, ita recitat, ut asserere videantur quod perspicuè negant. Nam *dicunt*, inquit, *inter imaginẽ & idolum hoc interesse, quòd imago est vera rei similitudo; ut quum pingimus hominem: idolum autem repræsentat id quod revera non est; ut quum Gentiles proponebant statuas*

[a] Ibid. part. 2.

[b] Apud Hieron. in catalogo script. Ecclesiast.
[c] Apolog. 2.
[d] De idololatr. cap. 3. & 4.
[e] De idolorum vanit.
[f] Apolog. pro Christianis.
[g] Ad Autolyc. lib. 1.
[h] Orat. adhort. ad Gent.
[i] De vita Cõstant. lib. 3. cap. 25. & 52.
[k] Orat. contra idola.
[l] Ἀγκυρωτ. octog. hær.
[m] Catalog. hæres. in Baalit. Astarit. & Belit.
[n] Orig. in epist. ad Roman. lib. 1. & 4. Theodoret. curat. Gręcar. affect. serm. 3. & 10.
[o] Sap. 14. 12. & sequentib.
[p] 1. Cor. 12. 2. Apoc. 9. 20.
[q] Dio, Xiphil. epit. Pausan. Arcadicis.

tuas Veneris aut Minervæ, illa ſigna idola erant, quia repræſentabant Deos generis fœminini, quales Dij nec ſunt, nec eſſe poſſunt. Ubi, ſi Venerem ac Minervam homines eſſe meminerimus, quod & [a] alii docent, & Bellarminus perhibet, [b] appellans *Venerem meretricem, omniáq; Gentium idola ſtatuas hominum eſſe* [c] pronuntians: videbimus quàm bellè introducat Origenem & Theodoretum uno quaſi ſpiritu pugnantia loquentes; nempe hominis ſimulacrum imaginem eſſe, non idolum; hominum autem ſimulacra idola eſſe, non imagines. Et hanc concluſionem definitioni idoli, quam illi adhibent, repugnantem infert luculento ſophiſmate, quod [d] Ariſtoteles nominat ex forma dictionis. Hic enim ſyllogiſmus ſub ejus verbis latet: Idolum repræſentat id quod non eſt, ex ſententia Origenis & Theodoreti; at ſtatuæ Veneris & Minervæ repræſentant eas ut Deos, quales non ſunt; ergo ſtatuæ Veneris & Minervæ ſunt idola, ex ſententia Origenis & Theodoreti. Quæ ratiocinatio quod de ſubſtantia dicit in propoſitione, id in aſſumtione ad qualitatem tranſfert. Præclarè ſiquidem [e] Auguſtinus: *Pagani ea colunt quæ ſunt, ſed pro Dijs colenda non ſunt.* Quæ ſunt, id eſt, ſubſiſtunt in natura rerum, ſubſtantiam veram habent: ut homines mortui, quorum corpora [f] in pulvere terræ dormiunt; animæ, piorum, [g] in paradiſo ſunt; impiorum, [h] in carcere. Sed quæ pro Diis colenda non ſunt, exiſtimationis & gloriæ Deo debitæ qualitatem ſibi adjunctam non habent: ut [i] docuerunt Apoſtoli Paulus & Barnabas, quum ipſos, qui erant, populus Lyſtrenſis pro Diis, quales non erant, colere inſtitueret. Itaque Bellarminus ſimillimam texit rationem

[a] Cic. lib. 3. de nat. Deor. Arnob. adverſ. Gent. lib. 4. Lactant. lib. 1. cap. 15. Euſeb. Chron. & præpar. Evãg. lib. 1. Aug. de civ. Dei, lib. 6. cap. 7. & l. 18. c. 8. ex Sanchon. aliiſq; hiſt.

[b] Præfat. de eccleſ. triũph.

[c] De eccleſ. triumph. l. 2. c. 8. ex Euſebio & Lactantio.

[d] De reprehenſ. Sophiſt.

[e] Contr. Fauſt. Manich. lib. 20. cap. 3.

[f] Dan. 12. 2.

[g] Luc. 23. 43.

[h] 1. Pet. 3. 19.

[i] Act. 14. 15.

tionem illius [a] Gellianæ; *Quod nix est, hoc grando non est; nix autem alba est; grando igitur alba non est:* aut hujus, quæ in scholis pro exemplo sophismatis à forma dictionis proponebatur nobis pueris; *Quod heri emisti, id hodie comedisti; at crudum heri emisti; ergo crudum hodie comedisti.* Qua fraude jam absterso evidente nævo sententiæ Origenis & Theodoreti, concludit ex eorum definitione imagines Christi, Trinitatis[1], sanctorum hominum, & Angelorum non esse idola.

[a] A. Gell. lib. 18. cap. 13.

7 Ego verò, si Origenes & Theodoretus sensissent quod adscribit illis Bellarminus in adjudicando idolorum nomine statuis Veneris & Minervæ, facilè probarem ex Bellarmino ipso Dei & Sanctorum imagines idola esse posse, ac sæpe esse. [b] Is enim *Deum Patrem in hominis forma à Papistis pingi* agnoscit, & *Spiritum sanctum in columbæ:* [c] *hæreticósq;* quosdam, qui [d] Beatæ Virginis & aliorum Sanctorum (puta Pauli, & Teclæ) imagines coluerunt ut Deos more Græcorum, observat *dictos esse Christianocategoros, id est, Christianorum accusatores, quia propter eos accusabantur Christiani tanquam idolorum cultores.* Unde ad ipsius formulam ex Origene & Theodoreto conflari posset hæc sententia: Idolum repræsentat id quod revera non est; ut quum hæretici proponebant imagines B. Virginis & Teclæ, illæ picturæ erant idola, quia repræsentabant Deos generis fœminini, quales Dii nec sunt, nec esse possunt: aut quum Papistæ proponunt imagines Dei Patris Spiritúsq; sancti, hæc simulacra sunt idola, quia repræsentant Deum corporeum, qualis Deus nec est, nec esse potest. Ita Bellarminus, quò verarum rerum

[b] Bellarm. de eccles. triũph. lib. 2. cap. 8.
[c] Ibid. cap. 11.
[d] Damascen. de hæresib.

simi-

ſimilitudines & imagines, etiamſi colantur, idola non vocari à ſanctis Patribus perſuadeat: primùm, diſſimulato reliquorum omnium ſanctorum Patrum conſenſu, duos, quorum * alterum hæreticum fuiſſe, atque apud inferos damnatum eſſe [a] perhibet, tanquam locupletiſſimos aſſertionis ſuæ teſtes producit. Tum, repudiatis quæ hi duo quoque ſcripſerunt alibi ſaniùs & conſentientiùs cum ceteris ſanctis Patribus, ſcoriam ex ipſorum aurifodinis eruit: valde diſſimilis Ethnico poetæ; [b] cujus, Ennianæ lectioni vacantis, atque ab amico *quid ageret* interrogati, reſponſum celebratur, *ſe ex Ennij ſtercore aurum colligere*. Deinde, quia verba eorum, ſi, ut ſcripta ſunt, propoſuiſſet integra, errorem manifeſtum proditura erant, ideo exempla ab illis poſita ſupprimit, & ſubſtituit ſua Veneris ac Minervæ: eodem modo, ex parte, quo [c] Julius Cæſar conſul, tria millia pondo auri furatus è Capitolio, tantundem inaurati æris repoſuit. Poſtremò, tanto minus habet, vel peritiæ, vel felicitatis in furandi arte, quàm Cæſar conſul habuit, ut ne ſic quidem aurum pro inaurato ſuo rauduſculo acquirat: ſed ex Lydii lapidis tactu oſtendat, Dei & Sanctorum imagines, ſi colantur, idola nominari ab antiquis Patribus; ſéq;, licèt irrito conatu, [d] furem eſſe.

* Origenem.

[a] Bellarm. de purgator. lib. 2. cap. 8.

[b] Donat. in vitâ Virgilii.

[c] Sueton. in Iulio Cæſ. cap. 54.

[d] Ioh. 10. 10.

8 In eo porrò quòd Angelorum imagines ſic conjungit cum imaginibus Trinitatis, tanquam Deum ęquè liceret pingere atque Angelos, quorum [e] alterum Lege diſertè interdictum eſt, [f] alterum mandatum; & Trinitatis imagines idola eſſe negat, quia non fiunt ad repręſentandam naturam Trinitatis: alterius Papiſtarum abominationis, qua Deum Patrem pingunt in forma

[e] Deut. 4. 15.

[f] Exod. 25. 18.

forma hominis ſenis, & Spiritum ſanctum in columbæ, defenſioni viam munit præparátq;. Nam [a] Synodus Tridentina permittit *divinitatem exprimi & figurari*: addens, *non propterea figurari eam, quaſi corporeus oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſſit*. Perplexa ſententia; Non exprimi Deum figuris, quaſi poſſit figuris exprimi: & cui demirarer equidem quæ vis ſubſit, niſi [b] Bellarminus nodum expediret. Huc enim ſpectat quòd diſtinguens varias pingendæ rei rationes, ait *perfectam ſimilitudinem formæ & naturæ Dei exprimi non poſſe, quia non eſt res corporea, lineamentis & coloribus prædita: ſed imperfectam poſſe, per metaphoricas myſticáſq; ſignificationes, ut quum in forma hominis pingitur, qui eſt imago Dei valde imperfecta, obſcura, & diſſimilis*. Ceterùm quo pacto probat fas eſſe Deum ita pingere? qui per Moſen prohibet ſe repræſentari vel imperfecta imagine, [c] *ſimilitudine ullius ſimulacri, formæ maris aut fœminæ*: idq; ratione interdicti adjectâ, qua patet ipſum ullam imaginem ſui fieri vetare ſimpliciter & abſolutè; quia [d] *nullam viderant ſimilitudinem Dei, quo die* [e] *alloquutus eſt Iſraelitas in Horeb*. Ut ex ejus verbis formetur hæc argumentatio: Quod Deus verbo & facto in Lege promulganda fidelibus oſtendit, hoc pro officii regula voluit haberi; at nullam ſimilitudinem oſtendit illis Deus in Lege promulganda; nullam ergo Dei ſimilitudinem licet facere. Et quid reſpondet Bellarminus? Quid? Quia non poteſt vel propoſitionem negare, vel aſſumtionem; quarum altera neceſſariò includitur verbis Moſis, altera expreſſè traditur: idcirco negat concluſionem;

[a] Seſſion. 25.

[b] De eccleſ. triumph. lib. 2. cap. 8.

[c] Deut. 4. verſ. 16.

[d] verſ. 12. & 15.

[e] Exod. 20. 1.

ſic

ſic tamen, ut argutula cum diſtinctione quodammodo concedere eam videatur. Nam ait *Deum poſſe in forma hominis pingi ad hiſtoriam aliquam oculis exhibendam; aut etiam extra hiſtoriam, ad explicandam eius naturam per analogicam ſimilitudinem, & imperfectam: ſed ad exprimendam immediatam, propriam, perfectam ſimilitudinem formæ & naturæ ipſius pingi non debere: atque hoc eſſe, quod illa Moſis lege interdictum ſit.* Qua ſolertia Jeſuitica ſi diſtinguere liceat ubi Lex non diſtinguit: licebit adulteris quoque pro ſe dicere, vetari lege Moſis, [a] nequis committat adulterium ad explendam libidinem; ſed ad principatum adipiſcendum, ut [b] Seianus fecit, non vetari: licebit perjuris, vetari lege Moſis, [c] nequis pejeret ad ſanguinem hominis fundendum; ſed ad gratificandum amico, ut in Cluvio jocatur [d] Cicero, non vetari: licebit idololatris, vetari lege Moſis, [e] nequis ſacrificet cuiquam niſi Deo ad deferendam propriam & perfectam latriam; ſed ad analogicam latriam exhibendam, ut [f] B. Virgini collyridem obtulerunt hæretici, non vetari. [g] Tridentina Synodus præcipit fidelibus, ne legant ullum librum Calvini, aut Melanchthonis, cujuſcunque tituli aut argumenti exiſtat. Quid ſi quis inter ipſos, ſtudens [h] omnia explorare & quod bonum eſt tenêre, diceret hujuſmodi libros legi poſſe ad [i] imperfectam & ænigmaticam cognitionem acquirendam, qualem adipiſcuntur fideles in hac vita: ſed ad comparandam perfectam cognitionem, qualis ſuperſtiti nemini contingit, legi non debere: atque hoc eſſe quod Tridentina illa regula interdictum ſit? Num laudaturi eſſent hominis acumen, qui ſententiam Synodi tam ingenioſè pervidiſſet

[a] Deut. 5. 24.
[b] Tacit. annal. lib. 4.
[c] Deut. 5. 17.
[d] Pro Q. Roſcio Comœd.
[e] Exod. 22. 20.
[f] Epiphan. hær. 79. Collyridianorum.
[g] Ind. libror. prohibitor. confect. à deput. Trid. Synod. reg. 2.
[h] 1. Theſ. 5. 21.
[i] 1. Cor. 13. 12.

vidisset? Næ iste, si incideret in ungues Hispanorum aut Romanorum Inquisitorum, sensurus esset quanti faciant tam sagaces suarum legum interpretes. [a] Hypocritæ, faciem terræ & cœli nostis explorare: hoc autem tempus quî fit ut non exploretis? Tridentinas leges existimaretis irrideri: divinas sic eludi æquo animo fertis? Atque, siquis contra Synodi decretum argumentaretur, Pinciani scholia in Senecam legi posse, & Vivis libros de anima; ferendum igitur esse ut Melanchthonis liber de anima legatur, & Calvini scholia in Senecam de clementia: aut eadem, quæ Calvinus & Melanchthon tradunt, in aliis tutò legi; cur ergo in illis non legantur? aut obscœnos libros Ovidii, Martialis, qui minùs videantur legendi, [b] tolerari; propterea Calvini castos commentarios in castum opus Senecæ, & Melanchthonis librum, autoris sui similem, prohiberi non debere: audiret Jesuitas tonantes in [c] illud os, quod Senatoribus orbis terræ se opponat; & hoc admoneretur, Qui pleno concilio ritè atque ordine consummato momentum abrogat, videri ipsis nullo consilio, nullo cerebro, nec solùm in theologis tardum, sed etiam in politicis inconsultum. At contra Dei legem disputat Bellarminus, *Angelos incorporeos pingi fas esse, proinde & Deum incorporeum*; ac *Deum aliquando corporea specie apparuisse, igitur corporea forma pingi posse*; ac *Scripturam verbis tribuere Deo omnia membra humana, cur ergo non poterit pictura talis exhiberi?* ac *pingi ea quæ minùs videntur posse pingi quàm Deus, cur ergo non poterit pingi Deus?* denique *hominem esse veram Dei imaginem, sed hominis pingi posse imaginem, ergo & Dei*: nec tamen condemnatur quòd cœlis

[a] Luc. 12. 56.

[b] Ind. Trident. libror. prohibitor. reg 7.

[c] Campian. rat. 4. Possevin. select. bibloth. l. 7. c. 20.

[a] Pſal. 73.9. [a] cœlis opponat os ſuum; immo Pontificiis videtur magno cerebro, magno conſilio, fortaſſe in politicis etiam conſultus, in theologis certè acutus. Adeò evidenter impletur hodie quoque, quod olim obſervavit Apoſtolus: [b] *Vani facti ſunt in ratiocinationibus ſuis, & obtenebratum eſt deſipiens cor eorum; quum ſe dictitent ſapientes, ſtulti facti ſunt; mutârunt enim gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrium*; ſaltem unius volucris, columbæ.

[b] Rom. 1.21.

9 Jam verò, ut clariſſimam divinæ Legis ſententiam, partim inepta diſtinctione eludere, partim futilibus argumentationibus infringere nititur Bellarminus: ſic antiquos Patres, fideliter eam explicantes, & idem aſſerentes, ludificatur eâdem arte; Pontificióſq; Doctores, qui Scripturas detorquent ad tegenda Eccleſiæ ſuæ vitia, tanquam orthodoxos earum interpretes & tractatores laudat. Perennius ære monumentum immanis impudentiæ duorum ex primariis illius ſodalibus, [c] Campiani dico, atque [d] Poſſevini: qui *noſtrum in Scripturis exponendis ingenium idcirco plenum fraudis, inane prudentiæ eſſe* clamitant, *quòd, quum Pontificij eas refragari nobis ex contextu, verbíſq; adiacentibus, & Scripturarum collatione demonſtrârunt*, ſcilicet, *nec tamen ullum finem facimus altercandi; tum ipſi antiquitatem, omnium ſeculorum venerandam canitiem, veterum Græcorum & Latinorum ſcholia, Divos interpretes audiri volunt, nos autem abnuimus; & quid regerimus tandem? Doctor Martinus Lutherus, aut verò Philippus, aut certè Zuinglius, aut ſine dubio Calvinus & Beza fideliter enarrârunt; in ſumma, ſic inſtituimus, niſi reorum iudicio*

[c] Ration. 2.
[d] Biblioth. ſelect. lib. 7. cap. 18.

dicio ſteteris, nullum iudicium fore; atque hoc modo nos gerimus in omni quam exercemus controverſia; non in una tantùm aliqua, ſed *in omni*. Nam ecce, controverſamur de Trinitatis imaginibus, quas [a] Wicleſi ſchola contendit eſſe maximè abominabiles; Papiſtæ autem ita deamant, ut in Bibliorum vulgatæ editionis à Sixto Quinto & Clemente Octavo editorum fronte, ſicut [b] Judæ peccatum, ſtylo ferreo, ad perpetuam rei memoriam, eas ſculpſerint. Hîc poſtquam Jeſuitæ *pagella ſcripta* (ut [c] loquuntur) *ſuperiores ſunt*, mirificentiſſimè, quippe quæ [d] prohibeat *ſimilitudinem fieri*; nec ſolùm nos refellunt verbis adjacentibus, [e] *ullam ſimilitudinem*, [f] *ullius ſimulacri, formam maris aut fœminæ*, [g] *ullius animalis, ullius avis*, & quæ ſequuntur; ſed etiam Scripturarum collatione, [h] *Cui aſſimilabitis Deum, et quam ſimilitudinem comparabitis ei?* [i] *Non debemus exiſtimare ſculpturæ artificij & excogitationis hominum Divinum numen eſſe ſimile*; poſtquam igitur hiſce cunctis ſuperamur, nec tamen altercari deſinimus: tum nos antiquitatem adhibemus interpretem; veteres Hebræos, de quibus rex [k] Agrippa ſcribit, *Inviſibilem Deum pingere aut fingere nefas duxerunt noſtri maiores*; [l] Clementem Alexandrinum, qui affirmat *Deum ex Moſis diſciplina nec hominis effigie, nec ulla alia repræſentari*; [m] Origenem, qui *Dei ſimilitudinem ullam faciendam* negat; [n] Euſebium, qui percontatur, *Quid ſimile habet corpus humanum menti Dei? &, Quis tam amens erit, ut Dei formam & imaginem ſtatua viro ſimili referri perhibeat?* [o] Athanaſium, qui *puſillus Dei Patris, Filij, ac Spiritus ſancti imagines in rebus incorporalibus* tantùm agnoſcit, *ne ſtulti et vecor-*

[a] Apud Thomam Waldenſ. tom. 3. tit. 19. cap. 155.

[b] Ier. 17. 1.

[c] Campian. & Poſſevin. loco citato.

[d] Deut. 4. ver. 16.

[e] ver. 15.

[f] ver. 16.

[g] ver. 17.

[h] Eſai. 40. 18.

[i] Act. 17. 29.

[k] Epiſt. ad Caligul. Imp. apud Philonem Iud. de legat. ad Caium.

[l] Stromat. lib. 1. & 5.

[m] Contra Cell. lib. 7.

[n] Evang. præparat. lib. 3.

[o] Orat. contra gregales Sabellii.

des Deum corporalibus rebus aſſimilent; [a] Hieronymum, cujus verba, *Quam imaginem ponetis ei qui ſpiritus eſt, & in omnibus eſt, & ubique diſcurrit, & terram quaſi pugillo continet?* ſignificant Deum nulla figura exprimendum; [b] Auguſtinum, qui de hominis ſedentis forma loquens, *Tale*, inquit, *ſimulacrum Deo nefas eſt collocare*; [c] Theodoretum, qui pronuntiat *inſtitui verbis Moſis ne ſimulacrum ullum fabricent, neque tentent unquam divinam imaginem effingere*; [d] Damaſcenum, qui *ſummæ inſipientiæ & impietatis eſſe* perhibet *Divinum numen figurare*; [e] Conſtantinopolitanam Synodum, quæ ex *Moſe* diſputat, *Similitudinem Dei nullam viſam in monte, nullam igitur faciendam*; [f] Theodorum epiſcopum Jeroſolymitanum, [g] Germanum Conſtantinopolitanum, [h] Johannem Theſſalonicenſem, Leontium Cyprium, & [i] alios, qui ſecunda Nicæna Synodo approbante aſſeverant *Deum pingi non poſſe*; denique Nicetam, ac Nicephorum Calliſtum, quorum [k] alter *Dei effigiem pingentes* in *furioſis* numerat, & *Eſaiam* dicti ſui teſtem laudat; [l] alter de hæreticis quibuſdam verba faciens, *Imagines*, inquit, *Patris & Spiritus ſancti effigiant, quod perquam eſt abſurdum*. Bellarminus contrà (numnam ſic inſtituens, judicium nullum fore, niſi reorum judicio ſteteris?) oratores novos, Doctores ſuos citat: &, ut Campiani phraſin ad eum accommodemus, dicit, [m] *Caietanus* Cardinalis Thomas de Vio, aut verò [n] *Catharinus*, aut certè [o] *Payva*, aut ſine dubio [p] *Sanderus* & [q] *VValdenſis* fideliter enarrârunt. Hos enim quinque aſſerit *docere licitum eſſe Dei Patris imaginem in forma hominis ſenis pingere; & Spiritus ſancti, in columbæ.*

[a] In Eſai. cap. 40.
[b] De fide & ſymb. cap. 7.
[c] In Deuteron. quæſt. 1.
[d] Orthod. fid. l. 4. c. 17.
[e] Synod. Nicæn. II. act. 6. tom. 4.
[f] Ibid. act. 3.
[g] Ibid. act. 4.
[h] Ibid. act. 5.
[i] Ibid. act. 6. & 7.
[k] Nicet. lib. de imaginib.
[l] Niceph. hiſt. eccleſ. l. 18. c. 53.
[m] Part. 3. quæſt 25. art. 3.
[n] Lib. de cultu imaginum.
[o] Lib. ult. contra Kemnic.
[p] De cult. imag.
[q] Tom 3. tit. 19. cap. 155.

10 Verum-

10 Veruntamen, ne omnino Jesuiticum illud stratagema negligat, quo persuadent vulgo veteres interpretes nobis adversari, recentes solùm assentiri: à Calvino orditur, veluti contrariæ opinionis principe. Non quò eum primum putet, qui hoc senserit; nam postea, *Hæc opinio*, inquit, *Calvini, est etiam aliquorum Catholicorum, ut* [a] *Abulensis*, [b] *Durandi*, & [c] *Peresii*; è quibus Abulensis Calvinum annis centũ, Durandus ducentis anteceſſit: sed quò novitatis Calvinianæ nomine suspectam & odiosam reddat veritatem. Ad Origenem autem, Augustinum, Damascenum, & Nicænos Patres respondet, ut ad Mosen: videlicet *eos loqui de imagine Dei quæ fit ad exprimendam perfectam, immediatam, propriam divinæ naturæ similitudinem; non quæ ad imperfectam, mediatam, metaphoricam*. Nec mirum, qui sit ausus injuriam Mosi facere, offundendo tenebras verbis luce clariùs sententiam generalem simpliciter præ se ferentibus: eum minùs clara Patrum testimonia, quanquam satis liquidò Mosi subscribentium, similiter obscurare ausum. Namque Origenes, & Legem [d] *Mosis* urget, *ne fiat ulla similitudo*: & opponit Celso judicium *Christianorum, qui Dei, utpote incorporei invisibilisq;*, [1] *effigiem nullam faciunt*. Neutrũ aptè ad institutum, si perfectam modò similitudinem carperet, ac non imperfectam: præsertim quum Pagani, contra quos scribit, assererent sua simulacra [2] exiles esse numinis divini similitudines, & [3] obscura signa honoris Deo debiti; ut paulo ante Origenem [e] Plutarchus & [f] Maximus Tyrius ostenderunt. Augustinus autem, postquam ex [g] *Apostolo* notasset *eorum sacrilegium, qui mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in*

[a] In cap. 4. Deuteronom.
[b] In 3. Sentér. dist. 9. quæst. 2.
[c] De traditionib. part. 3. tract. de imaginib.

[d] Exod. 20. 4. Cui legi adiungit [eiusdem operis contra Celsum lib. 4.] alteram legem Mosis, Deut. 4. 16.

[1] Μορφὴν μηδεμίαν γράφοντες.
[2] Γλίσχρας ὁμοιότητας.
[3] Σημεῖα ἀμυδρά.
[e] Lib. de Isid. & Osir.
[f] Serm. 38.
[g] Rom. 1. 23.

ſimilitudinem corruptibilis hominis: ſubjungit, *nefas eſſe collocare tale ſimulacrum Deo*. Humanam ergo imaginem vel ad imperfectam Dei ſimilitudinem exprimendam ſtatui nefas eſſe docet: niſi fortè Ethnicos, qui ſimulacrum hominis pro tenui & obſcuro Dei ſigno habebant, peccati reos ab Apoſtolo peractos negabimus; quod quàm ſit abſurdum dictu, quis non videt? Porrò Damaſcenus infert, *quia ſummæ eſt inſipientiæ & impietatis* [1] *Deum figurare, propterea tritum non fuiſſe in vetere Teſtamento uſum imaginum: at verò, poſtquam Deus verè factus eſt homo, non ut Abrahæ viſus eſt in hominis ſpecie, neque ut Prophetis, ſed ſecundum ſubſtantiam homo verè factus eſt, moratúſq; in terra, & cum hominibus verſatus eſt, miracula operatus eſt, paſſus eſt, crucifixus eſt, reſurrexit, ſurſum receptus eſt; hæc imaginibus depingi Patribus placuiſſe*. Ubi commemorans Deum ſub humana ſpecie apparuiſſe Abrahæ & Prophetis, nec tamen ſic pingendum fuiſſe quoad verè humanam carnem aſſumeret; metaphoricas ac mediatas imagines Dei rejicit: & tanquam ex profeſſo, tûm picturas improbat Pontificiorum, Deum in [a] hiſtoriis veteris Teſtamenti figura hominis exprimentium; tûm Bellarmini ſophiſma, *Prophetis apparuiſſe Deum corporea ſpecie, quid ergo prohibet ſic pingi?* ex lege Altiſſimi (ut [b] alibi pleniùs) refellit. Jam Patres in Nicæna Synodo citati, & idem omnino cum Damaſceno aſſerunt; & ex eadem lege [c] partim confirmant: neque ſe ab illis diſſentire innuunt Nicæni ipſi Patres. Nam quod Bellarminus ait *Spiritus ſancti imaginem in forma columbæ approbari in eâ* [d] *Synodo*: fortaſſe plus inſinuat quàm auſus eſt

[1] τὸ θεῖον, ut Act. 17. 29. *Divinitatem* reddit Tridentina Synodus, contrarium ſtatuens, ſeſſ. 25.

[a] Gen. 1. & 2. Exod. 17. Bibl. vulg. edit. Sixti V. & Clementis VIII.

[b] Damaſcen. de imaginib. lib. 1. & 2.

[c] Germanus, epiſt. ad Thomam: & Leontius, diſputat. Judæi & Chriſtiani.

[d] Act. 5.

est affirmare, significanter dicens, *in Synodo*, non, à Synodo; fortasse injuriam illi quoque facit, à quo hoc ibi factum esse significat. Tharasius enim episcopus Constantinopolitanus, quum declaratum esset fuisse Antiochiæ columbas aureas & argenteas in formam Spiritus sancti supra baptismatis fontes appensas, ex eo quidem argumentatur; *Si tales Spiritus sancti imagines à sanctis patribus sunt receptæ, quanto magis recipienda est imago Christi, Verbi incarnati?* sed multo planiùs approbat Martyrum sententiam [a] ibidem statim recitatam, *Christianos numen Divinum, quod est simplex, & incomprehensibile, figuris non assimulare; Verbum duntaxat incarnatum pingere*: nec silentio solùm huic assertioni, sæpius [b] deinceps iteratæ, favet; verùm etiam decreto, pro Christi & Sanctorum imaginibus facto, imagines Dei Patris & Spiritus sancti [c] excludit. Itaque Bellarminus, ista perfectæ, immediatæ, propriæ, analogicæ, metaphoricæ, mysticæ similitudinis aut significationis commenta ad Origenis, Augustini, Damasceni, & Nicænorum Patrum sententias eludendas adhibens, exercet eam astutiam, quam [d] Universitas Duacensis & Censores Belgici agnoscunt prædicántq; : quum palàm profitentur (non putantes nobis id unquam fore cognitum) *se plurimos in Catholicis veteribus errores excogitato commento persæpe negare, & commodum iis sensum affingere, dum opponuntur in disputationibus, aut in conflictionibus cum adversariis. Errores* quippe nominant eas sententias, quæ pro nobis faciunt contra Pontificios: qualis est (per cujus occasionem hæc confessio ipsis excidit) Bertrami,

[a] Ex libro Constantini Chartophyl. de Martyribus.

[b] Act. 6. tom. 2. 3. & 4.

[c] Act 7. epist. ad Constantin. & Iren.

[d] Ind. expurgat. cap. Vt liber Bertrami presbyteri, de corpore & sanguine Domini, tolerari emendatus queat.

nempe, panem & vinum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti figuratè. Ac multos quidem alios tales orthodoxos Patrum errores probabiliùs concordiúſq; excogitato commento negant: & ſenſum, nihil prorſus incommodi Eccleſiæ Romanæ afferentem, illis affingunt. Hîc autem adeò nullus quicquam veriſimile comminiſcendi locus erat, ut non ſolùm alii paulo æquiores, [a] Monlucius, [b] Heſſelius, atque [c] Feliſius, [d] Molano ſubſcriptore, agnoſcant Patres ſtatuere Deum in effigie humana non pingendum: ſed etiam [c] Catharinus, inter principes ſui dogmatis patronos à Bellarmino citatus, id ipſum haud obſcurè aſſerat. Nam etſi, ut perſuadeat picturas Trinitatis meritò Eccleſiæ uſu nunc probari, ad Damaſceni dictum, *ſummæ inſipientiæ & impietatis eſſe figurare Deum*, reſpondeat, *Hoc verum eſt, quando ex ea opera aliquid erroris veniret, non autem ſi potiùs aliqua notitia, & devotio, & excitatio:* tamen, nullam videns ſatis ſpecioſam cavillationem, qua Pontificius ſenſus Patribus affingatur, ſubjungit, *Non me latet aliquos Doctores hoc non probaſſe, antequam uſus eſſet in Eccleſia*. Quin immo ex Sorbona ipſa delectorum theologorum lumina, [f] Salignacus, Boutillerius, Eſpencæus, & Picherellus, unà cum Monlucio Valentiano epiſcopo, diſertè ſunt teſtati, *ſe propterea cupere Trinitatis imagines è templis aliiſq; omnibus, tûm publicis, tûm privatis locis prorſus amoveri; quòd eæ per Scripturas, per Synodos, per complures eximia doctrina & ſanctitate viros interdictæ ſint.*

11 Quo illuſtriùs patet Campiani & Poſſevini impudens improbitas: qui calũnioſiſſimè affirmãt nos reſpuere Patrũ judicium de Scripturarũ ſenſu in omni controverſia:

[a] Hiſt. eccleſiaſt. Eccleſiar. reformatar. in Gall. lib. 4.

[b] Decalogi explicat. de 1. præcept. cap. 65. & 66.

[c] Elucid. decalog. præcept. 1. cap. 64.

[d] Cenſura in Feliſii Catholicam præceptorum decalogi elucidationem.

[e] Lib. de cultu imaginum.

[f] Hiſt. eccleſiaſt. Eccleſiar. reformatar. in Gall. lib. 4.

troverſia : Calvini verò & Bezæ, Melanchthonis, Zuinglii, aut Lutheri ſententiam venerari. ubi rurſum etiam peccant, quòd in noſtræ recentium interpretum approbationis exprobratione Proteſtantes nominant duntaxat, non item Pontificios. Ex quibus Bellarminus tres Epiſcopos memorans, videlicet Abulenſem, Durandum, & Pereſiũ; prætermittens forſitan, non dico, Monlucium, ceteróſq; Gallos & Belgas, quos neſcire potuit, ſed [a] Aquinatem & [b] Oleaſtrium, ne quinque, quos è ſuis Doctoribus pro ſe producit, alteris quinque obruat; nam illud axioma, *non potuiſſe Deum in vetere Teſtamento pingi, in Novo poſſe, quia homo factus eſt*, commune Aquinati & Oleaſtrio cum Epiſcopis, conſenſionem eorum arguit: verùm Bellarminus, Epiſcopos Pontificios idem cum Calvino ſentientes memorans, declarat eſſe quos ſequamur præter Proteſtantes. Atque adeò ex utriſque nonnullos meruiſſe Patribus interdum in expoſitione Scripturæ anteferri, teſtatur magnus Tridentinæ fidei defenſor, [c] Payva Bellarmini. Is enim, [d] Caietano, ſe novos Scripturarum ſenſus à doctoribus priſcis alienos quandoque illaturum profitenti patrocinans, aſſeverat plurima in Moſe, Pſalmis, & Prophetis eſſe noſtro hoc ævo doctorum hominum diligentia multo accuratiùs, quàm unquã antea, explicata: & Spiritum illum cœleſtem, qui unicus eſt Scripturarum fidúſq; interpres, voluiſſe poſteros habere quædam explorata, quæ majores omnino latuerant; atque occulta nobis, illi verò ſatis perſpecta ratione efficere, ut ex plurimis Scripturæ locis veteres myſteria haurirent augendæ pietati informandíſq; moribus aptiſſima, poſteritas autem genuinum

[a] Part. 3. quæſt. 25. art. 3.
[b] In Deuteron. cap. 4.
[c] Andrad. defenſ. fid. Trid. lib. 2.
[d] Præfat. comment. in libros Moſis.

ac proprium eorundem ſenſum aſſequeretur. Cuius rei exemplum luculentum præbuit [a] ipſe in Beza: tametſi nomen ejus, ut noſtrorum ſolent Papiſtę, cautè ſupprimat. Siquidem, qui [b] duorum dictorum Petri ſenſus à [c] Beza traditur contra veteres deſcenſum animæ Chriſti ad limbū Patrum (quem appellant Scholaſtici) inde colligentes: eum eſſe Spiritus ſancti germanum & genuinum ſenſum, ex utriuſque loci verbis, contextu, circumſtantiis docet Payva.

[a] Eod. lib. defenſ. fid. Trident.
[b] Act. 2.24. 1. Pet. 3. 19.
[c] Annotat. maiorib. in Nov. Teſt.

12 Ceterùm commune Pontificiorum ſtratagema eſt, ingenerare hominibus hanc opinionem, recentiores tantùm autores à nobis ſtare. Quanquam, ita metuunt ne talium quoque verba ſatis habeant ponderis ad malè materiatas & ruinoſas Romanarum ſuperſtitionū ædes diruendas, ut in eorum libris, quos alioqui probant, vel ſcitè caſtiganda vel expungenda curent quęcunq; ipſis adverſantur. Polydorus Virgilius, quum in lucem primò emiſit opus ſuum de inventoribus rerum, immo quum [d] ſecundò ſaltem [e] tertióve, hoc [f] mandavit ſcriptis: *Vt poſſet eorum memoria retineri, qui vel morte ſubtracti vel abſentia ſeparati ſunt, idcirco ab hominibus (ut nemo ſanè ambigit) fingendarū ſimilitudinum ratio inventa eſt: quo fit ut, quum Deus ubique præſens ſit, nihil profectò ſtultius fieri poſſit, quàm eius ſimulacrum fingere.* Atque hanc ſententiam ex Moſe confirmavit. [g] Pòſt autem, pro his verbis, *Nihil profectò ſtultius fieri poſſit*, hęc ſubſtituta ſunt, *Nihil à principio poſt homines natos ſtultius viſum ſit*; indéq; deinceps hæc inſerta: *Formulam fingendæ ſimilitudinis Dei, quò eius memoriam facilius animo complecteremur, ipſemet Deus nobis præmonſtravit: proinde homo, qui ſuopte ingenio paratus eſt*

[d] Polyd. Virg. præfat. in libros de inventoribus rerū, ad Ludov. Odaxium, anno Dom. 1499. & proœm. in librum eiuſdem operis quartum, ad Matth. Virgilium fratrem, anno Dom. 1517.
[e] Anno Dom. 1521. Baſileæ, apud Io. Frobenium.
[f] Lib. 2. ca. 23.
[g] Anno Dom. 1544 Baſileę, apud Mich. Iſingrinium.
[h] Eodem lib. & cap. eiuſdem edit.

ad

ad imitandum, ſiquid ſit quod ad ipſius diſciplinam, contemplationem, delectationémq; attineat, Dei memoriæ retinendæ gratia, quàm prudentiſſimè ab initio ipſius Dei ſimulacrum ſibi finxit. Quo pacto ſive ipſe, impulſu aliorum, interpolavit locum, & prioris tamen ſententiæ veſtigia ſic relinqui voluit, ut quod prudentiſſimè ab initio factum eſſe ſubjicitur, idem à principio ſtultiſſimum, ídq; Moſi, viſum aſſeratur; ſive [a] cuculus quiſpiam, in aliarum avium nidis ſua ova pariens, correxit, nec vidit ei tribui pugnantes ſententias, aut minimè curavit: bellè jam proſpectum eſt ne Polydorus Virgilius videatur ſenſiſſe cum Proteſtantibus; aut quiſquam Pontificios inſignis ſtultitiæ ab illo argui putet, à quo ob prudentiam ſupra ſapientiſſimum Moſen prędicantur. Item in [b] Petri Rami Scholis Metaphyſicis, ubi taxat eos qui Trinitatis imaginem ſpecie humana in templis depingunt: *Deleatur locus iſte*, inquit [c] Index expurgatorius, *reliqua ſunt admiſſa*. Et in [d] Scholis Phyſicis ejuſdem Petri Rami, *Deleantur*, inquit, *illa: In hoc pleriſque Chriſtianis Ethnicus philoſophus religioſior, qui etiam Trinitatis (quæ mente vix comprehendatur) figuras oculis corporis aſpectabiles faciunt*. Et è [e] Betuleii notis in Lactantium expungitur reprehenſio *imaginum Patris cæleſtis, quem nemo vidit unquam, in Eccleſias invectarum*. Nec magnopere dubito, quin, ut ſe dant principia, quum Maſium, Janſenium, Stellam, Oleaſtrium, & alios Pontificios ſimiliter tractârint, deleturi etiam ſint in Abulenſi, Durando, & Pereſio, quod in Ramo & Betuleio delendum animotârunt. Deleturi, dico? Quid ſi jam deleverunt? Nam Index expurgatorius, à Junio divulgatus, Belgicorum tantùm Cenſorum

[a] Ariſtot. de hiſt. anim. l. 6. c. 7.

[b] Lib. 12. ca. 8.

[c] Ind. expurg. iuxta Tridentini Concilii decretum.

[d] Lib. 8. ca. 10.

[e] Comment. Xyſti Betul. in Lactant. l. 1. c. 15.

ſorum acta continet; eáq; [a] ante annos viginti quinque confecta. Quid ex illo tempore patratum ſit in Belgio, quid in Hiſpania, quid Romæ, à Cenſorum collegio, ab hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, à Conſultis Sacrę Congregationis Indicis; quis novit? Papiſtæ certè ſunt prudentes in ſuo genere: & periculi minus eſt à paucis Rami ac Betuleii verbis, quàm à pluribus Epiſcoporum; præſertim Abulenſis, [b] inſignis interpretis Scripturarum, longáq; & continua exercitatione earum peritiſſimi. Quoniam autem gravius vulnus ſuæ cauſæ inflictum iri vident, ſi antiquos Patres exoſſent itidem mutiléntq;, ut recentiores; graviſſimum porrò, ſi Scripturas: propterea quæ inveniunt ſibi adverſantia in Scripturis & Patribus, conſultius arbitrantur negare excogitato commento, & commodum ſenſum iis affingere. Atque hoc de Patribus, ſingulari Dei providentia factum eſt, ut cognoſceremus ipſos profiteri. Illud unum reſtat, ut profiteantur idem de Scripturis. Quod verbis prę-ſtituros haudquaquam auſim ſperare: ſed factis, quæ plus valent, præſtat Bellarminus, dum Scripturarum voces, vetantes ullam Dei ſimilitudinem fieri, eâdem cavillatiuncula repellit, qua Patrum.

[a] Index expurg. in Belgio concinnatus, anno Dom. 1571.

[b] Ita eum laudant Melchior Canus, de loc. theolog. lib. 11. cap. 5. & Sixtus Senenſis, biblioth. ſanct. lib. 4.

13 Dignum verò tali patella operculum, quòd in via iſti defenſioni munienda inficiatur *huiuſmodi imagines eſſe idola, quia non fiunt ad repræſentandam naturam Trinitatis, ſed ad formam exprimendam in qua Deus Pater aut Spiritus ſanctus apparuit, vel certè eorum proprietates.* Etenim, ut omittam inanem hanc antitheſin, qua negat eas fieri ad repræſentandam naturam Trinitatis, ad quam repræſentandam per imperfectam ſimilitudinem fieri [c] pòſt affirmat; quan-

[c] Eiuſdem libri cap. 8.

quandoquidem, cuicuimodi ſeu proprietates, ſeu formam Dei exprimant, imagines ſunt Dei, divina Lege vetitæ: nos aſſerimus eas abominandas quidem & nefarias eſſe, ex verbo [a] Legiſlatoris; idola autem apud ſcriptores Eccleſiaſticos vocari non aſſerimus, niſi adorentur. Verùm ſi divinus cultus acceſſerit, quem talibus imaginibus ex Tridentinæ Synodi decreto exhibendum contendit nobilis [b] Jeſuita: tum eas appellabimus idola idolorum, tanquam primum locum merentes inter idola; quoniam ſacræ literæ idola vocant cunctas imagines quæ coluntur, ſicut in ſequentibus manifeſtum fiet.

[a] Iac. 4. 12. Deut. 4. 16.

[b] Franciſcus Suarez, in 3. part. Thomæ, tom. 1. diſputat. 54. ſect. 4. & 5.

CAP. III.

Idoli nomen in Scriptura veris imaginibus ſæpenumero tribui: nec falſorum modò Deorum ſimulacris, quod Ieſuitæ aſſerunt, ſed etiam Dei veri.

Bellarminus.

Hanc eſſe veram differentiam illarum vocum ſecundum Eccleſiaſticos, probatur primò, quia Scriptura nuſquam tribuit nomen idoli ulli veræ imagini, ſed ſolùm ſimulacris gentilium, quæ falſos Deos referebant. Scriptura vocat filium Dei imaginem Patris, Sap. 7, Coloſſ. 1. & ad Hebræos 1.

at nunquam vocat idolum Patris. & 3. Reg. 7. dicitur Salomon feciſſe ad ornatum templi imagines Cherubin ad ſimilitudinem hominum, item imagines leonum, boum, palmarum, malogranatorum, florum, &c. nec unquam iſta vocantur idola, quia nimirum rerum verarum ſimilitudines erant.

Rainoldus.

Nullius rei veræ ſimilitudinem idolum ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus nominari demonſtraturus Bellarminus, primò, ex apocryphis & canonicis Scripturarum libris ita diſputat: Dei filius in libro Sapientiæ, & epiſtolis ad Coloſſenſes, & Hebræos, vocatur imago Patris, at idolum Patris nunquam vocatur; & imagines Cherubim ad ſimilitudinem hominum à Salomone dicuntur factæ in tertio libro Regum, item imagines leonum, boum, palmarum, malogranatorum, florum, &c. nec unquam iſta vocantur idola: ergo Scriptura nuſquam tribuit nomen idoli ulli veræ imagini. In cujus enthymematis antecedente, niſi Jeſuitico potiùs quàm Chriſtiano ſpiritu actus eſſet, abhorruiſſet à tam putida Chriſti mentione. Nos enim, quum imagines, quæ adorantur & coluntur, idola in Scripturis nominari dicimus, de imaginibus loquimur artificialibus, & ab homine factis: de quibus ſcriptum

[a] Exod. 20. 4. eſt, [a] *Ne facito tibi ſculptile, aut ullam ſimilitudinem.*

nem. Dei autem filius est naturalis imago Patris: ac ne ab eo quidem factus, sed [a] *genitus*. Nos idola fieri ex simulacris affirmamus, quando violatur mandatum illud Dei, [b] *Ne adorato ea, neque colito ea.* Atqui tantum abest ut quicquam tale de filio Dei sit mandatum, ut contrà scriptum esse doceat Apostolus, [c] *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Quapropter ineptissimè argumentatur Bellarminus, Scripturam imagines, de quibus controversamur, idola nusquam vocare, quia nunquam vocat filium Dei idolum.

[a] Col.1.15. Heb.1.5.

[b] Exod.20.5.

[c] Heb.1.6.

2 In altera verò parte antecedentis agit aptiùs de imaginibus factis ad hominum similitudinem, leonúmq; ac boum, & aliarum creaturarum: sed falsò pronuntiat idolorum nomen istis nunquam tribui. Nam imago illa, quam Rachel surripuisse traditur, in [d] Genesi, effigies erat hominis; ut patet ex Hebræa dictione, תרפים, [e] notante hominis statuam, & [f] Bellarminus probat: [i] *idolum* tamen appellatur apud Septuaginta, & Latinum interpretem; [g] cujus versio pro authentica habetur à Papistis, nec ullo potest prætextu rejici. Liber Sapientiæ, perhibens [h] *idola* inde orta esse, quòd [i] imagines, primùm filii à patre, [k] tum regis à populo, factæ, ac divino honore cultæ sint: eas [l] semel, iterum, tertiò vocat *idola*. Paulus [m] imagines hominum & bestiarum pro Deo à Gentilibus cultas commemorat, in epistola ad Romanos. [n] Romani quippe & Græci humanam numinibus formam tribuebant. Unde [o] Caligula simulacra Jovis Olympici, aliorúmq;, curavit apportanda è Græcia, quibus capite demto suum imposuit; [p] Arellius Deas pinxit scortorum, quæ

[d] Gen.31.34.

[e] 1. Sam.19.13.

[f] De verbo Dei.l.1.c.13.

[i] Εἴδωλα, *idola*, numero multitudinis, ad exprimendam Hebræam vocem, quæ singulari numero caret.

[g] Conc. Trident. sess.4.

[h] Sap.14.ver. 11.& 12.

[i] ver.15.

[k] ver.17.

[l] ver.27.29. & 30.

[m] Rom 1.23.

[n] Cic.lib.1.de nat.Deor. Maxim.Tyr. serm.38.

[o] Sueton. Calig.cap.22.

[p] Plin. hist. nat.l.35.c.10.

quæ dilexit, imagine: [a] Venerem Praxiteles Cratinæ, amicæ ſuæ, ſpecie effinxit; & ſtatuarii Athenis Alcibiadis forma Mercurios expreſſerunt. [b] Ægyptii autem, non modò beſtias animatas, ſed etiam inanimas earum effigies adorabant.

[a] Clem. Alex. orat. adhort. ad Gent. ex Poſidippo.
[b] Herodot. in Euterp. Pompon. Mela lib. 1.

[c] *Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens*
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc; illa pavet ſaturam ſerpentibus ibin:
Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ reſonant ubi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis:

[c] Iuv. ſat. 15.

& [d] in Rhadatenſi urbe felis aurea pro Deo colebatur. Utriuſque verò generis imagines idola vocat Paulus, quum [e] *Iudæum* ait *abominari* [f] *illa idola.* Quemadmodum & rurſus idolorum nomine deſignat ſtatuas hominum, ubi [g] *Corinthios, quando Gentes erant, ad idola muta abreptos eſſe* dicit: ſive ſe Græcis illi conformabant, inter quos degebant; ſive Romanis, [g] à quibus genus ducebant. Quamobrem imagines hominum & beſtiarum, id eſt, verarum rerum ſimilitudines, Scriptura ſine omni dubitatione idola ſæpe nominat.

[d] Plin. hiſt. nat. l. 6. c. 29.
[e] Rom. 2. 22.
[f] 1. Cor. 12. 2.
[g] Pauſan. Corinthiacis. Dio, hiſt. Rom. lib. 43.

3 At enim Bellarminus negat has imagines fuiſſe rerum verarum, quoniam à Gentilibus ad repræſentandos falſos Deos adhibebantur. Quem in finem adjicit: *Scriptura nuſquam tribuit nomen idoli ulli veræ imagini, ſed ſolùm ſimulacris Gentilium, quæ falſos Deos referebant.* At iſtud enuntiatum, ex parte ſophiſticam vanitatem occulit, [h] modò patefactam: ex parte captioſam calumniam gemino cumulat evidente mendacio. Uno, quòd affirmat nomen idoli ſimulacris ſolùm Gentilium tribui à Scriptura: quaſi

[h] Hulus libri cap. 2. §. 6.

Judæ-

Judæorum item ſimulacris non tribueretur. Altero, quòd ſimulacra, quibus tribuitur, ait univerſa (nam alioqui nihil concludit) Deos falſos repræſentaviſſe: quum eorum quædam repræſentârint Deum verum.

4 Ac Judæorum ſimulacris idoli nomen tribui, teſtatur vitulus aureus in [a] Exodo formatus: de quo Stephanus protomartyr, [b] *Vitulum*, inquit, *fecerunt per illos dies, obtulerúntq; ſacrificium idolo*. Teſtatur ſimulacrum Michæ in libro [c] Judicum: quod Hebraicè dictum תרפים & פסל, in vetere vulgata Latina verſione *idolum* nuncupatur. Teſtantur [d] duo vituli Danis & Bethelis, in Regum hiſtoria, & Hoſea: quos [e] Græci quoque interpretes, non Latinus modò, nominant *idola*. Teſtantur, quæ Judæis paſſim objicit Dominus per Ezekielem, [f] *idola*, [g] *idolum zeli*, [h] *idola domus Iſrael, ſimulacra reptilium, iumentorum*, & [i] *hominum*. Denique tam multi Eſaiæ, Jeremiæ, & aliorum Prophetarum loci teſtantur, ut eos omnes citare inanis & odioſæ diligentiæ ſit futurum. Liceat ergo mihi, ne plures in re liquida non neceſſarios teſtes congeram, [k] Ciceronianum illud uſurpare: ut A. Varius, qui eſt habitus judex durior, dicere confeſſori ſolebat, quum datis teſtibus alii tamen citarentur, *Aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio quid ſatis ſit*: ſic à me ſatis teſtium eſt datum.

[a] Exod. 32. 4.
[b] Act. 7. 41.
[c] Iud. 17. 5. & 18. 31.
[d] 1. Reg. 12. 28.
[e] Hoſ. 4. 17. & 13. 2. & 14. 9.
[f] Ezek. 6. 4. & ſequentib.
[g] Ezek. 8. ver. 3. & 5.
[h] ver. 10.
[i] Ezek. 16. 17.
[k] De fin. lib. 2.

5 Simulacris autem quibuſdam Judæorum ſine controverſia, fortaſſis etiam Gentilium, repræſentatum eſſe Deum verum: demonſtrant illa, quæ recenſui, vitulorum, ac Michæ; & de quibus Paulus, cùm apud [l] Athenienſes, tùm ad [m] Romanos agit. Nam primùm, quod de vitulo, quem Aaron formavit, pronuntiavit

[l] Act. 17. 23.
[m] Rom. 1. 23.

[a] Exod. 32. 4. nuntiavit populus, [a] *Hi ſunt Dii tui, Iſrael, qui eduxerunt te è terra Ægypti*; id etſi videatur notare multos Deos, ob pluralem numerum Hebraicæ vocis אלהים: tamen (quod frequenter in hoc ſimilibuſq; vocabulis uſu venit) de uno accipiendum eſt, ut [b] Neh. 9. 18. Scriptura exponit; [b] *Hic eſt Deus tuus, qui eduxit te ex Ægypto*. Ac *Deum* appellabant ſimulacrum Dei, per uſitatiſſimam metonymiam, qua nomen rei ſignificatæ tribuitur ſigno: ut imagines Cherubim, boum, leonum, appellantur [c] *Cherubim*, [d] *boves*, [c] *leones*. Sicut etiam, quum dicerent Aaroni, [f] *Fac nobis Deos, qui anteeant nobis*, ſignificabant velle ſe corporeum Dei ſymbolum & imaginem, in qua præeunte præſentem quaſi viderent Deum, eúmq; ſibi ducem itineris eſſe ſcirent. Jam imaginem iſtam nuncupabant *Dei, qui eduxit Iſraelem è terra Ægypti*: id eſt, [g] Dei veri. Cujus item cultui eam conſecratam indicavit Aaron, quando, [h] *exſtructo altari coram vitulo*, indixit *feſtum Iehovæ*. [i] *Iehova* enim proprium eſt nomen Dei veri. Itaque verus Deus antiquiſſimo illo Judæorum vitulo repræſentatus eſt. Eundem porrò Michæ ſimulacro effictum evincit eadem ratio. Siquidem & [k] mater Michæ affirmavit *ſe argentum illud* (quo ſimulacrum factum eſt) *ſanctificaſſe Iehovæ ad faciendum ſculptile*: & [l] Micha ſe Jehovam in eo colere declaravit, Levita conducto, dicens; *Nunc novi Iehovam benefacturum eſſe mihi, eo quòd eſt mihi Levita in ſacerdotem*. Poſtremò, duæ ſtatuæ, quas [m] Jeroboamus Bethele & Dane collocavit, ut ſpecie convenerunt cum vetere vitulo Judæorum: ita iiſdem verbis inſtitutionis repræſentando Deo vero deſtinatæ ſunt.

[c] Exod. 25. 18. 1. Reg. 6. 23.
[d] 1. Reg. 7. 25.
[e] 1. Reg. 10. 19.
[f] Exod. 32. 1.
[g] Exod. 20. 2.
[h] Exod. 32. 5.
[i] Exod. 3. 15. & 15. 3.
[k] Iud. 17. ver. 3.
[l] ver. 13.
[m] 1. Reg. 12. 28.

Quod

Quod tùm inde patet, quia [a] declarantur graviùs peccasse qui Baalem, id est, [b] Solem, colebant, quàm qui vitulos; namque Deum verum illicito modo colere minoris impietatis est, quàm idem facere Deo falso: tùm quoniam Elias, dicens Israelitis, [c] *Quousque claudicaturi estis in duabus cogitationibus? si Iehova est Deus, sequimini eum; sin autem Baal, sequimini eum*; ostendit ipsos Jehovam in vitulis coluisse: tùm quia rex Jehu, [d] *Vide, inquit, zelum meum pro Iehova*, quum Baalis servos statuásq; perderet; [e] qui tamen à vitulorum cultu non recessit; quin & cultores eorum vocavit [f] *servos Iehovæ*: tùm quia [g] novi incolæ ex Assyria traducti, Deum non colentes ut ii solebant qui [h] deportati sunt, affirmantur [i] pœnas dedisse ob omissum cultum *Iehovæ*; & [k] *Iehovam* rursum dicuntur coluisse, quum Deum colerent pristino regionis ritu, ut [l] ab Israelita sacerdote edocti sunt. Quare certissimis Scripturæ testimoniis & documentis constat, Judæos habuisse quædam simulacra, quibus Deus verus repræsentaretur.

[a] 1. Reg. 16. 33. 2. Reg. 10. 28. & sequentib.
[b] Vt antè docui, lib. 1. cap. 5. §. 17.
[c] 1. Reg. 18. 21.
[d] 2. Reg. 10. ver. 16.
[e] ver. 29.
[f] ver. 23.
[g] 2. Reg. 17. ver. 24.
[h] ver. 22. & 27.
[i] ver. 25.
[k] ver. 32. & 33.
[l] ver. 28.

6 Bellarminus quidem & Valentianus furenter in nos irruunt, præsertim in Calvinum, ob hanc assertionem. Nec mirum. Nam quid fiet [m] Pontificio dogmate de *imaginum cultu relato ad prototypa*, si Judæi Jehovam colentes in sculptilibus, & vitulis, erant idololatræ? Cæterùm exempla, atque rationes, quibus comprobamus assertionem nostram, ita miseris modis infirmare conantur: ut planissimum faciant se digladiari contra veritatem; mirum, nisi etiam contra conscientiam. Nam ad antiquissimi vituli exemplum respondet primò [n] Bellarminus, *Iudæos*

[m] Concil. Trid. sess. 25. Decret. de imagin.
[n] De eccles. triumph. l. 3. c. 13.

Aaroni dicentes, Fac nobis Deos, non corporeum Dei ſignum & imaginem, ſed Deum corporeum quæſiviſſe. Quo argumento? *Quia*, inquit, *ſi volebant tantùm ſignum corporeum, non erat opus ut facerent vitulum: nam habebant nubem & columnam ignis, quæ meliùs ducebant quàm vitulus, qui portari neceſſe habebat.* Quid igitur? Num Papiſtæ, quum [a] *agnos Dei* faciunt, corporeos Chriſtos quærunt: an corporea ſigna Chriſti, [b] *qui tollit peccatum mundi?* Ego ſanè ſigna corporea putabam. Sed contrà eſt Bellarmini ratio, quia, ſi vellent tantùm ſigna corporea, non eſt opus ut faciant agnos; nam habent ſacramenta baptiſmi & Euchariſtiæ, quæ meliùs repræſentant [c] effectum mortis Chriſti, & [d] ſanguinem effuſum pro peccatis hominum, quàm vivi agni imago: non ergo ſigna corporea, ſed Chriſtos corporeos quærunt. Quòd ſi Pontificii dicent agnos Dei, quos ipſi à Pontifice, tanquam Aarone, conſecratos quærunt, non eſſe totidem Chriſtos; ſed, etſi ſacramenta ſint viſibilia ſigna, ſe tamen plura cupere, & vituli ſimiliora: agnoſcant futilitatem Bellarminianæ iſtius rationis; Nõ erat opus ut Judæi corporeum Dei ſymbolum & imaginem quærerent, ergo non quæſiverunt. Non erat opus ut iidem Judæi [e] concupiſcerent cibos Ægyptios, quum haberent manna ſaporis ſuaviſſimi: ergo non concupiverunt. [f] Non erat opus ut David Uriam occidendum ab Ammonitis curaret, uxorémq; ejus ſibi aſſumeret: ergo neutrum fecit.

[g] *At qui tantulo eget quanto eſt opus, is neque limo*
Turbatam haurit aquã, neque vitam amittit in undis:

ergo [h] avari ſeipſos doloribus multis non tranſfigunt, dum plus deſiderant quàm eſt opus.

[a] Sacrar. ceremon. Eccleſ. Rom. lib. 1. tit. 7. cap. *de conſecratione Agnus Dei.*
[b] Ioh. 1. 29.
[c] Act. 22. 16. Rom. 6. 3.
[d] Matt. 26. 28. 1. Cor. 11. 24.
[e] Num. 11. 5.
[f] 2. Sam. 12. 1.
[g] Horat. lib. 1. ſatyr. 1.
[h] 1. Tim. 6. 10.

Nil

Nil opus est te
Circumagi; quendam volo visere, non tibi notum;

aiebat [a] Horatius loquaci nugatori, à quo obtundebatur: frustra igitur metuebat ne sibi tum accideret quod prædixerat vates;

Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra:
Garrulus hunc quando consumet cunque.

[a] Lib. 1. satyr. 9.

[b] Cato, quum cuidam dixisset, *Eamus deambulatum:* & ille, *Quid opus fuit de? Immo verò*, inquit, *quid opus fuit te?* Næ, si nihil facerent homines æquè pii & sapientes, ac Judæi, nisi quod factu opus esset: tu ipse, Bellarmine, cùm alia ferè omnia in operibus tuis, tùm inprimis istam conclusionem suppressisses. Nam proximo argumento, quod extemplo subjicis, castigas eam, his verbis. *Nulla causa reddi potest, cur potiùs vitulum fecerint, quàm ovem, aut aliquid aliud, nisi quia assueti erant videre maximum Deum Ægyptiorum, qui est vitulus niger albis maculis insignu, quem ipsi vocant Apim: de quo Cicero libro primo de natura Deorum, & Augustinus libro decimo octavo de civitate Dei, capite quinto, & scriptores omnes, Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Plinius, Suidas, Eusebius, &c. Iudæi ergo, quia viderant in Ægypto in summo honore vitulum, putaverunt ipsum Deum cæli esse vitulum illum, & ideo illi imaginem vituli statuerunt.* Ecce, Bellarminus imaginem ait hanc fuisse, quam statuerunt Judæi: non Deum, sed imaginem Dei. Et statuerunt, spero, id ipsum quod quæsiverant dicendo, *Fac nobis Deos.* Nam & [c] ipsi vitulum fecisse perhibentur, quia fecit Aaron quod ipsi fieri jusserunt. Ergo Bellarminus mentitum se coarguit,

[b] Cic. lib. 2. de orat.

[c] Deut. 9. 16.

quum ait eos quæſiviſſe, non ſignum corporeum, ſed corporeum Deum.

7 Nec verò diſſimiliter ſecundò jam reſpondet, *pro imagine* quidem *Dei factum eſſe vitulum à Iudæis*, ſed *pro falſi Dei imagine*, non pro veri. Nam, ad hoc firmandum, ſic ratiocinatur: *Nulla cauſa reddi poteſt cur vitulum potiùs fecerint, quàm ovem, aut aliquid aliud, niſi quia aſſueti erant videre vitulum, nuncupatum Apim, qui eſt maximus Deus Ægyptiorum: ergo, quia viderant in Ægypto in ſummo honore vitulum, putaverunt ipſum Deum cœli eſſe vitulum illum, & ideo illi imaginem vituli ſtatuerunt.* Cujus enthymematis, aut qualiſcunque demum argumentationis ſoriten miſerum implicantis, antecedens tria pronuntiata continet, partim manifeſtò falſa, partim dubia: unum, Apis vitulus eſt maximus Deus Ægyptiorum; alterum, Judæi aſſueti erant videre Apim; tertium, Nulla alia cauſa reddi poteſt cur vitulum potiùs fecerint, quàm ovem, aut aliquid aliud.

8 *Apim* enim *vitulum* falſò affirmari *maximum fuiſſe Ægyptiorum Deum*, quæ probatio certior, quàm eorum ipſorum autorum teſtimonium, quos Bellarminus citat ut ſibi ſuffragantes? Nam quis illorum hoc aſſerit? Num *Cicero*? Num *Auguſtinus*? Num *Herodotus*? Num *Diodorus*? Num *Plutarchus*? Num *Plinius*? Num *Suidas*? Num *Euſebius*? Nemo quiſquam: nemo. Ne Strabo quidem, aut Mela, aut Solinus, aut Macrobius, aut Ælianus, aut Rufinus, aut Porphyrius, aut Ammianus: quos *ceterorum omnium ſcriptorum* appendice comprehendit. Immo contrà planè, cùm [a] Auguſtinus, tùm [b] Macrobius,

[a] Lib. 18. de civ. Dei, cap. 5.
[b] Saturn. lib. 1. cap. 20.

bius,qui commemorant *maximum Ægyptiorum Deum*, maximi Dei nomen haudquaquam Apidi vitulo tribuunt, ſed Serapidi, cui ſacratum eſſe vitulum illum [a] tradunt: eúmq; Auguſtinus addit propterea nuncupatum Apim, quia rex Serapis, in cujus demortui honorem conſecrabant & colebant vitulum, Apis, dum viveret, vocabatur. Nimirum Ægyptii (ut [b] Diodorus refert) primò Solem, Lunam, ceteráq; aſtra, & elementa mundi; deinde reges, reginas, & alios mortales, quos beneficos experti erant, Deorum loco habuerunt. Hos autem coluerunt in variis animalibus, tanquam monumentis, ſimulacris, ſymbolis. Quod [c] Strabo forſan indicat, quum ait Moſen docuiſſe, nec Ægyptios rectè ſentire,qui pecoribus & beſtiis Deum aſſimilent; nec Græcos,qui humana figura Deos effingant: [d] Plutarchus quidem certè, quando Græco numinis repræſentandi ritui exęquat, vel præponit potiùs, Ægyptium; quia *nihil*, inquit, *inanimum animato, neque ſenſus expers ſentiente præſtantius eſt*. Idq; atteſtatur etiam [e] Herodotus, dicens Ægyptios ſacris ſuis beſtiis victum procurare ex votis factis illi Deo, cujus beſtia eſt. uſque adeò, ut ibes, quamvis propterea in honore habitas, quoniam alatos ſerpentes ex Arabia invectos conficiunt; quod & ipſe notat: tamen inter aves Deo item alicui conſecratas numeret. Honoratum verò fuiſſe vitulum Apim hoc modo, tanquam ſymbolum, cuipiam ex Ægyptiis numinibus dedicatum,indicant iidem autores quorum Bellarminus nominatim meminit.

[a] Auguſtin. ibid. Macrob. lib. cod. ca. 21.

[b] Biblioth. hiſt. lib. 1. part. 1.

[c] Lib. 16.

[d] De Iſide & Oſir.

[e] In Euterpe.

9 Nam [f] Suidas ex veteribus Græcorum hiſtoriis (quas [g] Rufinus eandem hiſtoriam ſcribens citat) narrat

[f] In vocabulo Σάραπις.

[g] Hiſt. eccleſ. l. 2. c. 23.

rat Apin regem Alexandrinis fame laborantibus annonam donaviſſe: ac idcirco ei defuncto exſtructum eſſe templum, in quo nutriebatur bos, ex ejus nomine nuncupatus Apis, ſymbolum & indicium optimi agricolæ. [a] Diodorus variat in beneficii ſpecie, nominéq; regis: Oſirin enim ait excogitaſſe rationem parandarum frugum arando & colendo agro. Veruntamen Apin bovem in hujus rei memoriam conſecratum illi fuiſſe [b] adjungit: & Oſirin annotat eundem à quibuſdam putari cum Serapide, id eſt, cum Apide rege, quemadmodum [c] Auguſtinus ex Varrone tradit. [d] Plutarchus item, Oſirin eundem cum Serapide faciens, affirmat, tûm ex ſua, tûm ex aliorum multorum ſententia, ſacrum Oſiridi eſſe bovem Apin, & ſpecioſam animatámq; ejus imaginem: tametſi Oſiridis appellatione notatam aliis Lunam videri, aliis Solem, aliis aliud quiddam, ſibi autem hominis ſub figura dæmonem bonum, ſignificet. Apud [e] Suidam verò habetur & ex aliquo recentiore excerptum fragmentum hiſtoricum, bovem Apin Lunæ ſacrum fuiſſe, atque ejus gratia in honore habitum. Porrò [f] Euſebius, Diodoro, & ceteris hiſtoricis antiquiſſimis (ex quibus Diodorus bibliothecam hiſtoricam confecit) aſſentiens, hominem exſtitiſſe eum, cui bovem Apin Ægyptii conſecrârunt, aſſerit: ac recentiores Ethnicos [g] reprehendit, quòd ad honeſtandam impiorum cultuum ſuorum turpitudinem hiſtorias tranſformârint in phyſicas allegorias, dum ad res in ſpeciem illuſtriores referunt quæ hominibus facta ſunt; ut [h] Apin bono dæmoni ſacratum vult Plutarchus, Porphyrius autem Lunę. Quod non eò dicit, tanquam Ethnicos Lunam

[a] Lib. 1. part. 1.
[b] Ibid. & part. 2.
[c] Lib. 18. de civ. Dei, cap. 5.
[d] De Iſid. & Oſir.
[e] In vocibus Ἄπις, & Μίμαρις.
[f] Evang. præparat. lib. 1.
[g] Ibid. lib. 2.
[h] Ibid. lib. 3.

nam coluiſſe neget; nam hoc ab illis factum eſſe docet [a] ipſe ex [b] Moſe, & [c] Platone: ſed quia, ne Deorum loco homines mortuos habere viderentur, mortuorum nomina, ſimulacra, cultum acutulis cõmentis ad res cœleſtes accommodabant; ut Porphyrius Apin Lunę conſecratum fuiſſe argutatur ex nigredine corporis, ſcarabæo ſub lingua, & alba macula ſecta in duo quaſi cornua, utrinque inflexa; quæ ſigna Soli ac Lunæ tribuit, quoniam & Lunæ lumen eſt ex Sole; quippe Solis ſignum nigredinem eſſe, & ſcarabæum; Lunæ autem ſymbolum maculam cornutam. Nec immeritò ſanè commentis recentiorum adſcribit iſta Euſebius, quæ cum antiquiorum hiſtoriis comparata, aut falſa deprehenduntur, aut minùs veriſimilia. Etenim [d] Herodotus recenſens ſigna Apidis, *Niger eſt*, inquit, *& in fronte maculam albam figuræ quadratæ, in tergo effigiem aquilæ, in cauda pilos duplices, in lingua ſcarabæum habet*. Ita in dextro latere candicans macula, corniculantis Lunę ſpecie, ut loquitur [e] Ammianus, quam ipſe [f] Plinióſq; ex recentioribus Apidi appingunt, olim inter ejus notas non exſtabat. Scarabæum autem ſignum eſſe Solis ob operum ſimilitudinem, Apion Ægyptius curioſè interpretatus eſt ad excuſandos gentis ſuæ ritus, vel [g] Plinio cenſore. Certè bellicoſos ſcarabęum anulo inſculptum geſtare ſolitos, quia ſcarabæi fœmineo ſexu carent, omnes ſunt maſculi, obſervat etiam [h] Plutarchus: utcunque rationem ab Apione redditam, cur ſcarabæos colant Ægyptii, amplectatur. Quin & idem Plutarchus, declarans in Ægyptiorum hiſtoriis haberi, Oſirin nigro fuiſſe corporis colore, probabilius facit illum nigredine repræſentatum eſſe, quàm [i] illuſtrem luce & candore

[a] Ibid. lib. 1.
[b] Deut. 4. 19. ex poſteriore parte verſus; minùs quidē aptè citata, ſed rei veræ firmandæ: ut poteſt conjici ex priore, Iud. 2. verſ. 12. & 13. Iob. 31. 26. & conſtat ex Herodoto, [in Clion.] Herodiano, [lib. 4.] Ammiano Marcellino, [lib. 23.] aliiſq; hiſtoricis.
[c] In Cratylo.
[d] In Thalia.
[e] Amm. Marcellin. lib. 22.
[f] Natur. hiſt. l. 8. c. 46.
[g] Lib. 30. ca. 11.
[h] De Iſid. & Oſir.
[i] Cic. lib. 2. de nat. Deor.

candore Solem. Huc accedit, quòd, qui talium interpretationum præſtigiis ſibi placent, ſententiarum ſuarum varietate monſtrant ſe nihil prorſus firmi, in quo conſiſtant, reperire. Cujus rei nobile documentum exhibent, apud [a] Ælianum, Ægyptii juniores: primùm ea ſigna, quæ Herodotus à ſenioribus Ægyptiis accepta Apidi tribuit, explodentes, & viginti novem pro iis ſubjicientes, quorum uno aſcenſus Nili, altero figura mundi, tertio tenebræ ante lucem, reliquis Luna, & aſtra neſcio quæ notentur: tum Apin facientes imaginem Ori Apollinis, id eſt (ut [b] Macrobius interpretatur) Solis, autoris nempe fructuum è terra productorum, quorum varietatem varietas colorum in Apide repræſentet: poſtremò ad illorum opinionem delabentes, à quibus mathematica nonnulla phyſicis admiſceri ait Plutarchus, & Apin Lunæ dedicantes. Jam Plutarchus, iſta omnia rejiciens, contendit multo abſurdiùs Oſirin, cui Apis conſecratus eſt, fuiſſe bonum dæmonem ſub hominis ſpecie, ac non hominem: & in Evemerum invehitur, quòd eos, qui ab Ethnicis Dii exiſtimabantur, homines exſtitiſſe, monumentis è commentitia Panchæa ductis, ſcripſerit. Nam licèt Evemerus mentitus ſit de ſua in Panchæam inſulam navigatione, quod [c] Straboni aſſentior; ac propterea fide in aliis quoque rebus ſuſpecta eſſe poſſit: tamen mortes & ſepulturæ Deorum, quos vocabant, ab illo commemoratæ, certioribus antiquitatum inſtrumentis firmantur, & homines eos fuiſſe arguunt. Exempli cauſa, quod de Jove filio Saturni in Creta inſula ſepulto [d] narrat Evemerus, id ex ſepulcro Jovis quod ibi viſebatur, teſtibus [e] Cicerone, Var-

[a] De animal. lib. 11. c. 10. & 11.

[b] Saturn. lib. 1. cap. 21.

[c] Lib. 1. & 2.

[d] Apud Lactant. l. 1. c. 11.

[e] De natura Deor. lib. 3.

[a] Varrone, [b] Mela, rem probantibus, item [c] Callimacho, quanquam in Jovis gratiam indignante, patet. Osirin autem, cujus existimationis discrimine Plutarchus movetur, ut Callimachus Jovis, non solùm [d] sepultura consensu historiarum (etsi de loco, ut [e] de Homeri patria, dissidentium) testata, sed etiam color corporis, vel Plutarcho ipso agnoscente, suadet hominem exstitisse. Quo magis se ostendit animi affectu adversus veritatem rapi, qui videns teste temporum, luce veritatis, vetustatis nuntia (nam [f] historia meritò ornatur his elogiis) Osirin demonstrari corpus habuisse; & [g] sciens dæmones à Pythagora, Platone, similibúsq; philosophis [1] animales naturas perhiberi, id est, [2] animas, spiritus corporis expertes: tamen, ne Evemeri opinio invalescat, & elangueścant Ethnicæ superstitiones, dæmonibus, quales à Platone, Pythagora, & aliis, cûm mali, tûm boni statuuntur, Osirin accensendum ait. Num quia judicavit hoc & probabilius, & speciosius fore, quàm quod [h] alibi dixit, & ob Romanorum Quirinum (utut faciat pro Evemeri dogmate) [i] putavit dici oportere, præstantiores animas ex hominibus in heroas, ex heroibus in dæmonas, ex dæmonibus autem, quum perpurgatę fuerint, in Deos mutari? An illud in Osiride observandum ratus, quod doctissimus [k] Varro significatum censet de Isíde & Serapide: nimirum, omnibus ferè in templis, ubi colebantur, idcirco exstitisse etiam * simulacrum, quod digito labiis impresso admonere videretur, ut silentium fieret, quò innueretur cavendum esse nequis diceret homines eos fuisse? Verùm, sive dæmon fuerit Osiris, sive Sol, sive Luna, sive (quod est plus-

[a] Apud Solinum, cap. 16.
[b] Lib. 2.
[c] Hymn. in Iov.
[d] Strab. lib. 17. Diodor. lib. 1. part. 1. Eudox. sacerd. Ægypt. &c. apud Plutarch. de Isid. & Osir.
[e] Cic. pro Arch. poet. A. Gell. lib. 3. cap. 11.
[f] Cic. lib. 2. de orat.
[g] Plutarch. de placit. philosophor. lib. 1. cap. 8.
[1] θείας ψυχικὰς.
[2] ψυχὰς. Diog. Laert. in Pythagora.
[h] Lib. de defect. oraculor.
[i] In vita Romuli.
[k] Apud Augustin. lib. 18. de civ. Dei, cap. 5.
* *Harpocratin:* Varr. de lingua Lat. lib. 4.

quam veriſimile) homo; & alius à Serapide, aut Apide rege; idémve: pro hujuſmodi quaſi Dei ſimulacro cultum eſſe bovem Apin, non pro Deo, Plutarchus, Euſebius, Diodorus, Suidas, atque Auguſtinus, quinque ex octo ſcriptoribus à Bellarmino citatis, conſentiunt.

10 Sextus quoque idem aſſerit, Herodotus; quando & [a] beſtias, quas Ægyptii colebant, alicui Deo ſacras fuiſſe omnes innuit: & [b] Apin ait Epaphum à Græcis appellari. [c] Græci enim regem, à quo urbs Memphis condita fertur, vocant Epaphum: [d] eundémq; Apin, [e] & Serapin item nuncupari indicant. Quum igitur Herodotus, [f] quæ victimæ Serapidi mactatæ ſunt ab Ægyptiis, [g] eas Epapho dicat immolatas eſſe: appâret Epaphi nomen Serapidi ab ipſo tribui, ac proinde Apin bovem pro regis Apidis ſymbolo agnoſci. Ne ceteri quidem duo, Cicero, & Plinius, quorum [h] alter bovem Deum videri Ægyptiis, [i] alter numinis vice coli pronuntiat, evincunt illum aliter pro Deo numinéq; ab Ægyptiis habitum, quàm ut [k] ſimulacra Deorum Dii, & numina, per metonymiam nominantur. Nam Cicero in perſona Cottæ Velleium Epicurêum alloquentis, *Quid cenſes?* inquit; *Apim illum, ſanctum Ægyptiorum bovem, nónne Deum videri Ægyptiis? tam hercle quàm tibi illam noſtram Soſpitam, quam tu nunquam ne in ſomnis quidem vides, niſi cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutulo, cum calceolis repandis.* Atqui Velleio (ut tota Ciceronis diſputatio docet) iſta Soſpita Deus aut Dea videbatur, non propriè, ſed metonymicè: id eſt, ſignum Soſpitæ, effictum ea ſpecie, quam Soſpita Juno ipſa, ex Epicureorum

[a] In Euterpe.
[b] In Thalia.
[c] Apollodor. de Deor. orig. lib. 2.
[d] Ariſtipp. Arcad. hiſt. apud Clement. Alex. Strom. lib. 1.
[e] Ariſteas Argivus, ibidem.
[f] Macrob. Saturn. l. 1. c. 7.
[g] In Euterpe.
[h] Cic. lib. 1. de nat. Deor.
[i] Plin. nat. hiſt. l. 8. c. 46.
[k] Cic. accuſat. in Verr. lib. 4. & alibi paſſim. Plin. lib. 12. cap. 1. lib. 35. cap. 10. lib. 36. cap. 5. Lamprid. in Alexandro Sev.

rum placitis, habebat. Satis est idcirco ad Ciceronis sententiam, ut Apis bos imago fuerit regis Apidis, qui vel ob largitionem frumenti, vel ob agri colendi disciplinam, divinos honores consequutus, hoc symbolo repræsentatus sit, & notis, quas Herodotus memorat, adumbratus: niger corpore, fronte & moribus candidus quadratúsq; animo masculus ut scarabæus, gradu princeps ut aquila, robore validus ut taurus pilosa cauda præditus; aut quicquid demum aliud Ægyptii signis illis intellectum voluerint. Plinius autem narrans eum, simul atque inventus est, deduci Memphim à sacerdotibus consueviſse, & ibi custodiri, intendit digitum ad fontem, ex quo plenior fides hujusce rei hauriatur. In ea enim urbe templum erat Apidis; cujus Apidis? illius, qui idem est & Osiris, teste [a] Strabone: ubi bos Apis in septo quodam alitur. [a] Lib. 17.
Ita bos Apis, in regis Apidis seu Osiridis templo custoditus, ostendit se pro ejus Dei signo habitum, & inde metonymicè nuncupatum Deum: quemadmodum Papistæ cujusque Divi imaginem in templo, quod cuique dedicatur, collocant, vel imagines potiùs & ejus, & plurium aliorum; eásq; tùm in genere [b] Divos appellant, tùm [c] sui quamque Divi appellatione speciatim insigniunt. Quocirca ipsi autores, quos Bellarminus citat, non probant Apim vitulum pro Deo propriè habitum esse ab Ægyptiis: tantum abest, ut pro maximo Deo habitum probent. Et verò solus omnium scriptorum, quod sciam, [d] Lucianus istud de maximo Deo tradit. Qui tamen ratione præmissa cur Ægyptii Deos in figuris bestiarum colant, ineptissima quidem cunctarum quę redduntur

[b] Gul. Philand. comment. ad Paul. III Papam: annot. in Vitruv. de architect. lib. 4. cap. 8.
[c] *Testes fenestræ.* Campian. rat. 10. Possevin. biblioth. select. l. 7. c. 26.
[d] De sacrific.

ab

[a] Lib.1.part.2. ab Ægyptia plebe, ut [a] Diodorus notat, nempe Deos olim metu Gigantum veniſſe in Ægyptum, & alium ſe in aliam beſtiam transformaſſe; verumtamen hinc demonſtrat ſe id aſſeverare de Apide, non quò verum ſit, ſed ſuperſtitioſorum beſtiæ cultorum irridendorum gratia. Falſum eſt ergo primum Bellarmini pronuntiatum, Apim eſſe maximum Ægyptiorum Deum.

11 Secundum minimè veriſimile, *Iudæos aſſuetos fuiſſe videre Apim.* Neque enim facilè inveniebatur vitulus conſpicuus notis omnibus quæ in Apide requirebantur. Unde [b] longo temporis intervallo ſolitum eum apparere, & [c] poſt multos annos repertum, indicant hiſtoriæ. Porrò [d] ante ſeptum illud templi Apidis, in quo alebatur, aula quædam erat, in quam interdum eum, præſertim ut peregrinis oſtenderetur, emittebant: alioqui videbant per feneſtram in ſepto. Sed poſteaquam emiſſus, ut foris conſpiceretur, in aula exultim luſiſſet aliquantulum: curatores eum in ſuam ſtationem rurſum recipiebant. Et quis ſcit an vel tanta libertas peregrinis eum intuendi data ſit antiquo tempore, de quo agimus? Nam hæc aula forſitan ea eſt quam [e] Pſammitichus ædificavit Apidi, poſt Iſraelitarũ egreſſum ex Ægypto. Denique Memphis, in qua ſedem habuit, [f] cis Nilum ſita erat ad occidentalem fluvii partem: Judæi autem habitabant trans Nilum, ad partem orientalem; ut eorum [g] profectio ex Ægypto arguit. Jam fuiſſe illis tantum otii à re ſua, immo à re Pharaonis, ab [h] angariis & oneribus quibus affligebantur, ut circumcurſarent ac trajicerent Nilum ad viſitandum Apim, quàm eſt improbabile? Improbabilius verò Apim, etſi demus eum habitum

[b] Herodot. in Thalia.
[c] Spartian. in Adriano.
[d] Strab. lib. 17.
[e] Herodot. in Euterpe.
[f] Ptolem. geograph. lib. 4. cap. 5.
[g] Exod. 13. 17. & 14. 9.
[h] Exod. 1. 11. & ſequentib.

habitum olim in liberiore cuſtodia quàm Herodoti aut Strabonis ævo, tamen è ſepto ſuo erupiſſe & tranſnataſſe Nilum, ut ſe Judæis oſtentaret. Etenim [a] crocodili, quibus Nilus plenus eſt, vorant animalia præſtantiora vitulo & bove: uſque adeò, ut nonnullis propterea videantur culti in Ægypto, quòd munimento terræ ſint; dum eorum metu cohibiti latrones ex Arabia, & Libya, tranare Nilum non audent. Et [b] quamvis propiùs mare, infra Babylonem (Cairum hodie dictam) minùs ſint noxii: tamen ſupra eam, longiùs à mari, qua parte Memphis erat, in terram etiam exeunt ſtimulante fame; & quodcunque genus quadrupedis occîdunt, non ſolùm in ripæ ora inſidiantur hominibus; quos [c] & è navigiis longa ſua cauda ſæpe involutos deturbant devorántq; tanta ſunt rabie. Apidi autem talem familiaritatem cum illis intercedere, ut, qui viros nec in navibus tutos eſſe ſinunt, ei in aqua nanti parſuri ſint, non lego. Quare quum Ægyptii, neque quovis tempore potuerint invenire Apim; & inventum Memphi in ſepto cuſtodierint: Judæos aſſuetos fuiſſe eum videre, Bellarminus vidit per ſomnium, opinor, nec ſatis experrectus ſcripſit.

[a] Diodor. Sic. lib. 1. part. 2.

[b] Petr. Marr. Mediolan. legation. Babylon. lib. 3.

[c] Leo Afr. deſcript. Afric. lib. 9.

12 Huic pronuntiato germanum eſt tertium, *nullam reddi poſſe cauſam cur Iudæi potiùs vitulum fecerint, quàm ovem, aut aliquid aliud, niſi quia aſſueti erant videre illum vitulum*. Nam vox Hebræa, עגל, pro qua *vitulum* habet verſio Latina, non eſt tam anguſtæ ſignificationis, ut *vitulus* [d] Varroni, quum ætatis gradus in bubulo genere diſtinguens, primam vitulorum, ſecundam juvencorum, tertiam

[d] De re ruſt. lib. 2. cap. 5.

tertiam boum facit: ſed bovem comprehendit, ut [a] Virgilio *vitula, Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus*. Siquidem *triennis* [r] *vitulæ* meminerunt [b] Moſes, [c] Eſaias, atque [d] Jeremias: & [e] Samſon dixit Philiſtæis, *Niſi araſſetis vitula mea, non inveniſſetis ænigma meum*. Ac hujuſmodi pecoris, ad arandum apti, effigiem eam exſtitiſſe, quam coluerunt Judæi, declarat Pſaltes his verbis: [f] *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt fuſile; & mutaverunt gloriam ſuam in formam bovis comedentis herbam*. Nec ſecus judicaſſe videntur Septuaginta, quamvis hîc pro [z] *bove* (ſicut Hieronymus rectè ex Hebræo vertit) reddant μόσχον: quoniam & [g] ſæpe vocabulo μόσχος bovem notant, Varronis vitulum μοσχεῖον nomine [h] interdum ab eo diſtinguentes; [i] & *vitulos* Jeroboami, ad exemplum vituli Aaronis factos, reddunt δαμάλεις; an quòd [k] Hoſeas propheta eos [l] fœminina voce deſignet per irriſionem, [m] Hieronymo judice? qui *vaccas* ibi nominat, quos alibi vitulos conſuevit. Bovis autem effigies aptior eſt, quàm ovis, aut alicujus alîus rei, ad repræſentandum frumenti præbitorem, quia boum opera plurimùm adhibetur ad terram aratro ſubigendam; ut indicant [n] Hebræi, [o] Græci, & [p] Romani: ex quibus [q] eſt qui dicat *cuncta frumenta deberi bobus aratriſq;*, immo & *alimenta bobus debere quicquid ali poteſt*. Propterea Joſephum patriarcham [r] Moſes appellat *bovem Dei*: quia Deus ſuos illius miniſterio aluit in Ægypto. Et [s] Romani Minucium annonæ præfectum, quòd levaſſet annonam, frumentúmq; aſſibus in modios

[a] Eclog. 3.
[r] Heb. עגלת
[b] Gen. 15. 9.
[c] Eſai. 15. 5.
[d] Ier. 48. 34.
[e] Iud. 14. 19.
[f] Pſal. 106. 19.
[z] Heb. שור
[g] Exod. 21. 33. & 22. 1. & 34. 19. Lev. 9. 4. & 17. 3. & 22. 27. & 27. 26. Num. 7. 3. & 15. 11. & 18. 17. & 22. 4. Deut. 22. ver. 4. 10. & alibi paſſim.
[h] Lev. 9. 2. 1. Sam. 28. 24. Eſai. 11. 6.
[i] 1. Reg. 12. 28. Heb. עגלים
[k] Hoſ. 10. 5.
[l] Heb. עגלות
[m] Comment. in Oſeæ proph. cap. 10.
[n] 2. Reg. 19. 20. Prov. 14. 4.
[o] Heſiod. oper. lib. & dieb. Ælian. var. hiſt. lib. 5.
[p] Cic. de nat. Deor. lib. 2. Plin. nat. hiſt. lib. 8. cap. 45. [q] Vegetius, prolog. lib. 3. art. veterinar. [r] Deut. 33. 17. [s] Livi. lib. 4.

æſtima-

æstimatum plebi divisisset, aurato bove honorârunt. [a] Judæis verò, majori annonæ inopia conflictantibus, Deus, manna cœlitus misso, succurrerat: [b] *depluit super eos manna ad comedendum, & frumentum cœlorum dedit illis*. Quapropter erat causa cur simulacro potiùs bovis, quàm ovis, aut cujusquam alius rei, Deum colerent, etsi bovem Apim videre in Ægypto nequaquam assueverant. Nisi fortè dicet Bellarminus nullam ne Romanis quidem causam fuisse cur bove potiùs, quàm ove, aut aliqua re alia, Minucium gloriæ commendarent, nisi quoniam Apim bovem assueverant videre in Ægypto: qui, haud scio an illo ævo vel Ægypti, nedum bovis Apidis, nomen audierint. Quid? An de Ægyptiis item affirmabit nullam reddi posse causam cur bove potiùs, quàm ove, frumentariam Serapidis beneficentiam celebrarent, nisi quia in alia nescio qua Ægypto Apim bovem viderant? Aut potuit hujus rei forma in mentem venire Ægyptiis, & Romanis; Judæis non potuit: quorum patriarcha [c] Joseph Pharaoni ostenderat Deum somnio de septem bobus pinguibus, septem macilentis, significasse annos septenos saturitatis & famis, quòd boves animalia sint ad aratrum nata, ut historicus Judæus [d] Josephus arbitratur? Quò facit, quòd *boves saturi*, quales ubertatem annonæ in Pharaonis somnio designabant, [e] numerantur inter præcipua strenui & industrii coloni instrumenta, quibus ager frugum ferax efficitur. Atque hoc potuit innui Pharaonis bobus, etsi boves fœminæ fuerint, quas vidit: quandoquidem [f] vaccis arant, ubi terra levis est; [g] qualis Ægyptus à Nilo oblimata

[a] Exod. 16. 4.
[b] Psal. 78. 24.
[c] Gen. 41. 17.
[d] Antiquit. Iud. lib. 2. ca. 3.
[e] Plin. nat. hist. l. 18. c. 6.
[f] Varr. de re rust. lib. 1. c. 20. Diodor. Sic. lib. 1. part. 2.
[g] Herodot. in Euterpe. Plin. natur. hist. lib. 18. cap. 18.

oblimata uſque eò redditur, ut nullo ferè aratro egeat. Quanquam ſi nec hujus rei cogitatio, nec frumenti à Deo præbiti memoria illorum animos ſubiit: tamen excellentia numinis Divini ſatis erat cauſæ, cur, ut ex auro potiùs, quàm argento, pretioſiore metallo quàm viliore, formabant Dei imaginem; ſic eum bove potiùs, [a] præſtantiore animali, quàm ove, deteriore, adumbrandum putarent. Scriptura certè docens vituli & [b] bovis maris ſimulacrum fuiſſe, quod colebant, refellit Bellarmini commentum, Judæos vitulo, quem aſſueverant videre in Ægypto, imaginem ſtatuiſſe tanquam Ægyptio Deo. Etenim [c] Ægyptii colebant boves fœminas, ut Iſidi conſecratas: boves autem mares & vitulos ſacrificabant. Quæ verò ſacrificabant, ea pro numinibus neutiquam habebant. Alioqui [d] Moſes Pharaoni non dixiſſet periculum eſſe ne Judæi, ſi quid in conſpectu Ægyptiorum ſacrificarent, quod Ægyptii colerent & nefas ducerent mactare, ab illis lapidarentur. Talem ergo vitulum, qualem aſſueverant Judæi videre in Ægypto, & pro imagine Dei ex auro effingebant, Ægyptii non habebant pro Deo. Ita antecedens Bellarminianæ argumentationis ex pronuntiatis, aut manifeſtò falſis, aut magna falſi ſpecie laborantibus conſtat.

[a] Exod. 22. 1.

[b] Pſal. 106. 19. שור אכל participio generis maſculini.

[c] Herodor. in Euterpe.

[d] Exod. 8. 26.

13 Et ejuſdem prorſus farinæ eſt conſequens: licèt quoddam mendum antecedentis corrigat. Nam pro eo quod dixerat, Judæos aſſuetos fuiſſe videre vitulum Apim in Ægypto, *Iudæos illum vidiſſe* ait. Hoc autem ad veritatis ſimilitudinem multo propiùs accedit: quia, ſi Apis in ea parte Ægypti,

Ægypti, quæ Palæstinæ proxima est, apparuisset, potuisset obiter conspici à Judæis dum Memphim deduceretur. Verùm, ut ponamus Judæos vidisse Apim in summo honore in Ægypto, ac propterea vituli simulacro Deum repræsentasse: claudicat tamen consequens Bellarminianum, *Iudæos ergo putavisse ipsum Deum cæli esse vitulum illum, & ideo illi imaginem vituli statuisse*. Quid enim? Ethnici [a] oscilla, id est, imagunculas ad effigiem oris humani simulatas, tanquam piacula pro capitibus suis, sacello Ditis offerebant. Oscilla consimilia (sicut [b] Polydorus Virgilius approbantibus [c] Censoribus Belgicis testatur) Papistæ templis offerunt: idq; cumulatiùs, quàm Ethnici, quorum exemplum imitantur, solebant. Nec enim pro corporibus suis offerunt duntaxat; & quidem imagunculas singularum partium, ut manus, pedis, mamillæ, postquam ullius earum læsæ sanitatem, votis factis, recuperârint: sed in eundem etiam modum pro bobus, pro equis, pro ovibus, oscilla templis ponunt. Hic ratiocinatio Bellarmini infert, Papistas ergo, quia talia simulacra offerunt more Ethnicorum, offerre ea Diti, hoc est, Plutoni, & illum suæ sanitatis autorem existimare. Verùm Polydorus Virgilius reclamat, affirmans *vota fieri Deo, & eius Divis*: diceréq; poterunt Belgici Censores, se, quantumvis idem faciant quod Ethnici, non tamen eidem facere. Rursum, [d] accensis luminibus excolebant Saturnias aras Ethnici: & [e] in Februis sacris Deorum Manium, seu Feralibus, sepulcra facibus lustrabant. Quorum ad exemplum item Pontificii lustra-

[a] Macrob Saturn. lib. 1. cap. 7. & 11.

[b] De invent. rer. li. 5. cap. 1.

[c] Etsi deleri iubeant, quod addit Polydorus, *hac in re quempiam verecundè scrupulosum fortassis dicturum, se planè nescire, utrùm priscorum religionem, an superstitionem potiùs æmulentur.* Ind. expurgat.

[d] Macrob. Saturn. l. 1. c. 7. & 11.

[e] Ovid. Fastor. lib. 2.

luſtrales cereos geſtant menſe Februario, die, cui nomen *Candelariæ* inditum eſt ab iſto ritu: fatentibus [a] Beletho, [b] Rhenano, [c] Pamelio, [d] Polydoro Virgilio cum Cenſoribus ſuis, [e] Innocentióq; Tertio, & [f] Baronio. Veruntamen has candelas geſtant *ad laudem & venerationem Beatæ Mariæ*, ut Belethus ait: non, quod Bellarmini argumentatio colligit, ad honorem Saturni aut Deorum Manium. *Itidem in multis aliis Gentilium inſtitutis contigit*, inquit [g] Baronius, *ut ſuperſtitionis eorum uſus ſacris ritibus expiatus, ac ſacroſanctus redditus, in Dei eccleſiam laudabiliter introductus ſit*. Laudabiliter fiunt * quæ Dei, non quæ hominum, voce laudantur. Sed hæc Baronii parum laudabilis ſententia ſatis eſt idonea contra Pontificios ad redarguendam Bellarminianæ concluſionis vanitatem, idcirco Gentilitios ab ipſis Deos coli, quia, quæ Gentiles in colendis ſuis numinibus egerunt, eadem agunt ipſi. Ille verò agnoſcit nonnihil etiam minimè laudabile ex Gentilium ſuperſtitionibus adhuc in uſu eſſe inter Papiſtas, quod tamen exerceri ad Peſſinuntiæ cultum, ad quem à Gentilibus exercebatur, negat. [h] Initio veris celebrabantur Hilaria [i] matri Deum: in quibus, quoniam omnia feſta (ut [k] Vopiſcus loquitur) & dici, & fieri debebant, [l] nec ullum ludi genus non permittebatur; multi induebant perſonas, quas cuique libitum, & varia licentiæ, audaciæ, laſciviæ opera perpetrabant. Iſtam conſuetudinem ut ab Ethnicis Romanis ad Chriſtianos manaſſe declarat [m] Polydorus Virgilius, & inoleviſſe in omnibus regionibus præter unam Angliam, quæ tales perſonatas belluas non tulit; neque tamen eos qui larvis tecti ſic incedunt, & ſexcenta flagitia quotidie

[a] Divinor. officior. explicat. cap. 81.
[b] Annot. in Tertul. adverſ. Marcion. lib. 5.
[c] Annot. in eund. lib. Tertull. cap. 10.
[d] De invent. rer. l. 5. c. 1.
[e] Serm. in feſto purificat. Mariæ.
[f] Notationib. in Martyrolog. Rom. Febr. 2.
[g] Ibidem.
* Rom. 2. 29.

[h] Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 21.
[i] Lamprid. in Alexandro Sever.
[k] In Aureliano.
[l] Herodian. lib. 1.
[m] De invent. rer. lib. 5. ca. 2.

tidie per duos menſes ante quadrageſimam faciunt impunè, ſacrorum cauſa bacchari, ſed inſaniendi ſtudio: ita [a] Baronius oſtendit etiamnum eſſe qui obſervent; & *eiuſmodi ludos celebrari ab illis inſania quadam percitis, licèt non Deorum matri*, pronuntiat. Baronius ergo Bellarmini rationem improbat, & improbent Pontificii cuncti eſt neceſſe: niſi confiteri velint matrem Deûm, Manes, Saturnum, & regem inferorum Plutonem à ſe coli.

[a] Annal. eccle. tom. 2. anno Dom. 183.

14 Quin immo ſi liceret eam approbare pro firma ſolidáq; : ego nihil ſanè deſiderarē ampliùs ad profligandum Bellarmini hac in re errorem. Neque enim ulla cauſa reddi poteſt cur idolis hoſtias mactârint primi idololatræ, niſi quia patres ſuos ex [b] avi Noæ [c] diſciplina viderant ſimiliter ſacrificantes Deo vero. Ergo, ex Bellarmini argumentatione, primi idolorum cultores Deum verum in ſimulacris ſuis venerati ſunt. Nec ulla cauſa reddi poteſt cur primorum idololatrarum poſteri idem egerint, niſi quia majorum ſuorum inſtitutis ad id agendum movebantur. Ergo, ex Bellarmini argumentatione, Deus verus tûm Judæorum tûm Gentilium ſimulacris, vitulis, Baale, Iſide, Serapide, Mercurio, ceteríſq; repræſentabatur. Quòd ſi ne Jeſuitarum quidem dialectica conſequutiones iſtas approbabit: condemnent illud ſophiſma Bellarmini ſui, Ægyptiorum Apidi ſtatutam eſſe vituli imaginem à Judæis, quia illum viderant in ſummo honore in Ægypto.

[b] Gen. 10. 32.
[c] Gen. 6. 9. & 8. 20.

15 Quid, quòd pro auctario, ſophiſticæ futilitatis, an impudentiæ, dicam? quoniam prædicabant Judæi ſe imaginem ſtatuere ei Deo, qui ipſos ex Ægypti terra eduxerat, ait *Iudæos putaſſe beneficium libe-*

rationis de Ægypto ſe accepiſſe, non à Deo Moſis, ſed ab Api Deo Ægyptiorum. Quum M. Antonius, falſo teſtamento per fraudem ſuppoſito, feciſſet ſe heredem Rubrii Caſſinatis, hominem alienum; propinquo bonis ſpoliato, quem Rubrius revera heredem ſuum fecerat: [a] Cicero putavit perſpicuam tam abſurdæ rei vanitatem confutatione graviore non egêre; ſatis eſſe eam per jocum ironia explodere. Itaque, poſtquam dixerat, *Te is, quem vidiſti nunquam, L. Rubrius Caſſinas fecit heredem; Et quidem vide*, inquit, *quàm te amârit is, qui, albus atérne fueris, ignorans, fratris filium præteriit; Q. Fufii, honeſtiſſimi equitis Romani, ſuíq; amiciſſimi, quem palàm heredem ſemper factitârat, ne meminit quidem: te, quem nunquam viderat, certè nunquam ſalutaverat, fecit heredem.* Omnino Bellarminus tali firmamento probat Judæos habuiſſe Apim pro liberatore ſuo; quali teſtamento ſe heredem Rubrii probavit Antonius: ſi tamen tale nominandum eſt, quod non eſt talis firmitatis; quia teſtes item videtur Antonius adſcripſiſſe, Bellarminus ſuo unius verbo nititur. Neque mihi certius eſt, utrùm Apis unquam conſpectus ſit à Judæis: quàm Ciceroni fuit, utrùm Rubrius unquam vidiſſet Antonium. Quocirca Ciceronis liberalitatem imitari libet: nec repugnare quin Judæi Apim, cujus nullum beneficium ſenſerant, agnoverint liberatorem ſuum. Et quidem vide, Bellarmine, quàm grati in Apim exſtiterint ii, qui, albus atérne fuerit, ignorantes, Deum Moſis præterierunt; Jehovæ, Dei patrum ſuorum, cujus [b] aſpectu, [c] alloquio, & ſignis recreati fuerant, qui [d] mirandis operibus editis [e] eduxerat

[a] Philipp. 2.

[b] Exod. 3. 7.
[c] Exod. 4. 30.
[d] Exod. cap. 7. & ſequentib.
[e] Exod. 13. 17. & 14. 22.

xerat eos ex Ægypto, qui [a] ditârat eos Ægyptiorum ſpoliis, qui [b] in columna nubis interdiu, ignis noctu, antecedebat eos, qui [c] pane cœlorum, coturnicibus, [d] aqua ſatiavit eos, qui denique [e] ante oculos eorum ſuper montem Sinai deſcenderat, & legem [f] iis dederat, ne meminerunt quidem: Apim, à quo nunquam fuerant conſpecti, certè nunquam ſalutati, pro liberatore ſuo venerati ſunt.

[a] Exod.12.36.
[b] Exod.13.21.
[c] Exod.16.9. Pſal.105.40.
[d] Exod.15.25. & 17.6.
[e] Exod.19.11.
[f] Exod.20.18.

16 [g] Poſteriores cogitationes, ut aiunt, ſapientiores ſolent eſſe. Profectò Bellarmini ſunt hoc in loco, dum ſuperioribus duabus reſponſionibus tertiam ſubtexit: qua fatetur *dici non improbabiliter, Iudæos vitulum aureum pro imagine veri Dei habuiſſe*. Neque hoc ſuo ſolius teſtimonio & aſſenſu firmat, ſed etiam *Abulenſis, Caietani, & aliorum in caput decimum ſeptimum Iudicum: qui dicunt*, inquit, *duo genera idolorum fuiſſe apud Hebræos. Unum ſine nomine certi Dei, quale fuit idolum Michæ, Iudic. 17. & fortè vitulus aureus, quem fecit Aaron, Exod. 32. & renovavit Ieroboam, 3. Reg. 12. non enim Scriptura vocat vitulum Deum Moloch, vel Baal, &c. ſed ſemper ait, Hi ſunt Dij tui Iſrael. Alterum genus fuit cum certo nomine, ut Baal, Moloch, Aſtaroth, Chamos, &c. ut videre eſt 3. Reg. 11. & alibi. Igitur dicunt, nec improbabiliter, poſſe de primo genere admitti, quòd Iudæi in idolo putaverint ſe colere Deum verum. In idolis autem ſecundi generis adeò certum eſt Iudæos nec coluiſſe, nec putaſſe ſe colere Deum Iſrael: ut id fateatur etiam Petrus Martyr Calviniſta in caput 17. Iudicum.* Ita

[g] Cic. Philipp. 12.

Bellarminus ex Abulenſi, Caietano, aliiſq; docet, probabile eſſe Judæos verum Deum imagine vituli repræſentaſſe. Et quónam argumento? Nempe quia Scriptura non dicit de vitulo, Hic eſt Deus Moloch, vel Baal, vel quicquam tale; ſed ſine nomine certi Dei, * *Hic eſt Deus tuus*. ubi operæpretium eſt animadvertere, quàm religioſè Scripturas, ad germanum earum ſenſum explicandum tractet Bellarminus: qui primò, Dei nomen, in verbis Judæorum, *Hic eſt Deus tuus*, capi voluit propriè pro corporeo Deo, non pro corporea Dei imagine figuratè; tum contrà ſic expoſuit, acſi capiendum cenſeret figuratè pro imagine Dei, ſed pro falſi Dei imagine, non pro veri; nunc ait ſignificare imaginem veri Dei, ut Abulenſis, Caietanus, aliiq; dicunt, nec improbabiliter.

17 Similem artem adhibet adverſus alterum argumentum ductum à *Iehovæ* appellatione, in verbis Aaronis, [a] *Feſtum Iehovæ cras eſto*; & in matris Michæ, [b] *Sanctificavi iſtud argentum Iehovæ*. Nam ad hæc reſpondet, *duplicem eſſe ſolutionem: unam Caietani, in caput* 32. *Exodi, quòd verè nomen ipſum* " *Iehovæ à Iudæis idolo tribuatur: alteram Abulenſis, Caietani, & aliorum, in caput* 17. *Iudicum*, quam modò recitavi. Egregium verò teſtem & locupletem autorem citat Caietanum, ſiquidem illius ſunt ambæ ſolutiones: & quæ negat verum Deum denotari nomine Jehovæ,

* Hoc enim ſonant voces Scripturæ à Bellarmino citatæ, ut ſuprà docui è Scriptura, §. 5. *huius capitis*: notántq; Auguſtinus, *loquut. de Exod.*; Caietanus, *in Exod.* 32. *Fac nobis Deos*; & Villavincentius, poſt Hyperium, *lib.* 2. *de rat. ſtud. theolog. cap.* 9.

[a] Exod. 32. 5.

[b] Iud. 17. 3.

" *Domini*, ait Bellarminus. Sed quia Caietanus, cuius verba citat, ait *iuxta Hebræum haberi, Feſtum Iehovah erat*; ideóq; reſpicit quum addit, *Aaronem idolo incommunicabile & ineffabile nomen tetragrammaton attribuiſſe*; ac noſtra ratio nititur vi huius nominis, non *Domini*, quod cum aliis communicatur; uſque adeò ut Bellarminus, in citando loco Scripturæ quem urgemus, id adiiciendum duxerit Hebraicè, dicens, *Cras ſolennitas Domini* יהוה *eſt*: propterea expreſſo Bellarmini ſenſu, & Caietani verbo, *Jehovæ* nomen, pro *Domini*, perſpicuitatis gratia ſubſtituo.

&

& quę affirmat. Atqui Caietanus, in eum locum Exodi, quasi Judæorum loquutio propria foret, ac non figurata, pronuntiat *ipsos attribuere vitulo noviter facto præteritum beneficium eductionis de Ægypto*: quod secus se habere agnoscit Bellarminus, beneficium istud alteri figuratè, non Mosis quidem Deo, sed Ægyptiorum, veruntamen alteri figuratè attributum asserens. Hoc erratum ejus, se ipso judice corrigendum, corrigat Bellarminus: & Caietanum, quantumcunque Cardinalem, ac Papistam, cum Petro Martyre Calvinista consentientem relicturus est.

18 Ceterùm Jesuita vertiginoso spiritu, qui in trium suarum responsionum secunda errorem emendaverat de imagine vituli habita pro Deo, revertitur tanquam [a] canis ad suum ipsius vomitum: & Jehovæ nomen, non ad verum Deum idolo repræsentatum, sed ad idolum ipsum, id est imaginem vituli, accommodatum à Judæis esse cavillatur. At quàm diffidenter? ut aliquid intus fuisse, à quo remorderetur, quum resorberet sordes istas, planè doceat. Nam commemorato, *Iehovæ nomen à Iudæis idololatris idolo tribui*, subjungit, *Et hoc fortè significare Scripturam Sapient. 14. quum ait, Incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt: nullum enim Dei nomen est incommunicabile, præter hoc* * *Iehovæ; nam cetera tribuuntur aliquando etiam creaturis*. Et objecto *nomen illud esse proprium nomen Dei Israel, non ergo potuisse communicari; Respondeo*, inquit, *fortè Iudæos illos, qui plures veros Deos esse credebant, non pu-*

[a] 2. Pet. 2. 22.

* nim Hebraicè scribit Bellarminus: *quod nomen* ait [lib. 1. de Christo, cap. 7.] *si ullo modo efferri debeat, melius efferri per vocem Ihie, id est, erit, quàm per vocem Jehova, quæ nuper excogitata est*. Ego verò suum hac de re judicium cuique liberum relinquo. Quanquam neque scriptis videtur illud nomen in Mose mandaturus fuisse Spiritus sanctus:

putasse hoc esse nomen proprium, sed appellativum: fortè etiam communicasse illud nomen per similitudinem. Quomodo enim Ægyptij vocare solent Nilum, suum Iovem; & nos de homine strenuo dicimus, hic est noster Achilles; de sapiente, hic est noster Cato: ita Iudæi de vitulo dicebant, hic est noster Iehova, habeat sibi Moses suum. Tu, nisi conscientiæ tibi reclamantis stimulo pungereris, talia, tam multa, tam timidè diceres, Bellarmine: hoc *fortè* significari libro Sapientiæ; Judæos *fortè* non pu-

atus: si voce à fidelibus, quibus legem Mosis legendam commendavit, efferri noluisset. Atque sacerdotes, ad benedicendum populo à Deo instituti, [Deut. 10. 8. Psalm. 118. 26.] id expresso Dei mandato efferebant in benedictionibus: [Num. 6. ver 23. & sequentib.] ut ad mortem usque Simeonis iusti (is superstes creditur fuisse Christo nato) usitato ritu receptum & factum esse, doctores Iudæorum [Talm. Babylon. tractatu Ioma, cap. 4.] tradunt ipsi. Itaque tametsi recentioribus seculis, crescente inter eos superstitione, mos inoleverit, ut nomen אדני aut אלהים pro nomine יהוה pronuntiarent; de quo tempore verè scribit Theodoretus [epit. divinor. dogm.] *fuisse hoc nomen* ἀνεκφώνητον (id est, efferri minimè solitum) *apud Hebræos*: tamen, ut efferri posse & licere Theodoretus censuit, sic Hebræi olim enuntiandum Dei iussu duxerunt, & enuntiârunt. Quod feciisse item, si non per vocem *Jehova*, at per vocem multo similiorem ei, quàm *Ihie* Bellarmini, fit inde perverisimile, quia Diodorus Siculus [lib. 1. part. 2.] refert *Deum Mosis nominari* Ιαὼ: & Irenæus [lib. 2. cap. ult.] *Jaoth*, vel potiùs *Jabo* (ut ex eius verbis collatis cum Tertulliani [adverss. Valentin. cap. 14.] & Epiphanii [hær. 31.] lego) *Hebraicum esse Dei nomen* observat: & Origenes [contr. Cels. lib. 6.] id ipsum tradit tûm de Ιαὼ, tûm de Ιαώια; duobus nominibus (nisi fortè mendum subsit) coniunctis, יהוה & יה: & Clemens Alexandrinus [Strom. lib. 5.] *mysticum Dei nomen, quod* τετραγράμματον *vocant,* Ιαοὺ (an Ιαὼ legendum? *) dici* perhibet: & Eusebius [lib. 4. demonstrat. Evang. cap. ult.] putans nomen *Josuæ* Hebraicè componi ex יהוה & ישע, exponit, Ιαὼ σωτηρία: & Hieronymus, aut quisquis alius veterum fuit, [comment. in Psalm. 8.] affirmat יהוה *legi posse Jehova*, ut in emendata Mariani Victorii editione excuditur; sive, ut in alijs excudebatur, *Jabo*: denique Theodoretus [epit. divinor. dogm.] narrat *Samaritanos id efferre* Ιαβαί; & ipse (nam Ἰαὰ mendosè scriptum esse, pro Ιαὼ, appâret ex eodem loco comparato cum alio eiusdem [lib. 1. hæret. fab. cap. de Valent.] quem firmant Irenæus, Tertullianus, & Epiphanius) similiter effert atque ceteri, quos citavi. Vt omittam quòd Marcus Marinus [arca Noe, verbo יהוה] ait; *Patet Ethnicos suum Iovem ab hoc denominasse, quum priscis omnibus una fuerit de rebus divinis theologia quæ à Græcis postea ad fabulas versa est*: haud absurda coniectura, quandoquidem ab Ennio & Suida *Jovis* dicitur nominativo casu; nec Cretensem, aut alium quenquam mortalem, notârunt ea voce veteres Romani. Verùm Bellarmino suum (ut dixi) iudicium libetum relinquens, duntaxat, pro Hebraico eius יהוה, Latinè scribo, *Jehovæ*, quò planiora fiant, & ex casuum discrimine intelligantur meliùs, quæ utrinque dicimus.

tasse

taſſe nomen eſſe proprium; & *fortè* illud communicaſſe per ſimilitudinem? Quanquam, quid ego in Bellarminum ſuſpicor novã religionem iſtanc inceſſiſſe? qui aſſeveranter pronuntiat, abſque *fortè, nullum Dei nomen eſſe incommunicabile, præter hoc Iehovæ*: quum [a] ipſe multa nomina Dei recenſuerit, ex quibus, quia ſoli Deo ſunt propria, & tribuuntur Chriſto, concludit Chriſtum eſſe Deum. Ac in iis recenſuit ipſum nomen, DEVS: ex [b] Irenæo docens *Scripturam non ſolere quenquam abſolutè Deum nominare, niſi Deum verum.* Neque verò dubium eſt quin liber Sapientiæ ſignificet hoc nomen malè cum lapideis & ligneis ſimulacris, quibus [c] Divinum numen non eſt ſimile, ab idololatris communicari: ſicut & ipſius autoris verba arguunt, dicentis [d] *rem corruptibilem appellari Deum*; [e] & interpretes priſci recentioréſq; notant.

[a] Lib. 1. de Chriſto. ca. 7.

[b] Lib. 3. cap. 6. & 8.

[c] Act. 17. 29.

[d] Sap. 14. 8.

[e] Gloſſa ord. Liran. Hugo Card. Dionyſius Carthuſ. Conradus Pellican. Petrus Nannius, & Iunius.

19 Quod autem ait, *fortè Iudæos illos, qui plures veros Deos eſſe credebant, non putaſſe Iehovam eſſe nomen proprium, ſed appellativum*: nónne Aaronem atque matrem Michæ (horum enim voces ſunt, de quibus agit) ſub ſpecie dubitantis indubitatè calumniatur? Jeſuita, opinor, exiſtimaret ſuos ſine controverſia calumnioſè traduci, ſiquis noſtrúm diceret, fortè Pontificios, qui plures veros Deos eſſe credunt, nõ putare Jehovam eſſe reverendum, ſed Papam, quem [f] Stapletonus *ſupremum, planè ſupremum in terris Numen* vocat. Tamen plures veros Deos ab ipſis credi, Pontificius plurium idolorum cultus magis luculentam probationem ſuppeditat: quàm ullam Bellarminus aſſertionis ſuæ, vel de Aarone, vel de matre Michæ, poterit afferre.

[f] Principior. fid. doctrin. præfat. ad Gregor. XIII.

20 Poſtremò, *Iudæi*, inquit, *de vitulo dicebant,*

hic est noster Iehova, habeat sibi Moses suum. Judæi? Qui? aut ubi? Nam eorum, de quibus differit, alter loquebatur de vitulo, nempe Aaron: altera, mater Michæ, de [a] sculptili & fusili, quod ad similitudinem [*] hominis formatum potiùs videtur. Neque Aaron dixit, *hic est noster Iehova*; ut ex pronomine, *noster*, Mosis Deo suum opposuisse putari possit: sed absolutè, simpliciter, & sine adjunctione, [b] *Festum Iehovæ cras esto.* Proinde Bellarminus ejus verba recoquit, ut Medea Peliam, & novis succis implet: quò speciosiùs ex similibus *Catonis nostri*, *Achillis nostri*, & *Nili*, quem Ægyptii *suum Iovem* nominant, exemplis persuadeat, Aaronem vitulo per similitudinem communicasse nomen Jehovæ. Ita dum ostendit nullum esse suo commento præsidium, nisi in Scripturæ adulteratione: genuinis verbis Scripturæ comprobari nostrã sententiam clariùs patefacit. Quippe [c] Jovem pluviæ autorem habitum esse apud Gentiles declarant [d] *Jovis pluvii* invocationes, aræ, simulacra. Ægypto autem, [e] in qua non pluit, usum pluviæ præbet Nili inundatio. Idcirco [f] Parmeno quidam Byzantius poeta *Nilum* appellavit *Iovem Ægyptium*. Verùm, qui Jovis mentionem faciunt absque tali epitheto, non solent Jovis nomine significare alium per similitudinem, sed ipsum. Sicut & Achillem, non Achillis similem, significat [g] Cicero, dicens, *Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles*: nec similem Catonis, sed Catonem notat [h] Plinius, quum ait, *Plurimorum odio laboravit Cato*. Itaque Bellarminus, quà indubitanter asserendo falsa, quà suspicioſè ut dubia efferendo, quæ ad primam pertinent solutionem Caietani; ostendit se ad alteram illius, Abulensis, atque aliorum

[a] Iud. 17. vers. 3. & 5.

[*] Nam Hebraicè ibi appellatur תרפים: qua voce denotari *hominis effigiem*, suprà [§. 2.] declaravi.

[b] Exod. 32. 5.

[c] Diodor. Sic. lib. 5.

[d] Strab. lib. 15. Pausan. in Attic. Corinth. & Bœot.

[e] Deut. 11. 10. Herodot. in Euterpe. Pompon. Mela, li. 1. Senec. lib. 4. natur. quæst. cap. 2.

[f] Apud Athenæum, dipnosophist. lib. 5.

[g] Tusc. quæst. lib. 1.

[h] Natur. hist. l. 7. c. 27.

orum, devolvi necessariò: nec posse inficiari, quin Jehovæ nomen, ut proprium Dei veri, usurpârint Judęi, eóq; Deum verum simulacris suis repręsentârint.

21 Quanquam hoc, quod nequit reapse declinare quin concedendum agnoscat, non solùm labefacere conatur elevando rei certitudinem, dum frigidiuscule pronuntiat, *id dici non improbabiliter ab Abulensi aliisq;*, &, *admitti posse*: sed etiam evertere prorsus & elidere, tollendo rei veritatem, dum ait *eos dicere, admitti posse quòd Iudæi in idolo putaverint se colere Deum verum*. Præsertim quum latentem atque complicatam hujus vocabuli, *putaverint*, notionem in iis, quę ex seipso potiùs quàm ex illis subjicit, evolvat; *Imaginabantur*, inquiens, *Deum esse corporeum, & ipsi idolo similem; ex quo sequebatur, ut putarent se colere Deum verum, sed revera non colerent nisi figmentum suum: quemadmodum Manichæi dicebant se colere Deum Patrem, & Filium eius Christum; sed quia per Deum intelligebant lucem corpoream, per Christum accipiebant solem istum corporeum, nihil habebant Dei, & Christi, nisi solùm nomen*. Etenim hæc formula distinctionis sic concepta est, tanquam imperitis insinuare vellet, destinata fuisse Judaica illa simulacra nescio cui figmento, ac non vero Deo repræsentando & colendo. Sed quo pacto probat Judæos Deum putasse corporeum, & idolo similem? *Patet*, inquit, *ex vitulo aureo: nam ideo faciebant Deum in forma vituli, quia viderant in Ægypto vitulum in summo honore; inde enim existimabant summũ Deum esse vitulum illum*. Nę ex illo vitulo patet, Bellarmine, te parũ habuisse pensi quid diceres, modò vitulos vestros in Papæ saginario inclusos retineres. Nam & absurdissimum est veteres

Judæos

Judæos exiſtimaſſe vitulum eſſe ſummum Deum, quemadmodum oſtendi: nec Michæ ſimulacrum, de quo hîc item agitur, vel ad vituli formam effictum oſtenditur, vel ab eo factum qui vitulum in Ægypto viderat: & recentiores Judæi, qui colebant Jeroboami vitulos, æquè viderant vitulum Ægyptium ſummo in honore, atque Bellarminus. Quòd ſi, quia corporea erant ſimulacra, inde patet Judæos Deum putaſſe corporeum, & idolo ſimilem: patet ergo Pontificios Deum putare corporeum, & idolo ſimilem, quoniã illum [a] exprimunt ſimulacro hominis ſenis, & colũbę.

22 Verùm, eſto; ponamus corporeum & idolo ſimilem à Judæis exiſtimatum eſſe Deum: ut inter Pontificios timeri ſanè poſſe ne tales imagines hunc errorem pariant, prudenter innuit [b] Abulenſis. Num idcirco dicet Judæorum idola non fuiſſe veri Dei ſimulacra, ſed figmenta ipſorum? an agnoſcet potiùs falſa quidem forma, rem tamen veram expreſſam eſſe? quod [c] Palæotus Cardinalis in Pontificiorum imaginibus notat. Johannes Apoſtolus Evangelium ſcripſit ſenex, nonageſimum ętatis annum excedens; ut ex [d] Athanaſio, [e] Hippolyto, [f] Epiphanio docet [g] Baronius: at pingitur Evangelium ſcribens imberbis, & quaſi adoleſcens, in novis Sixti Quinti & Clementis Octavi Pontificum Romanorum Bibliis. Non venit hoc in mentem, credo, Palæoto, quum illud de Johanne proponeret pro exemplo rei veræ falſæ forma expreſſæ. Sed ánne Pontificii, [h] qui in parte cultus canonizatis Sanctis debiti imagines, certo quodam modo pictas, recenſent, affirmabunt Papas figmentum ſuum in ea pictura coluiſſe, ac non Johannem Evangeliſtam?

23 Scrip-

[a] In Bibliis vulg. edit. Sixti V. & Clementis VIII. edit. 1. in folio. Romæ. Ex Apoſtolica Typographia Vaticana.
[b] In Deuter. ca. 4. quæſt. 5.
[c] De ſacr. & profan. imaginib. l. 2. c. 25.
[d] In ſynopſi ſacræ Script.
[e] Apud Cedrenum in Nerva.
[f] Hæreſi 51.
[g] Annal. eccle. tom. 1. Anno Dom. 99.
[h] Bellarmin. de eccleſ. triumph. lib. 1. cap. 7.

23 Scriptura tradit [a] *cutem faciei Moſis radiaſſe & ſplenduiſſe*, ut vox [1] Hebræa ſonat : id eſt, (ut Septuaginta interpretes reddiderunt,[b] Paulo approbante) [2] *glorificatam eſſe*. Hoc quia ex Hebrææ vocis tanquam etymo, & radiorum cornua referentium ſpecie, Hieronymus vertit, *cornutam fuiſſe faciem Moſis* : propterea pictores in templis Pontificiis Moſen duobus cornibus è fronte egredientibus exprimere conſueverunt. Quod [c] Auguſtinus Steuchus, epiſcopus Kiſamenſis, incommodæ Hieronymi verſioni imputans, quoniam Hebraica veritas non habet cornutam fuiſſe Moſis faciem, ſed cutem faciei ejus radiaſſe : *Ex hoc emendari*, inquit, *poteſt prava vulgi conſuetudo, qui duobus cornibus pingunt Moſen ; non enim cornua è fronte egrediebantur, ſed & frons, & naſus, & os, & mentum radiabant*. Ac pro Steuchi ſanè ſententia tûm contextus Scripturæ ſacræ facit ; nam [d] in faciem Moſis ob ſplendorem ejus intueri nequibant ; ut tota [e] velamine operienda fuerit, non ſumma frontis pars, aut caput : tûm [f] Sixtus Senẽſis, [g] Caietanus, Ferus, Oleaſtriúſq. ; etiam [h] Bellarminus, vultus ſplendorem, non frontis cornua, Moſi tribuens ; etiam [i] Thomas Aquinas, affirmans meliùs dici faciem Moſis ſplendidam fuiſſe, quàm cornutam, & cornua malè à quibuſdam ei appingi. Tamen Pontifices in novis hiſce Bibliis appingunt Moſi radios, non è tota facie ſplendentes & micantes, ſed duorum inſtar cornuum è fronte, vel capite potiùs, aſcendentes : utrùm ad vulgatæ editionis ſuæ autoritatem ſartam tectam conſervandam ? an ad defendendas Epiſcoporum mitras, [k] bicornes hoc exemplo factas ? an utrumque ? Quemcunque certè in finem;

[a] Exod 34.29.
[1] קרן
[b] 2.Cor.3.ver. 7. & 10.
[2] δεδόξασται.
[c] Recognit. vet. Teſtam. ad Hebraicam verit. in Exod. cap.34.
[d] Exod.34.30. 2.Cor.3.7.
[e] Exod.34.33. 2.Cor. 3.13.
[f] Biblioth. ſanct.lib. 5. annot.116.
[g] Comment. in Exod. c.34.
[h] De eccleſ. triumph.l.2. cap.4.
[i] In epiſt 2. ad Corinth. ca.3. lect.2.
[k] Polydor. Virg. de invent.rer.lib.4. cap.7.

finem; nam abſque cauſa quicquam, præſertim hujus generis, idq; tali in opere, Apoſtolicis Papæ typis excuſum ſuſpicari nefas eſt; quocunque igitur conſilio curârint Moſen ſic pingendum, aut pictum approbârint: Judæi, qui [a] dicuntur ob hujuſmodi Moſis picturas Chriſtianos ridere & execrari, averſari poterunt Pontifices ut figmenti ſui cultores, non Moſis; at Bellarminus verum Moſen falſa forma honoratum eſſe ſtatuat oportet.

[a] Aug. Steuch. & Sixt. Sen. locis citatis.

24 Quid? In Chriſti imagine, quam latria colunt, non idem uſu venit? Conferantur omnes ejus effigies, quæ in Bibliis, in Miſſalibus, in Breviariis excuſæ, in feneſtris pictæ, in veſtimentis textæ, in crucifixis ſculptæ aut fuſæ, in cujuſquemodi monumentis formatæ conſpiciuntur: mille hominum ſpecies, prout cujuſque ſtatuarii, phrygionis, pictoris, & ſimilium artificum libido tulit, affictæ illi comperientur. Atque harum plurimę diſcrepantes admodum, non à priſcis modò, quas è variis nummis Græcorum Imperatorum, cuſis ante annos circiter ſexcentos, expreſſit [b] Antonius Auguſtinus: ſed etiam à noviſſima, quam operibus ſuis præfigunt quidam [c] Jeſuitæ, & vulgò nundinantur in numiſmatis æreis, quæ *medaglias* vocant; dolatam è larvati neſcio cujus ſcurræ ([d] Lentulum ſe appellat) epiſtola, qua deſcribitur *Chriſtus capillos ab humeris volitantes habens, & in medio capitis diſcrimen, iuxta morem Nazarenorum*. Ubi, ſi putidum commentum de Nazareno diſcrimine, in capitis medio, non ſatis idonea ſuſpicionis cauſa Pontificiis viſa eſt, ut inſulſum aliquem fraterculum aut monachum ſub cucullo Lentuli latêre autumarent: at Chriſtum aluiſſe comam & capillos,

[b] De medagl. tab. 7. & dialog. 1.
[c] Caniſ. op. catechiſt. Turrian. pro epiſt. decreta. lib. Pont. & c. paſſim.
[d] *Lentuli Ieroſolymitanorum Præſidis epiſt. ad S. P. Q. R.* In Orthodox. ogr.

pillos, [a] Nazaræorum more, tanquam ex voto fuisset Nazaræus, non autem Nazarenus habitatione, quia scriptum est [b] *Nazarenum vocatum iri*, vel inde animadvertere debebant fictum esse, quòd [c] Christus vinum biberit; [d] à cujus potione, qui Nazaræatus voto obstricti erant, abstinebant. Sed quacunque harum imaginum Bellarminus veram Christi formam exprimi censebit; nec enim potest omnibus tam dissimilibus inter se: cavebit, spero, ne Papistas, qui ullam ceterarum, ab errante aurifice alia forma factam, [e] in die Parasceves adorant, affirmet sua figmenta colere, non Christum.

[a] Num. 6.5.
[b] Matt. 2.23.
[c] Matt. 11.19. & 26.29.
[d] Num. 6.3.
[e] Bellarm. de eccles. triumph. l. 2. c. 23.

25 Nimirum scitè [f] Cicero, quum in ea provincia, quam Quintus frater rexerat, vidisset clypeatam ejus imaginem ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam (erat autem Quintus ipse staturæ parvæ) ait: *Frater meus dimidius major est quàm totus.* Non negavit imaginem esse fratris sui: etsi haud simillimam fratri magnitudine. Nec colossum Rhodium, septuaginta cubitos altum, & ad similitudinem hominis formatum, statuam Solis esse negauerunt [g] alii: quamvis Sol humana figura non sit præditus; & septuaginta cubiti exiliter eum referant, qui [h] multo major est tota terra. Quanto autem magis à vera & germana talis ac tanti corporis similitudine abfuit simulacrum minus, in pompa vehi solitum, sinistra manu tenens fulmen & spicas, dextram elevans cum flagro in aurigæ modum? Quod [i] Macrobius tamen affirmat simulacrum Solis exstitisse Ægyptiis & Assyriis. Sicut & Baalis, id est, Solis statuas imaginésq; nominat sacra [k] Scriptura, quas Achab, & Achabum imitantes posteri, Baali dedicârunt:

[f] Macrob. Saturn. l. 2. c. 3.
[g] Strab. lib. 14. Plin. nat. hist. l. 34. c. 7. Festus, in verbo, Colossus. Anton. August. de medagl. tab. 8. & dialog. 2.
[h] Ptolem. magn. constructi. lib. 5. cap. 16.
[i] Saturn. lib. 1. cap. 23.
[k] 2. Reg. 3. 2. & 10. 26. & 11. 18.

runt: ſimiliores, ut videtur, Ægyptiæ ſeu Aſſyriæ ſtatuæ, quàm Rhodiæ; ac proinde Soli diſſimiliores. Et cui poteſt eſſe dubium quin iſtorum qui Solem coluerunt, plerique eum tali aut non valde diſpari ſpecie ſomniârint, quali expreſſum cernebant? quandoquidem [a] Epicurus, quo vulgus nihilo meliùs callet mathematica, magnitudinem quaſi pedalem Soli tribuit: & [b] faciem in orbe Lunæ (quæ Solis eſt ſoror) vident plurimi. Saltem Baalitæ, extra controverſiam, putârunt, quùm [c] Baalem à mane ad meridiem uſque invocarẽt, aures eum habere, & preces exaudire poſſe. Baalem ergo non [d] coluerunt, ſed figmentum ſuum: ſi Bellarminus rectè ratiocinetur, Judęos, quia Deum corporeum falſò rati ſunt, idcirco illum non coluiſſe. Neque Solem aut Lunam coluit quiſquam unquam, licèt [e] nonnulli putârint ſe eos colere: quia, ſi nihil aliud de iis ſenſerunt perperam, at in hoc errârunt, quòd Solem opinati ſunt Deum; Lunam, Deam; ſive [f] Deum Lunum, qui uxoribus ſuis dominari volebant.

[a] Cic. lib. 4. Academ. quæſt.

[b] Plutarch. de facie in orbe lunæ.

[c] 1. Reg. 18. 26.

[d] 2. Reg. 17. 16.

[e] 2. Reg. 23. 5. Ier. 44. 19. Ezek. 8. 16. Sap. 13. 2. Herodot. in Melpomene.

[f] Spartian. in Anton. Caracallo.

26 Unde liquet etiam quàm inaniter illud adjecerit Bellarminus, ſi eodem animo ad explicandum ſuum, *putaverint*, adjecit, quod de Judæis ait: *in ipſo idolo divinam vim ineſſe credebant*. Nam ut hoc quoque ponamus verum eſſe; tametſi nullo prorſus argumento probat, ne ejuſmodi quidem, quali ſuperiorem *imaginationem* ex *vitulo viſo in Ægypto*; veruntamen ut ponamus: nihilo magis ſequitur, quod effectũ cupit, Judæos idololatras figmentum ſuum coluiſſe, ac non Deum verum. Etenim Ægyptii Serapim coluerunt ſine controverſia: ut præter [g] Julianum, [h] alióſq; autores, [i] Hieronymus indicat, dicens; *Iam & Ægyptius Serapis Chriſtianus factus eſt*. At imbiberant illi hanc perſua-

[g] Epiſt. ad populum Alexandr. apud Socratem, hiſt. eccleſiaſt. lib. 3. cap. 3.

[h] Citat. huius capitis §. 8. & 9.

[i] Epiſt. 7. ad Lætam, cap. 2.

persuasionem, fore ut, si humana manus simulacrum Serapidis contigisset, terra dehiscens illico solveretur in chaos, cælúmq; repentè rueret in præceps. Quam opinionem inde irrepsisse, quia vim divinam in idolo ipso inesse crediderunt, appâret ex [b] Olympio sophista eos adhortante, *ne idcirco à sua religione deficerent, quòd Christiani statuas Deorum dejecissent: quippe statuas esse materiam corruptibilem atque simulacra, & proinde ad nihilum potuisse redigi;* [1] *virtutes autem quasdam in ipsis habitasse, ac eas in cælũ avolasse.* [c] Tridentina Synodus, ubi *imagines Christi & Sanctorum venerandas* sancit, *Non quòd credatur*, inquit, *inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colẽdæ:* & addit, *Omnis superstitio in imaginum sacro usu tollatur*; quo [d] innuit, siquid populus hac in re peccârit, curandũ Parocho ut id corrigat, ac rudes de sententia Synodi instituat. Potest ergo fieri ut inter Pontificios nonnulli vim divinam in imagine Christi inesse opinentur. Et nónne Christum illi colunt in imagine? An *superstitionis* potiùs mentione significatũ voluit Synodus, eos, etsi Christum colant, tamen colere modo illicito, & cum opinione alia quàm debent? Judæos certè Deum verum in idolo ita coluisse statuit Abulensis, quem Bellarminus citat. [e] Is enim verba ipsorum, *Hi sunt Dij tui, Israel, qui te eduxerunt de Ægypto*, affirmat hunc habere sensum: *O Israel, Deus qui erat sine corpore, & non videbatur, & te eduxit de Ægypto transducens per mare rubrum, iste est quem hîc cernis, id est, in isto corpore aureo latet eius virtus.* Itaque, concesso hoc de vi divina, relinquitur Judæos verum Deum in simulacro, superstitiosè, at verum Deum coluisse.

[a] Rufin. hist. eccles. l. 2. c. 23.

[b] Sozomen. hist. eccles. l. 7. c. 15.

[1] δυνάμεις.

[c] Sess. 25. decret. de sacris imaginib.

[d] Catechism. Trident. explicar. decalog. præcept. 1.

[e] Abulens. in Exod. cap. 32. quæst. 7.

27 Cete-

27 Ceterùm Bellarminus oſtendit ſingulare acumen ingenii, qui figmentum iſtud ſuum de figmento à Judæis culto, ac non Deo vero, tam ſcitè fucat ſimili exemplo *Manichæorum: dicentium* videlicet *ſe colere Deum Patrem, & Filium eius Chriſtum; ſed per Deum lucem corpoream intelligentium, per Chriſtum autem Solem iſtum corporeum; eóq; nihil Dei, & Chriſti, niſi nomen habentium*. Etenim Manichæi, malè de corporea luce exponentes illud Apoſtoli, [a] *inacceſſam lucem à Deo Patre habitari*, Chriſto, qui [b] *virtus & ſapientia Dei* dicitur, ita domicilium per analogiam quandam in luce viſibili aſſignabant, ut virtutem quidem ejus in Sole, ſapientiam verò in Luna habitare crederent. Quod teſtatum ore [c] Fauſti Manichęi, & S. [d] Auguſtini, qui Manichæus quondam fuerat, evincit [e] Theodoretum erraſſe quum traderet Manichæos Soli tribuere nomen Chriſti. Unde [f] Baronius, errorem Theodoreti ex Auguſtino detegens, concludit tanquam ex profeſſo contra Bellarminum, *Manichæos non propriè Solem Chriſtum dixiſſe, ſed in Sole Chriſtum eſſe*. Quapropter, ut diſſimile eſſet hoc exemplum, ſi Manichæi nuda *Dei* & *Chriſti* nomina tantùm uſurparent, ſignificantes illis lucem & Solem; quoniam Judæi *Iehovæ* nomine verum Deum denotabant, etſi falſò crederent, aut virtutem ejus latêre in imagine, aut ipſum eſſe corporeum: ſic Judæos verum Deum in idolis coluiſſe arguit, qua ex parte ſimile eſt; quia [g] Manichæorum patriarcha Manes, etſi perverſiſſima ſentiens de Chriſto, Chriſtum tamen ipſum, ſervatorem noſtrum & Dominum, Dei Filium, unigenitum qui è ſinu Patris deſcendit, cujus apoſtolum ſe vocavit, colu-

[a] 1. Tim. 6. 16.
[b] 1. Cor. 1. 24.
[c] Apud Auguſt. contr. Fauſt. Manich. lib. 20. cap. 2.
[d] Ibid. cap. 6. & 7.
[e] Hæret. fab. lib. 1. cap. ult.
[f] Annal. eccle. tom. 2. anno Dom. 277.
[g] Epiſt. Manich. ad Marcell. apud Epiphan. hær. 66.

coluit. Quemadmodum, ſiquis Papam appellaret *Solem, Imperatore, tanquam Luna, * quadragies ſepties maiorem*, & ſub Solis nomine illum adoraret: is revera Papam coleret, non Solem. Verùm, ſi clariſſimum cœli luminare, Solem propriè dictum, [a] Perſarum more veneraretur, Chriſtum in eo habitare exiſtimans, ut Manes [b] Perſa, & Manichæi: magno in errore ſanè verſaretur, ſed tamen [c] Solem coleret. Itaque Dei veri ſimulacra erant, quæ Judæi fecerunt ad repræſentandum & colendum Jehovam, etiamſi vim ejus latêre in imagine, & ipſum corporeum eſſe autumaſſent.

* Aliàs, *quinquagies ſeptier.* Gloſſ. ad c. Solitæ. Extra. de maiorit. & obed.

[a] Strab. lib. 15.

[b] Auguſt. de hæreſib. ca. 46.

[c] Idem contr. Fauſt. Manich. lib. 14. cap. 11. & 12.

28 Porrò, hoc *dici non improbabiliter, & admitti poſſe*; quorum alterum Bellarminus effert tanquam ſuum; alterum ſuum facit, ex aliis citans, approbánſq; : frigidior eſt extenuatio, quàm aut noſtris congruit probationibus è Scriptura; aut Eccleſiæ comprobatio, authentica Bellarmino, feret. Catechiſmus enim, quem Tridentinum vocant, Latinè Pii Quinti, [d] Græcè Gregorii Decimitertii juſſu & auſpiciis editus, autoritatem habens non modò Pontificum, qui errare nequeunt, ſed etiam Concilii, cujus ex [e] decreto exaratus eſt, pro Catholico dogmate tradit verum Deum talibus ſimulacris repræſentatum eſſe. Siquidem de illo præcepto Dei agens, [f] *Non habebis Deos alienos coram me, Qua loquendi*, [g] inquit, *formula Legiſlator uſus eſt, non quòd ſatis explicata non eſſet hæc ſententia affirmatione præcepti in hunc modum, Me unum Deum coles; ſi enim Deus eſt, unus eſt: ſed propter cæcitatem plurimorum, qui olim Deum verum ſe colere profitebantur, multitudinem tamen Deorum venerabantur: cuiuſmodi inter Hebræos ipſos permul-*

[d] Stapleт. prin. fid. doctrin. præfat. ad Gregor. XIII.

[e] Conc. Trident. ſeſſ. 24. & 25.

[f] Exod. 20. 3.

[g] Catechiſm. Trident. in 1. præcepti expoſit.

[a] 1.Reg. 18.21. *ti fuerunt,* [a] *qui, ut Elias eis obiiciebat, in duas partes*
[b] 2.Reg.17.33. *claudicabant;* [b] *quod & Samaritæ fecerunt, qui Deum Iſraelis, & Deos gentium colebant.* Catechiſmus igitur declarat Iſraelitas vitulos habuiſſe pro ſimulacris veri Dei. Nam illi ab Elia claudicationis in duas
[c] 1.Reg. 12.28. partes ſunt admoniti, quoniam inter [c] veterem vi-
[d] 1.Reg. 16.32. tulorum cultum, & [d] novum Baalis, ad utrum vergerent, fluctuabant. Quare quum & profeſſi ſint ſe Deum verum colere, teſte Catechiſmo; & Deos alios venerati ſint: illud in vitulis fecerint oportet; hoc in Baale. Quod evidentiùs aſſerit, dum Samaritas etiam, tûm Deum verum, tûm Deos gentiu
[e] 2.Reg.17.28. um coluiſſe dicit. Verum enim Deum [e] traduntur coluiſſe, quia colebant eum, quem à vitulorum cultoribus Iſraelitis antea cultum edocti ſunt. Præterea Catechiſmus, affirmans violari mandatum,
[f] Exod. 20. 4. [f] *Non facies tibi ſculptile*, ſiquis divinitatem expri-
[g] Deut. 4.15. mat imagine, ut [g] Moſis & [h] Eſaiæ teſtimoniis pro-
[h] Eſai. 40.18. bat: *Quocirca*, inquit, *Iſraelitæ, qui ante vituli ſi-*
[i] Exod. 32. 4. *mulacrum clamabant,* [i] *Hi ſunt Dij tui, Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti; idololatræ ſunt appella-*
[k] Pſal. 106.20. *ti, quia* [k] *mutârunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Ubi rurſum aſſerit Judæos verum Deum, qui ipſorum erat decus & gloria, imagine vituli effinxiſſe. Nec enim alioqui aptè ad propoſitum, præcedentibus ſequentibúſq; verbis explicatum, de lege violata ſi Dei incorporei corporea fiat imago, exemplum hoc accommodaſſet. Quamobrem non ſolùm probabiliter dicitur, & admitti poteſt, ſed etiam neceſſariò pro indubitatè vero admittendum eſt, Judæos Deum verum quibuſdam ſimulacris repræſentaviſſe.

29 Atque hinc appâret qua fronte Bellarminus, Calvinum triplicis de Judęis mendacii accuſando, conetur fidem detrahere doctrinæ, ut fatetur ipſe, probabili; ut Romana Eccleſia teſtatur, orthodoxæ; ut Scriptura ſacra demonſtrat, verę & certæ. [a] Calvinus apologiam Pontificiorum idololatrarum, qua ſe inficiantur imagines pro Diis habere, convellit his verbis. *Non vocamus, inquiunt, noſtros Deos. Neque Iudæi olim vocabant: & tamen Prophetæ paſsim illis fornicationes cum ligno & lapide exprobrare non deſinebant: tantùm ob ea quæ quotidie ab iis fiunt qui Chriſtiani haberi volunt, nempe quòd Deum in ligno & lapide carnaliter venerabantur.* Ex quibus verbis primum Calvini mendacium emulgens Bellarminus ait: *At ſi Iudæi non vocabant idola ſuos Deos, unde eſt illud Exodi 32. Fac nobis Deos, qui nos præcedant? &, Hi ſunt Dij tui, Iſrael? Vnde illud Michæ, Iudicum 18. Deos meos, quos mihi feceram, abſtuliſtis? Et 3. Reg. 12. de duobus vitulis Ieroboam, Ecce Dij tui, Iſrael?* Sed iſta Bellarminum convincunt impoſturæ: Calvinum mendacii non convincunt. Nam illi, quorum dicta citat Bellarminus, pro ſimulacris veri Dei habebant, quæ vocabant Deos, ut demonſtratum eſt. Appellabant igitur Deos metonymicè. Et hoc feciſſe ipſos negat Calvinus? Immo verò affirmat, [b] dicens, ad primum Bellarmini locum, *Fac nobis Deos qui nos præcedant, probabile non eſſe tam craſſos fuiſſe ut vellent Deum novum ſibi creari: ſed per metonymiam*, inquit, *Deos vocant externas imagines, ex quarum aſpectu colligunt ſuperſtitioſi Deum ſibi eſſe propinquum.* Quamobrem, quum negat Deos vocaſſe, ſignificat non vocaſſe propriè: in eandem

[a] Inſtit. lib. 1. cap. 11. §. 10.

[b] Comment. in Exod. cap. 32.

planè ſententiam, qua [a] ibidem ejuſdem effugii Pontificiorum vim explicat his verbis; *Non reputantur, inquiunt, pro Diis imagines*. Ac debebat ſanè objectio, cui reſpondet, ſatis documenti eſſe Bellarmino Calvinum hoc ſibi velle. Nam ea Papiſtarum eſt, ſe imagines ſuas Deos non vocare. Qua ſe Dei nomen imaginibus ſuis non tribuere propriè ſignificent oportet: metonymicè enim, ut Judæi, tribuunt. [b] Gulielmus Philander, ad Paulum Tertium Papam de recta ſtatuarum in ædibus ſacris collocatione & materia ſcribens, poſtquam Divorum Divarúmq; imagines in ſuarum cellarum ara collocaſſet, adjungit, *Chriſto in cruce pendenti ſuam dandam cellam*: atque *materiam, qua Divos fingas, digniſsimam, quoad per facultates licebit, eſſe debere* monet. *Divos* autem etſi non ſimpliciter dicat Deos, ut Ethnici, [c] *Divos colunto*, [d] *Et non temnere Divos*: videtur tamen ita pro Sanctis uſurpare, ut Chriſtum etiam comprehendat. Ejus quidem certè crucifixi imaginem inſignit *Chriſti in cruce pendentis* appellatione. [e] In Pontificiis templis poſt medium noctis, ſabbato Paſchæ, preſbyter, imaginem crucifixi ex ſepulcro recipiens, templum circuit, & portas ejuſdem clauſas pulſat, dicens: *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Ac interrogante eo qui in portis excubat, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* preſbyter reſpondet, *Dominus fortis & potens in prælio, Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ*. Nomen verò *Domini* in his [f] Scripturæ verbis proprium eſt Dei, ſicut & nomen *Regis gloriæ*, fatente [g] Bellarmino. Itaque ſimula-

[a] Inſtit. lib. 1. cap. 11. § 9.

[b] Annot. in Vitruv. de architect. lib. 4. cap. 8.

[c] Cic. de legib. lib. 2.

[d] Virg. Æneid. lib. 6.

[e] Conrad. Brun. de imaginib. cap. 17.

[f] Pſal. 24. 8. Heb. מי

[g] De Chriſto, lib. 1. cap. 7.

simulacrum Dei Deum nuncupant. Item [a] columbæ imago die Pentecostes in medio templi supernè demittitur, & mox cum ea ignis & aqua decidit cum sonitu quodam, qualis bombardarum esse solet, sacerdote canente: *Accipite Spiritum sanctum.* Quo ludo quum [b] historiam in Apostolorum actis scriptam exprimant; prorsus ut in [c] Missalibus [d] similibúsq; libris pingunt, aqua excepta, quæ [e] aliunde adscita est, & sonitu bombardarum, qui in picturam non cadit: imaginem Spiritus sancti, per impiam & profanam ad Christi verba allusionem, *Spiritum sanctum* vocant. Quid? In Japan insula, [f] quum Jesuitarum discipuli spectaculum nocte natalis Domini exhiberent, in quo Adam & Eva, seducti à serpente, ejecti è paradiso, vestibus, quas Deus iis ministraverat, induti repræsentabantur: nónne qui Deum egit, vocabatur Deus? Aut, si Deus ibi non est introductus in theatrum, seu templum; (nam isti templa sua in theatra vertunt, & sanctum Dei verbum in ludicras fabulas transformant:) nónne in spectaculo, quo festum Corporis Christi se honorasse gloriatur Papa [g] Pius Secundus, *aula regis cælestis expressa* memoratur, *& sedens in maiestate Deus? Virginémq; Matrem è sepulcro assumtam æterno Patri Filius obtulisse* dicitur? Ergo & histrio, personam ac imaginem Dei Patris referens, *Deus æternúsq; Pater* appellatur stylo Papali. Denique, [h] Pontifices, sacro & solenni religionis ritu, nomen [i] *immaculati agni*, hoc est, [k] Dei, qui Ecclesiam sanguine suo acquisivit, simulacris ejus indere consueverunt. Nam solennibus precibus, quibus cereas agni imagunculas consecrant, implorant Deum Patrem, *ut isti agni*

[a] Conrad. Brun. de imag. cap. 17.
[b] Act. 2. 1.
[c] Dominica Pentecostes.
[d] Breviar. & offic. B. Mariæ Virg.
[e] Ioh. 7. 38.
[f] Io. Fernand. Iesuit. epist. Iapan. 8.
[g] Lib. 8. commentariorum. Quos ab ipso scriptos testatur Platina in Pio II.
[h] Sacrar. cerem. Eccles. Roman. lib. 1. tit. 7.
[i] 1. Pet. 1. 19.
[k] Act. 20. 28.

immaculati eandem virtutem accipiant contra omnes diabolicas verſutias & fraudes maligni Spiritus, qua Agnus innocens, Filius eius Ieſus Chriſtus, in ara crucis immolatus protoplaſtum noſtrum de diabolica poteſtate eripuit. Proinde quum Papiſtæ ſimulacra Deos vocent metonymicè; & [a] commendent Synodum, [b] qua laudatur illud de imagine Chriſti dictum, *Hic eſt Chriſtus*, ſimillimum Judæorum dicti de vitulo, *Hic eſt Deus tuus*: conſequens eſt Calvinum, qui, ut Papiſtæ ſimulacra Deos ſe vocare negant, ita & Judæos negat vocaſſe, ſignificare, non vocaſſe ea Deos propriè. Unde Bellarminum appâret impoſturam ſtruere ſimplicibus per [c] ignorationem elenchi, more Sophiſtarum: ceterum Calvinum mentiri non appâret.

[a] Conc. Trident. ſeſſ. 25.
[b] Synod. Nicæn. II. act. 4.
[c] Ariſtot. de reprehenſ. ſophiſt.

30 Præterea [d] Calvinus, contra eundem prætextum Papiſtarum, *Non reputantur inquiunt, pro Dijs imagines*, habet hæc verba: *Nec tam prorſus incogitantes erant Iudæi, ut non meminiſſent Deum fuiſſe cuius manu educti eſſent ex Ægypto antequam fabricarent vitulum. Quin Aaroni dicenti, illos eſſe Deos à quibus liberati eſſent è terra Ægypti, intrepidè annuebant: non dubia ſignificatione velle ſe retinere illum Deum liberatorem, modò præeuntem in vitulo conſpicerent.* Unde Bellarminus, poſterioribus hiſce verbis ſuppreſſis, quibus Calvinus è Scriptura probat quod in prioribus affirmaverat, edolat ſecundum Calvini mendacium: aſſerens priora *verba, quibus dicit, Iudæos non tam prorſus incogitantes exſtitiſſe, ut non meminiſſent Deum fuiſſe cuius manu educti eſſent ex Ægypto antequam fabricarent vitulum, pugnare planè è diametro cum ver-*

[d] Inſtit. lib. 1. cap. 11. §. 9.

verbis Scripturæ. Verùm quî hoc adstruit? Nempe quia *Scriptura Deuteron. 32. Deum, inquit, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Et in Psalmo 105. Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile: & obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Et Ieremiæ cap. secundo: Ambulaverunt post vanitatem, id est, post idola, & non dixerunt, Ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Ægypti. Quid clarius?* ait Bellarminus. Omnino nihil clarius: ne illud quidem quod præcessit, conclusum à sophista epiphonemate simili; *Poterátne clariùs Scriptura divina Calvini mendacium redarguere?* Hîc enim ejusdemmodi fucum imperitis facere conatur in antithero vocum, *meminisse*, & *oblivisci*. Siquidem *oblivisci* in Scriptura dicitur, qui non meminit fructuosè, religiosè, piè: ut officio præstando ex doctrinæ norma, cujus memoria custos est, doceat se rei, de qua fit sermo, meminisse. Unde Moses populo, [a] *Cave tibi*, inquit, *ne oblivisearis Iehovæ Dei tui, non observando præcepta eius, iudiciáq; eius, & statuta eius, quæ ego præcipio tibi hodie*: quasi diceret eos, qui Deum ex præscripto Legis non colunt, haudquaquam ita meminisse Dei, ut oportuit. Et de contumacibus Israelitis scriptum est: [b] *Non servaverunt fedus Dei, & in Lege eius renuerunt ambulare; obliti actionum eius, & mirabilium eius operum quæ ostenderat ipsis*. Ex quo intelligitur rebelles perhiberi beneficiorum Dei oblitos, quia gratam eorum memoriam obedientia &

[a] Deut. 8. 11.

[b] Psal. 78. 10.

[a] Pſal.106.21. obſervatione Legis non oſtendunt. Itaque [a] Scriptura dicit Judæos, qui vitulum fecerunt & adoraverunt,
[b] Exod.20.4. *oblitos eſſe Dei*: quia Dei legem, [b] ne ullam ſimilitudinem facerent colerentq; , nefariè violarunt. Tantum autem abeſt ut Calvinus illos hac divinæ Legis violatione oblitos eſſe Dei neget: ut cunctos, qui viſibilē ullam Dei formam, non ſolùm ſibi faciunt, & colunt,
[c] Inſtit.lib.& cap.eod.§.2. ſed vel appetunt, eo ipſo [c] affirmet *à Deo deſciſcere*.
[d] Deut.4. ver.15. Cujus rei probationem quum ex [d] Moſe petat, vetante ne ſimilitudinem ullam ſibi faciant, quoniam iſto
[e] verſ.23. ſcelere ſe contaminantes [e] *obliviſcuntur federis Iehovæ Dei ſui*: appâret luce clariùs idem à Calvino affirmatum eſſe verbo, *deſciſcere*, quod verbo, *obliviſci*, Scriptura ſignificat. Et hoccine pronuntiatum planè ex diametro pugnat cum eo quod Calvinus adjicit, Judæos haud tam prorſus incogitantes exſtitiſſe ut non meminiſſent Deum fuiſſe cujus manu educti eſſent ex Ægypto antequam fabricarent
Prov.7.ver.5. vitulum? Scriptura ergo, opinor, quæ [f] mulierem exteram, ſtudio pelliciendi juvenem ad ſtuprum,
[f] verſ.19. dicentem ei facit de marito ſuo, [g] *Non eſt vir domi ſuæ, abiit via longinqua, loculum pecuniæ accepit in manum ſuam, die ſtato redibit domum ſuam*: planè
[h] Prov.2.16. ex diametro pugnat cum Scriptura, tradente, [h] *eandem mulierem derelinquere ducem adoleſcentiæ ſuæ, & federis Dei ſui* (id eſt, [i] quod cum viro pepigit) *obliviſci*. Nam, quæ his verbis *obliviſci* dicitur *federis coniugalis*, illis indicatur haudquaquam ita prorſus eſſe incogitans ut non meminerit virum ſe habere,
[i] Mal.2.14. adoleſcentiæ ſuæ ducem: quod [k] Phædra in exemplo
[k] Ovid. Hero. id.epiſt.4. poetico oſtendit, ad Hippolytum ſcribens de viro ſuo, Theſeo;

Tem-

Tempore abeſt, aberitq; diu Neptunius heros:
Illum Pirithoi detinet ora ſui.

Sed quid ego iſtam ſycophantæ fraudem ex aliis Scripturæ locis patefacio? quam agnoſcit ipſe ex ipſius hiſtoriæ, de qua diſceptamus, contextu retegi & convelli. Nam verbis, quæ Judæi de vitulo uſurpabant, *Hic eſt Deus tuus qui eduxit te ex Ægypto*, fatetur ſignificari, Hæc eſt imago Dei tui qui eduxit te ex Ægypto. Igitur habebant Judæi in memoria Deum fuiſſe cujus manu educti eſſent ex Ægypto antequam fabricarent vitulum, ipſo confitente. Rurſum poſt admiſſam Abulenſis, Caietani, & aliorum ſententiam, *Hoc etiam modo*, inquit, *Iudæi verè oblivi ſcebantur Dei, licet non putarent ſe eius oblivi ſci*. Verè oblivi ſcebantur: en ſententia Scripturæ; *Obliti ſunt Deum, qui ſalvavit eos*; &, *Non dixerunt, Ubi eſt Dominus, qui nos eduxit ex Ægypto?* Licèt non putarent ſe ejus obliviſci: en ſententia Calvini: *Nec tam prorſus incogitantes erant ut non meminiſſent ſe à Deo ſervatos; nam dixerunt, Hic eſt Dominus qui nos eduxit ex Ægypto*. Poteratne clariùs Bellarminus ſuum de Calvino mendacium redarguere?

31 Tertium mendacium pejore hamo expiſcatur ex his [a] Calvini verbis: *Deum quidem eſſe noverant, cuius experti virtutem erant in tot miraculis: ſed propinquum ſibi eſſe non confidebant, niſi oculis cernerent corporeum vultus eius ſymbolum, quod ſibi teſtimonium eſſet gubernantis Dei. A præeunte ergo imagine volebant cognoſcere, Deum itineris ſibi eſſe ducem*. Et, [b] *Deum æternum Iudæi, unum verúmq;*

[a] Inſtit. lib. 1. cap. 11. §. 8.

[b] Ibid. §. 9.

rúmq; cæli ac terræ Dominum, ſub talibus ſimulacris perſuaſi erant ſe colere. Hinc enim Bellarminus infert *eum dicere, quòd Iudæi in omnibus ſuis idolis Deum unum & verum colere voluerint.* Sed cujus artis vi hoc inferat; utrùm grammaticæ, tanquam voce, *talis*, ſignificetur *omnis*; quod in Roberti Stephani Theſauro non invenio: an dialecticæ, tanquam ſic concludat, *Sub talibus ſimulacris, ergo ſub omnibus*; quod Ariſtotelis Organum nullo libro probat, niſi fortè * ultimo: nequeo augurari. Illud quidem patet, Bellarminum bene grammaticè & dialecticè docere *falſum eſſe, putaviſſe Iudæos ſe verum Deum colere in omnibus ſuis idolis, Baale, Moloch, Aſtaroth, Chamos, & ſimilibus.* Uſque adeò ut *Petrum Martyrem Calviniſtam etiam id fatentem, in caput decimum ſeptimum Iudicum,* introducat. Ac ampliſſimum ſanè trophæum victoriæ de Calvino fortiter virilitérq; partæ, præſertim *Calviniſtam* ei opponendo, meritò ſtatuiſſet: niſi Calvinus [a] paſſim demonſtraret ſe prorſus conſentire cum Calviniſta ſuo de Baale, Moloch, ſimilibuſq; idolis; & ſignificanter loquutum eſſe de *talibus*, qualis erat vitulus, de quo [b] diſſeruerat. Neque nullam tamen laudem promeretur, qui, gladiatorum more ad palum ſe exercens, oſtendit quàm egregiè Calvinum confoſſurus & lancinaturus eſſet, ſi is perinde expoſitum ictibus ſe offerret, atque pali ſolent. Enimverò illud [c] Horatii nimis rigidum eſt, & patruos ſapit:

Sed nunc non erat his locus: & fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare. Quid hoc? ſi fractis enatat exſpes
Navibus, ære dato qui pingitur?

Jeſuitæ

* Περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων.

[a] Comment. in Num. cap. 25. & Hoſ. cap. 3. & Amos cap. 5. & Sophon. cap. 1.

[b] Inſtit. lib. 1. cap. 11. §. 8. & 9.

[c] De arte poet.

Jesuitæ tractandi sunt indulgentiùs,& judicandi triumpho digni,si mendacia multa Calvino objiciant, monstrentq; se probare velle, si possent. Nam [a] Critoni comico percontanti à Mysside,ancilla Chrysidis meretricis, *Quid vos? quo pacto hic? satin rectè?* Mysis respondet, *Nósne? sic ut quimus, aiunt, quando, ut volumus, non licet.*

[a] Terent. Andr.

32 Succedit Bellarmino tanquam in subsidiis succenturiatus Gregorius de Valentia: cujus disputatio de idololatria, licèt ante libros Bellarminianos evulgata sit; tamen [b] digna visa est Prępositis Jesuitarum, quę pòst recuderetur cum reliquis ejus libris, ad conficiendum *volumen, ex quo peti posśit Theologica & Scholastica quæstionum controversarum explicatio.* Qua in re haud scio an Jesuitarum Præfecti & *Superiores* imitandum duxerint vulgarem hominum morem,de quo architriclinus in [c] Evangelio dicit, *Omnes primo loco bonum vinum apponere,& postquam convivæ inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.* An potiùs,quod [d] Tito Quintio lauta cœna, solstitiali tempore, apud Chalcidensem hospitem accepto, quum miraretur unde illi eo tempore anni tam multa & varia venatio, hospes renidens, *condimentis* ait *varietatem illam & speciem ferinæ carnis ex mansueto sue factam:* id in has Scholasticas à Jesuitis ad convivas suos inescandos apparatas dapes sic convenire censuerunt, ut quamvis ex animali immundo, & tam ad [e] cibum, quàm ad [f] sacrificium inepto sint cunctæ, Valentianensibus tamen condimentis meliùs in ferinæ carnis speciem mutentur, quàm Bellarminianis? Namque Bellarminus, postquam initio leviter conatus esset persuadere, Judæos aureum vitulum

[b] Greg. de Valent. præfat. ad Lect. in libros de rebus fidei controversis.

[c] Ioh. 2. 10.

[d] Livi. lib. 35.

[e] Levit. 11. 7.

[f] Elai. 66. 3.

vitulum feciſſe pro corporeo, non ſigno Dei, ſed Deo: eum pro imagine, ſeu veri Dei, ſeu falſi, ſed pro imagine habuiſſe, ſtatim agnoſcit. [a] Valentianus autem in reſponſione, quam, ut peſſimi ſucci, Bellarminus citò deſeruit, perſiſtit, *Iudæos habuiſſe ſimulacrum ipſum vituli pro Deo*. Et Bellarminus ait mendacia in Calvini verbis contineri: quod humanitus poteſt doctiſſimis & optimis viris accidere; ut [b] omnis homo mendax eſt. At Valentianus non contentus arguere tanquam *mentientem, peccantémq; multa & abſurda loquentem*, ac *magna vel ſtultitia vel temeritate præditum, vanum, imperitum, delirantem, inſanum*: addit, *ſe credere, eum ex malitia magis peccare, quàm ex ignorantia*. [c] Increpet te Jehova, ô [d] fili diaboli: increpet te Jehova. Ac memento [e] diem juſti judicii à judice totius terræ ſtatutum eſſe, quo tales à [f] gehenna inflammatæ furiæ in ſtagnum ardens igne & ſulphure jacientur. Interim, ut igne Spiritus divini vitioſum & putre iſtud opus tuum videas exuſtum; quò peccatum tuum agnoſcas defleáſq;, ſi fortè det Dominus tibi reſipiſcentiam: ſcito clariſſimis Scripturæ documentis, Catechiſmo ipſo Tridentino teſte, non ſolùm aliis Pontificiis, calumniæ te convinci, qui cultum vero Deo ab hominibus præſtitum per viſibile ſignum atque imaginem affirmas *idololatriæ commentitium genus eſſe, & inauditum antea; nec revera olim fuiſſe in uſu, ſed Calvinum hoc fingere*; unde & *Calvinianam idololatriam* vocas, velut ab eo qui commentus ſit; quam, ſi Judaicam potiùs vocare nolebas, Ethnicámve, debebas certè Papiſticam, velut ab illis qui exerceant.

[a] De idololatr. lib. 1. cap. 5.

[b] Rom. 3. 4.

[c] Zac. 3. 2.
[d] Act. 13. 10.
[e] Act. 17. 31.
[f] Iac. 3. 6.

33 Moſes, in Deuteronomio, populum hortatur ut

ut [a] *valde sibi caveant, ne similitudinem Dei ullam faciant*, duobus additis argumentis : uno ad rem spectante, quam cavendam monet, *Quia interdixit tibi Iehova Deus tuus*; altero ad cautionis curam acuendam, [b] *Nam Iehova Deus tuus ignis consumens est, Deus fortis zelotes*. Quorum priore Legem, in Exodo promulgatam, [c] *Ne facito tibi sculptile aut ullam similitudinem*, declarat etiam veri Dei simulacra imaginésq; prohibere. Posteriore verò, *zelotem* se appellans, sicut & in [d] Lege, ostendit, per metaphoram à [e] viri zelotypia ductam, fedus, cum Ecclesia tanquam sponsa initum, ab illis violari, qui vel ipsius imaginem colunt & adorant : eóq; [f] idololatriam (hæc enim spiritualis est [g] scortatio) committi. Rursum, in Exodo, posteaquam decalogum promulgasset Deus, [h] *Vos vidistis*, inquit, *ex cœlis me loquutum esse vobiscum : ne facite mecum Deos argenteos, aut Deos aureos, ne facite vobis*. Quod à Mose dictum filiis Israelis ex edicto Dei, quum in Deuteronomio ita explicetur, ut [i] vocem loquentis Jehovę audivisse, at similitudinem nullam vidisse moneantur; [k] quamobrem cavendum esse ipsis valde, [l] ne ullam imaginem Dei faciant : appâret veri quoque Dei simulacra sub nomine *Deorum*, id est, idolorum, divina Lege condemnari. Idcirco [m] Abulensis, ex Mose observans *Deum vetuisse, non solùm imaginem aliquam adorari, sed etiam seipsum adorari in imagine* : corollarii loco hæc axiomata subjungit. *In imaginibus signantibus Deum purè, scilicet Trinitatem, duo inconvenientia sequi possunt : primum, idololatria, ne etiam imago colatur; secundum, error & hæresis, scilicet attribuere Deo corporeitatem & essentialem differentiam, qualem tres illas figuras signare conspici-*

[a] Deut. 4. vers. 15. & 23.
[b] vers. 24.
[c] Exod. 20. ver. 4.
[d] ver. 5.
[e] Prov. 6. 34.
[f] Lev. 19. 4.
[g] Exod. 34. 16. Lev. 20. 5. Deut. 31. 16.
[h] Exod. 20. 22.
[i] Deut. 4. v. 12.
[k] ver. 15.
[l] ver. 16.
[m] In Deuteronom. cap. 4.

ſpicimus. In imaginibus Chriſti, vel Sanctorum, ſolùm unum inconveniens eſt; ſcilicet idololatria in adoratione imaginis: error autem eſſe non poteſt, quia qualiter imago illa notat, talis Chriſtus fuit. Similiter [a] Pereſius, hæc [b] Auguſtini verba citans approbánſq;, *Primo Dei præcepto prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei ſimilitudo; non quia non habet imaginem Deus, ſed quia nulla imago eius coli debet, niſi illa quæ hoc eſt quod ipſe: idololatras* ex eodem [c] Auguſtino nuncupat, *qui ſimulacris eam ſervitutem exhibent, quæ debetur Deo, licèt veri Dei ſimulacra ſint, quibus honores divinos tribuunt.* [d] Johannes item Ferus, aſſerens *Iudæos veneratos eſſe Deum verum in vitulo quem formavit Aaron, idq; ex ipſorum verbis patêre, Hi ſunt Dij tui, &c. peccaviſſe eos, quòd idolum contra primum Dei præceptum fecerint*, pronuntiat. Porrò in [e] colloquio Sangermani habito coram Principibus Galliæ inter ſelectos quoſdam è theologis Pontificiis & noſtris, quum Salignacus, unus è quinque Pontificiis qui noſtris ſunt aſſenſi, *imagines Trinitatis, Dei Patris, & Spiritus ſancti Scripturis vetitas eſſe,* in hujus rei tractatione progrederetur couſque, ut Cardinalis Turnonius (Mæcenas ejus quondam) quia iracundiam diſſimulare nequibat, ſurgeret è cathedra, fingens ſe vitandi frigoris cauſa abire: temperare ſibi non potuit Salignacus, quin diceret *ſe videre illud impletum quod de idololatris* [f] *David prædixerat; nimirum eos ſenſu & ratione non minùs defici, quàm idola ipſorum.* Denique in [g] Catechiſmo Tridentino ſcriptum eſt: *Moſes, quum populum ab idololatria avertere vellet, aiebat; Non vidiſtis aliquam ſimili-*

[a] De traditionib. part. 3.
[b] Epiſt. 119. ad Ianuar.
[c] De Trinitat. l. 1. c. 6.
[d] In act. Apoſt. cap. 7.
[e] Hiſt. eccleſiaſt. Eccleſiar. reformat. in Gall. lib. 4.
[f] Pſal. 115. 8.
[g] Explicat. 1. præcepti.

litudi-

litudinem in die qua loquutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis : quod sapientissimus Legislator ideo dixit , ne quo errore ducti divinitatis imaginem fingerent , Deóq; debitum honorem rei creatæ tribuerent . Quapropter , qui imaginem & visibile signum veri Dei colunt , committunt idololatriam , non confictam nuper , & ante Calvini tempora inauditam : sed à Mose tribus abhinc annorum millibus notatam & damnatam; testibus Pontificiis , Pontificibúsq; , omni exceptione majoribus,seu autoribus,seu approbatoribus Tridentini catechismi.

34 Quid , quòd & *Patres, quos* Valentianus Jesuita negat *istius idololatriæ unquam meminisse* , idem attestantur. Quam ad rem firmandam sufficere debet Pontificiis solius Catechismi Tridentini autoritas, sic explicantis Mosen : quandoquidem [a] juramenti à Pio Quarto editi forma eos obligat , ut *sacram Scripturam nunquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiant & interpretentur .* Sed cui potest esse dubium Patres , qui imagines Dei à Mose vetari tradunt , ut [b] ostendi , pro idolis eas ex Mose agnoscere , si fiant & colantur ? quum [c] Augustinus asserat *præcepto primo prohiberi , ne quis colat ullam imaginem Dei , nisi unam , eandem cum ipso ,* [d] hoc est , Christum : & [e] Ambrosius ad omnia effugia idololatris præcidenda dicat , *Non vult se Deus in lapidibus coli :* & [f] Theodoretus *Deos ab iis fieri* pronuntiet , *qui ullius creaturæ imagine effingunt creatorem :* & [g] Anselmus Laudunensis,in Glossa è [h] Patribus confecta , illud Deuteronomii , *Formam non vidistis* , exponat, *Ne scilicet volens imitari sculpendo faceres idolum tibi :* & his demum omnibus

[a] Summa constit. summor. Pont à Greg. IX. usque ad Sixtum V. Constit.30.Pii IV.super forma iuramenti professionis fidei.

[b] Huius libri cap.2.§.9.

[c] Epist.119. ad Ianuar. cap.11.

[d] Col.1.15. Heb.1.3.

[e] Epist.31.ad Valentinian. Aug.contra Symmach.

[f] In Deuteron.quæst.1.

[g] Gloss.interlinear.in Deut.cap.4.

[h] Sixt.Sen.biblioth.sanct. lib 4.

omnibus antiquior [a] Joſephus, quem [b] Hieronymus catalogo Patrum inſerit, narret Jeroboamum, his verbis (quæ dilatat) [c] *Ecce Dij tui ô Iſrael*, inſtituiſſe ut in vitulis Deus coleretur. Itaque, ſiquis antehac demiratus ſit, qua ratione Dux Bavariæ, & alii Germanicæ nationis Principes, quorum prudentia & pietas laudatur, tantopere ſeducantur, ut religionem antiquam & orthodoxam, quam Reformatæ Eccleſiæ profitentur, explodant quaſi novam, atque hæreticam, & à Calvino fabricatam: deinceps mirari deſinat. Valentianum Jeſuitam, publicum in Academia Ingolſtadienſi theologiæ profeſſorem, pro magno veritatis doctore habent & honorant: qui, quod Deus Lege ſua condemnavit ut nefarium genus idololatriæ, quod Moſes Lege Dei contra idololatras ſancita interdici docuit, quod Judæos in vitulis colendis exercuiſſe demonſtrant Ferus & Joſephus è verbis ſacræ hiſtoriæ, quod Patres, quod Pontificii, quod Tridentinus Catechiſmus idololatriæ deputant; idololatriæ genus commentitium eſſe contendit, nec auditum antea, aut olim uſitatum, ſed recens excogitatum & fictum à Calvino, quò Papiſtæ ſcilicet, qui Deum in imaginibus & ſimulacris ita colunt, idololatrarum antiquorum ſimiles eſſe videantur.

35 At argumentis tamen forſitan evincit *recentem eſſe Calvini phantaſiam*, ut loquitur, quòd Judæi vitulum ab Aarone formatum vocârint Deum metonymicè; nec pro Deo propriè, ſed pro imagine Dei venerati ſint. Res indicabit. Audiamus ipſum ea proponentem. *Palàm*, inquit, *acclamârunt vitulo Iſraelitæ*; [d] *Iſti ſunt Dij tui, Iſrael, qui te eduxerunt de terra*

[a] Antiquit. Iud. lib. 8. cap. 3.
[b] In catalog. ſcriptor. eccleſiaſt.
[c] 1. Reg. 12. 28.
[d] Exod. 32. 4.

ra Ægypti. Prorſus ut magna ſit [a] *Calvini vel temeritas, vel ſtultitia, quòd ex his verbis colligit, illos tum etiam verum adoraviſſe Deum, qui eos eduxerit de terra Ægypti: ſolúmq; ob id fuiſſe idololatras, quòd ipſum voluerint per ſignum viſibile venerari.* Age. Primò igitur ſic argumentatur Gregorius de Valentia: Palàm acclamârunt vitulo Iſraelitæ, *Iſti ſunt Dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti:* ergo magna eſt Calvini vel temeritas, vel ſtultitia, quòd ex his verbis colligat eos, non propriè, ſed metonymicè loquutos eſſe. In quo ut, quàm nervoſè diſputet, intelligat, quæro utrùm propriè uſurpetur *vituli* nomen, an metonymicè, quum [b] Aaron & [c] Iudæi dicuntur *vitulum feciſſe*. Reſpondeat neceſſe eſt, metonymicè: & hoc è verbis colligi, quoniam dicuntur *feciſſe vitulum fuſilem*. Tamen [d] Iſraelitæ, Moſes, aliiq; dixerunt palàm, & ſcripſerunt, Judæos *vitulum feciſſe*. Prorſus ut magnum ſit Valentiani vel ingenium, vel judicium, quòd ex nomine *Deorum*, vel *Dei* potiùs, ab illis uſurpato colligat, non potuiſſe fieri quin loquerentur propriè.

[a] Inſtit. lib. 1. cap. 11. §. 9.

[b] Exod. 34. ver. 4.

[c] ver. 8.

[d] Exod. 32. 20. Pſal. 106. 19. Act. 7. 41.

36 Pergit Valentianus. *Veteres magno conſenſu tradunt, Iſraelitas tunc à religione vera ad ſuperſtitionem defeciſſe Ægyptiorum; quos conſtat habuiſſe pro Diis ipſa ſimulacra: &* [e] *Stephanus, eam hiſtoriam repetens, hoc ipſum eſt planè teſtatus: Cui (Moſi) noluerunt, inquit, obedire patres noſtri, ſed repulerunt, & averſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum, dicentes ad Aaron, Fac nobis Deos qui præcedant nos.* Ubi ſecundam hanc Valentiani rationem habemus: Ægyptios conſtat habuiſſe pro Diis ipſa ſimulacra: at Iſraelitæ tunc defecerant ad ſuperſtitionem Ægyptiorum

[e] Act. 7. 39.

tiorum, teſte Stephano: ergo Iſraelitæ ſimulacrum ipſum habuerunt pro Deo. Cujus ſyllogiſmi propoſitionem falſam eſſe conſtat. Nam ſive de animatis ſimulacris loquamur, de quibus antè dictum eſt in Api bove; [a] Clemens Alexandrinus, affirmans *Ægyptios putaſſe ibes & ichneumones Deorum eſſe ſtatuas*, perſpicuè declarat, aliud illis viſum ſimulacrum Dei, aliud autem Deum ſimulacro repræſentatum: ſive de inanimis, qualia ſimulacra Iſidis, Jovis, Martis, Perſei, & Vulcani Ægyptiis fuiſſe refert [b] Herodotus; [c] hiſtoriæ Ægyptiacæ de Iſide ceteríſque manifeſtiſſimum faciunt tam eos diſtinxiſſe ſimulacra numinum à numinibus ipſis, quàm Papiſtæ à Papa diſtinguunt Papæ imaginem cum triplici tiara in [d] novis Bibliis pictam.

[a] Orat. ad hort. ad Gent.

[b] In Euterpe, & Thalia.

[c] Herodot. ibid. & Diodor. Sic. lib. 1.

[d] Bibl. vulg. edit. ex typographia Apoſtolica Vaticana.

37 Nec Hermes Triſmegiſtus, à [e] Valentiano ad comprobandum ſuum *conſtat* citatus, idcirco hæc, quæ dico, refellere cenſendus eſt, quoniam *Ægyptios feciſſe ſibi Deos* [f] ait, *quum ſtatuis à ſe factis dæmoniacos ſpiritus evocatos inderent, quibus animatæ futura prædicerent, & morbos immittere curaréq; poſſent*. Nam quidcunque Magi Ægyptiorum fecerint; aut dæmones ſua ſponte [g] reſponſa dantes conſulentibus in ſtatuis Jovis, Herculis, Latonæ, ſimiliúmq;, de quibus ſcriptum eſt, [h] *Idola ſua conſulent*: Ægyptii Jovem, Herculem, Latonam, & ceteros quorum vim in ſtatuis credebant operari, non ſtatuas eorum, pro Diis habuerunt. Et hoc [i] idem ille Hermes, quiſquis fuit, ſatis clarè docet, dum aſſerit *Æſculapium, Mercurium, & Iſin Oſiridis uxorem homines exſtitiſſe, ex quorum mortuorum animis*

[e] De idolol. lib. 1. cap. 2.

[f] Apud Auguſt. de civ. Dei, l. 8. c. 23. & 24.

[g] Herodot. in Euterpe.

[h] Eſai. 19. 3.

[i] Apud Aug. l. cod. c. 26.

mis opinatur *dæmones factos esse, & humana arte simulacris inditos.* Longè verò clariùs Lactantius, Clemens, aliíq;, agentes de Hermetis Isíde & Osíride. Siquidem [a] Lactantius, *Isidis*, inquit, *Ægyptia sacra sunt, quatenus filium parvulum vel perdiderit, vel invenerit. Nam primò sacerdotes eius deglabrato corpore sua pectora tundunt: lamentantur, sicut ipsa, quum perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quasi inventus: & in lætitiam luctus ille mutatur. Ideo* * *Lucanus, Nunquámq; satis quæsitus Osiris. Semper enim perdunt, & semper inveniunt. Refertur ergo in sacris imago rei, quæ verè gesta est: quæ profectò, siquid sapimus, declarat mortalem mulierem fuisse, ac pane orbam, nisi unicum reperisset. Quod illum ipsum poetam minimè fugit: apud* [b] *quem Pompeius adolescens, morte patris audita, hæc loquitur.*

Evolvam busto, iam numen gentibus, Isin:
Et tectum ligno spargam per vulgus Osirim.

[c] Clemens autem Alexandrinus [d] aliíq; memorant, complures è philosophis Ethnicis exstitisse qui Ægyptios hortarentur, ut *aut non deflerent, si putarent Deos; aut pro Diis non haberent, si putarent deflendos.* Proinde quum & aliis ex autoribus cunctis, & ex Hermete Ægyptio, quem Valentianus citat, constet homines mortuos, simulacris effictos, cultos fuisse ab Ægyptiis ut Deos: [c] aliud quiddam constat de Valentiano, tam fidenti autore hujusmodi propositionum; *Constat Ægyptios ipsa simulacra pro Diis habuisse.*

38 Assumtio autem verior est, & rectè adstruitur testimonio Stephani, dicentis de Judæis; *Aversi sunt cordibus suis in Ægyptum*: sed in hoc certamen per-

[a] Divin. instit. lib. 1. cap. 21.

* Memoria lapsus videtur *Lucanum* citasse pro Ovidio, Metamorph. lib 9. Sicut & Osirim putasse *filium Isidis*: cuius virum fuisse narrant Diodorus Siculus & Plutarchus.

[b] Lucan. lib. 9.

[c] Orat. adhort. ad Gent.

[d] Plutarch. de Isid. & Osir. Epiphan. in Anchorat.

[c] *Efflat mendacia testis falsus.* Proverb. 14. 5.

pertrahitur invita, nec militabit contra nos. Etenim ad ejus veritatem ſufficit, quòd Iſraelitę Deum per imaginem coluerunt, profano Ægyptiorum ritu in genere: quamvis in ſpecie, nec eundem Deum, nec eadem imagine repræſentatum, venerati ſint. Alioqui, quoniam conſtat Ægyptios ſimulacro Apidis, id eſt, vivi vituli, Serapim, maximum ſuum Deum, coluiſſe: ejuſdemmodi prorſus fuiſſe ſimulacrum Iſraelitarum concludat Valentianus è Stephano, hunc in modum. Conſtat Ægyptios habuiſſe vivum vitulum pro Deo: at Iſraelitę tunc defecerant ad ſuperſtitionem Ægyptiorum, teſte Stephano: ergo aureus vitulus, quem Iſraelitæ coluerunt, fuit vitulus vivus.

39 Tertium Valentiani argumentum ſequitur, his verbis comprehenſum. *Atque huc illud pertinet, quod indignabundus Dominus (eò quòd regem illi ſibi perfidè poſtulaſſent) ad Samuelem inquit:* [a] *Audi vocem populi huius; non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos: iuxta omnia opera ſua, quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Ægypto, uſque ad diem hanc; ſicut dereliquerunt me, & ſervierunt Diis alienis, ſic faciunt etiam tibi.* Ex quibus, quia Judæi dicuntur *alienos Deos coluiſſe*, & *Deum dereliquiſſe*, confectum putat iſte, Judæos vituli imaginem habuiſſe pro Deo. Sed animadvertendum eſt Hebræam vocem, אחרים, Latinè redditam, *alienos*, ſignificare *alios*: ut perinde ſonet acſi ſcriptum eſſet, *Coluerunt Deos alios*; quemadmodum [1] Septuaginta Græcè verterunt. Jam Deus, interdicens [b] *ne habeamus Deos* [2] *alios*, [c] *nec Deum* [3] *alium adoremus*, prohibet ſuam ipſius imaginem coli, ſicut docui. Nam imago ejus, factitia imago, de cujuſmodi agimus, aliud eſt ab ipſo. Ipſe autem

[a] 1. Sam. 8. 7.

[1] ἀθέσιαν θεοῖς ἑτέροις.

[b] Exod. 20. 3.
[2] Heb. אחרים
[c] Exod. 34. 14.
[3] Heb. אחר

autem dicit: [a] *Gloriam meam* [1] *alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus*. Unde, quia sculptam sui imaginem *Deum* vocat ipse, vetans [b] *Deos aureos argenteósve fieri*: restat simulacrum imaginémq; Dei, ex Scripturæ phrasi, Deum esse alium. Porrò quicunque Deum alium colunt, contra mandatum, [c] *Dominum Deum tuum adorabis, & eum solum coles*; ii [d] *Deum derelinquunt, & irritum faciunt fedus eius*: similiter atque adultera, [2] ad alterum se conferens, & [e] eum benevolentia, quam marito soli debet, complectens, [f] derelinquit maritum suum, & conjugale fedus violat. Etiámne si mariti sui imaginem in altero illo habeat, & amplectatur? Etiam. Et quidem tanto magis interdum, quanto clarioris imaginis in amplexus ruit. Filius, quem homo naturaliter [g] *gignit ad similitudinem suam*, est imago patris: eóq; expressior, quo illustriùs patrem undequaque refert; ut Cæcinæ filius, quem [h] Cicero *imaginem animi & corporis patris sui* vocat. Talis imago Thesei fuit Hippolytus: cujus impudico amore capta Phædra noverca, conjux Thesei, sciebat [3] conjugale fedus suo scelere violatum iri. Nihilominus Thesei imaginem in illo videbat & deperibat: sicut apud [i] Tragicum (qui rem, ut verisimiliter accidere potuit, fingit) Hippolyto dicenti, *Amore nempe Thesei casto furis*; respondens introducitur,

Hippolyte sic est: Thesei vultus amo
Illos priores quos tulit quondam puer,
Quum prima puras barba signaret genas,
Monstríq; cæcam Cnossij vidit domum,
Et longa curva fila collegit via.
Quis tum ille fulsit? presserant vittæ comam:

[a] Esai.42.8.
[1] Heb. ירא
[b] Exod.20.23.
[c] Matt.4.10.
[d] Deut.31.16. & 32.15.
[2] *Adulter & adultera dicuntur, quia & ille ad alteram, & hæc ad alterum se conferunt.* Festus.
[e] Prov.7.18.
[f] Prov.2.17.
[g] Gen.5.3.
[h] Epist.ad fam.li.6. ep.6.
[3] *Peius adulterio turpis adulter obest.* Phædra Hippolyto. Ovid. Heroid. epist.4.
[i] Senec. in Hippolyto.

Et ora flavus tenera tingebat rubor.
Inerant lacertis mollibus fortes tori:
Tuæve Phœbes vultus, aut Phœbi mei,
Tuúſq; potiùs. Talis, en talis fuit
Quum placuit hoſti: ſic tulit celſum caput.
In te magis refulget incomptus decor,
Et genitor in te totus.

[a] Gen.49.4. Nec verò [a] Jacob ſuum conjugalem torum non profa-
[b] Gen.35.22. natum cenſuit, quum [b] Ruben id reipſa novercæ ſuæ fecit, quod Phædra ab Hippolyto fruſtra expetivit: etiamſi Ruben, Jacobi primogenitus, imago patris ſui, & expreſſior forſan quàm filiorum natu minorum quiſquam, exiſteret. In eundem modum, [c] *homo, ad Dei ſimilitudinem factus*, eſt imago Dei: ac multo luculentior, quàm pictura muta ſenis, aut columbæ, eſt imago Patris, Spiritúſve ſancti; aut æreus, argenteus, aureus crucifixus, eſt imago Chriſti. Tamen quia [d] Judæi fiduciam in hominibus Ægyptiis habebant, quam in ſolo Deo habere oportebat ex [e] federe quaſi conjugali: dicuntur [f] dereliquiſſe Jehovam Deum ſuum, cujus à via & [g] Lege deflexerunt. Quum igitur imaginem Dei qui adorat, is Deum derelinquat, & alium Deum colat; firmioribus argumentis Valentiano opus eſt, ſi effectum velit, Judæos aureum vitulum pro Deo habuiſſe, non pro imagine Dei.

[c] Gen.1.26. & 9.6.
[d] Eſai. 30.2. & 31. 1. Jer. 2. 18. & 17. 5.
[e] Gen.17.7. Lev.26.12. Deut.26.17.
[f] Ier. 2. 17.
[g] Ier. 16. 11.

40 Videlicet quarta ejus ratio hoc efficit: aut conclamatum eſt. Nam quintam, quæ poſtrema eſt, ex [h] Davide, in Bellarminianis mendaciis profligavi. Quid ergo dicit quarta? *Hinc illa etiam apud Amos Prophetam exprobratio:* [i] *Nunquid hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis, domus*

[h] Pſal. 105. in vet. vulg. edit. Lat. 106. in Hebr.
[i] Amos.5.25.

mus Israel? Et portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ feciſtis vobis, &c. In quem locum D. Hieronymus, Ex eo tempore, inquit, quo aurùm in caput vituli transformârunt dicentes, Hi sunt Dij tui, &c. omnia quæ fecerunt, non Deo (audiant hoc Calvini aſſeclæ) sed idolis feciſſe monſtrantur. Audiant hoc Calvini aſſeclæ, inquit Valentianus; acsi debellatum prorsus jam esset: nec restaret quicquam, nisi ut Papistæ applaudant ei, & canant, *Io triumphe.* Sed magnum præjudicium triumpho suo attulit, quòd inter omnes locos è Scriptura citatos nullum ne in speciem quidem ita firmum contra nos invênit, ut interpolandum putaret hac parenthesi, *Audiant hoc Calvini aſſeclæ:* Hieronymum tandem pæane dignum judicavit. Nam ex Dei verbo intonare debuit, *Audiant, hoc dicit Dominus:* si nos, qui Domini Dei solius asseclæ sumus, quoniam [a] *asseclas* inde nomen accepisse didicimus, quòd assint, & omnibus dominorum jussis præstò sint, subjugare vellet. Nunc, dum Papæ assecla perinde nos oppugnat, quasi cum Papistica [b] Glossa sentiremus, *omnia Patrum ſcripta tenenda eſſe hodie uſque ad ultimum iota:* Hieronymi asseclas tam frustra facere conatur, quàm calumniosè Calvini asseclas vocat. Quippe qui utriusque eorum scripta sic probemus, ut [c] Augustinus Cypriani epistolam, de qua dicit: *Ego huius epiſtolæ autoritate non teneor, quia literas Cypriani non ut canonicas habeo, ſed eas ex canonicis conſidero: & quod in eis divinarum Scripturarum autoritati congruit, cum laude eius accipio; quod autem non congruit, cum pace eius reſpuo.* Hieronymus, il-

[a] Nonius Marcell. de propr. serm. cap. 1.

[b] In can. Noli meis. dist. 9.

[c] Contr. Cresc. gram. mat. lib. 2. cap. 32.

lam exprobrationem Dei apud Amos Prophetam interpretans, *Ex hoc loco*, inquit, *discimus omnes hostias & sacrificia, quæ in deserto obtulit Israel, non Deo obtulisse, sed Moloch regi suo.* Quæ verba si ad regulam Scripturarum examines, comperies haud congruere earum autoritati. Nam [a] sub monte Sinai, id est, in [b] deserto, quando fœdus Dei cum populo sanguine sancitum est, [c] holocausta Jehovæ obtulerunt pueri Israelitarum, eiq; sacrificaverunt sacrificia eucharistica. In deserto [d] Moses, consecrans res & personas ad Dei cultum pertinentes, adolevit gratum Jehovæ holocaustum, & [e] oblationem. In deserto, statim à consecratione, [f] Aaron & filii Israelis, jussi sacrificia muneráq; offerre coram Jehova, miraculo divinitus edito id, quod jussi sunt, fecisse demonstrantur. In deserto, postquam erectum erat tabernaculum, [g] coram Jehova oblatæ sunt majores & minores hostiæ à principibus Israelis ad dedicationem altaris. Quamobrem omnes hostias & sacrificia, quæ Israel obtulit in deserto, oblata esse Moloch idolo, non Deo, minùs consideratè scripsit Hieronymus.

[a] Exod. 24. 4.
[b] Exod. 19. 2.
[c] Exod. 24. 5.
[d] Lev. 8. ver. 21.
[e] ver. 28.
[f] Lev. 9. 2.
[g] Num. 7. 3.

41 At enim apud Amos Prophetam hoc innuitur: saltem, si cui alii sacrificauerint quàm Molocho, non tamen sacrificasse Deo. Immo apud ipsum habetur, *An sacrificia & munus obtulistis mihi in deserto quadraginta annis?* ne omnia simpliciter quę obtulerunt in deserto, sed quæ annis quadraginta obtulerunt, intelligantur. At quadraginta anni conficiunt totum spatium commorationis eorum in deserto: ut patet ex [h] ætate Aaronis & Mosis aliisq; locis [i] Scripturæ. At voces, *quadraginta annis*, apud Amos non usurpantur

[h] Exod 7. 10. Num. 33. 39. Deut. 34. 7.
[i] Exod. 16. 36. Deut. 1. 3. Ios. 5. 5.

ſurpantur propriè, ut integrum illud tempus, ſed figuratè per ſynecdochen, ut ferè integrum notent: quemadmodum [a] Abimelec occidiſſe dicitur ſeptuaginta fratres ſuos, quoniam [b] occîdit ferme ſeptuaginta: & [c] Deus Iſraelitas, poſt exploratorum reditum è Chananæa, denuntiat, pro numero dierum quadraginta quibus terram explorârunt, laturos iniquitatum ſuarum pœnam in deſerto quadraginta annis; quam tamen non tulerunt integris quadraginta, quum hæc pœna inflicta ſit poſt [d] annum unum aut alterum ab egreſſu eorum ex Ægypto. At unde planum fiet voces figuratè, non propriè, apud Amos accipiendas eſſe? Partim ex ſimilibus locis apud [e] Moſen, atque [f] Davidem; ubi tempus idem iiſdem vocabulis ſignificari videtur: partim ex clariſſimo teſtimonio [g] Stephani; qui poſt commemoratam Judęorum in vitulo idololatriam, *Vertit autem ſe Deus*, inquit, *& tradidit eos ad ſerviendum exercitui cœli, ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum, Num victimas & oblationes obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto, domus Iſrael?* His enim verbis indicans Deum puniviſſe eorum impietatem excęcatione, & peccatum peccato; ut [h] Scriptura docet ipſum idololatris facere conſueviſſe: perſpicuè declarat quadraginta annis non includi tempus [i] aliquot ſaltem menſium, qui vituli cultum præceſſerunt; itáq; tùm ſynecdochen apud Amos comprobat, tùm vitulum ab idolo Moloch diſcriminat. Congruentiùs ergo Scripturæ [k] Baſilius & Theodoretus, quin etiam Pontificii, [l] Palatius, & [m] Ribera, quadraginta annos ab exploratorum reverſione numerant, quàm Hieronymus eos, tanquam propriè dictos, de toto

[a] Iud. 9. ver. 56.
[b] ver. 5.
[c] Num. 14. 33.
[d] Num. 1. 1.
[e] Num. 32. 13.
[f] Pſal. 95. 10.
[g] Act. 7. 42.
[h] Rom. 1. 24.
[i] Exod. 19. 1. & 24. 1. & 32. 1.
[k] In Pſalm 94.
[l] In Amos c. 5.
[m] Ibid. §. 63.

toto tempore, quo verſati ſunt in deſerto, exponit. Quanquam Hieronymi quoque ſententia, qua Valentianus contra nos triumphat, ineptè adhibetur ad aſſertionem noſtram infirmandam. Non enim, ſi victimas, quas Iſrael vitulo obtulit, idolo obtulit, non Deo, [a] quod rectè dici poteſt, ex eo ſequitur vitulum imaginem Dei non fuiſſe: ut nec [b] Rubenem Jacobi imaginem non fuiſſe, tametſi [c] benevolentiam, quam illi præſtitit noverca, adultero præſtitit, non Jacobo.

[a] Exod.32.8. Act.7.41.
[b] Gen.49.4.
[c] Gen.35.22.

42 Verùm, & Amos, & Stephanus, & Hieronymus, oſtendunt Valentianum cæcitate puniri à Deo, ut idololatram, quando, qui ſecunda ratione ex Stephano concludit *Iſraelitas ſimulacrum ipſum pro Deo habuiſſe*; is in quarta citat Amos, & Hieronymum, Stephano nitentem, quorum teſtimonio, non ſimulacrum, ſed *ſidus ſimulacro repræſentatum, pro Deo habitum eſſe* patet. Nam Amos tradit eos ſic coluiſſe *imagines*, ut per imagines honorarent *ſidus Dei ſui*. Hoc ſidus, Hieronymo judice, eſt *Lucifer: quem Saraceni*, inquit, *nunc uſque venerantur*. Stephanus autem ait *traditos fuiſſe ad ſerviendum exercitui cæli, ſicut in Propheta Amos ſcriptum eſt, Baiulaſtis tabernaculum Moloch*, & quæ ſequuntur. Ac vocabulum, *Moloch*, ex etymologia Hebræa, *regem* ſignificat. Qua appellatione quid ſi Sol notetur; qui [d] regi ab Ægyptiis aſſimilatus eſt, & à Chaldæis habitus planetarum princeps? quandoquidem [e] Baal Peor tum coluerunt Judæi, à filiabus Moabitarum pellecti, teſte Moſe: & Sol, Baalis titulo in illis gentibus celeberrimus, videtur Baal Peor cognominatus à [f] Peor monte, (in quo fortaſſe fanum & ſimulacrum habuit,) quemadmodum

[d] Sext.Empiric.adverſ. Mathemat. cap.21.
[e] Num 25.3.
[f] Num.23. verſ.32.aut 28.ubi *Phegor* legit vetus interpres, tanquam diſcreparet à Baalis cognomine, quem *Beel Phegor* vocat, Num.25.3. Sed fons Hebræus habet utrobique פעור.

dum Maria Lauretana dicitur apud Pontificios à [a] Lauretano colle. An potiùs, quia Stephanus, [b] *exercitum cæli* memorans, Judæos [c] plura sidera coluisse innuit; quod & è Mose [d] *Deos*, ceu plures, nominante colligit [e] Josephus: Moloch est Saturnus, supremus omnium planetarum, & in regio quasi fastigio collocatus? Pro qua opinione facit execrabilis ritus immolandi homines [f] Molocho apud illas gentes; ut apud [g] Carthaginenses, [h] Phœnices, [i] nationésq; alias Saturno. Etsi minùs firma est hæc conjectura, quoniam & [k] Judæi ædificaverunt etiam excelsa Baalis ad comburendum filios suos igne, holocausta Baali: & [l] rex Moabitarum, quorum inter Deos eminuit Baal Peor, Edomæi regis filium bello captum in holocaustum obtulit. Utcunque, seu Luciferum, seu Solem, seu Saturnum, seu hæc & cuncta cetera astra coluerunt: certè non imagines astrorum, sed astra, pro Diis habuisse, consentiunt Amos, Stephanus, atque Hieronymus; & Valentianum unius mendacii reum peragunt. Alterius verò mendacii, aut, si quo alio nomine appellandum est, peccati mendacium Hieronymiana autoritate palliantis, convincit eum Stephanus: ostendens Amos loqui de quadraginta annis post vituli cultum inchoatis; nec dicere Molochum, aut sidus, à Judæis in imagine vituli adoratum esse.

[a] Leand. Albert. descript. Ital. in Piceno. Vrb. præcip. totius mund. lib. 3. tab. 51.
[b] Act. 7. 42.
[c] Ier. 8. 2.
[d] Num. 25. 2.
[e] Antiquit. Iud. l. 4. c. 6.
[f] Levit. 18. vers. 21. & 24.
2. Reg. 23. 10.
[g] Diodor. Sic. lib. 20.
[h] Sanchoniath. apud Porphyrium, citatum ab Eusebio, præparat. Evang. lib. 4.
[i] Euseb. ibid. ex Porphyrio, Istro, & Dionys. Halicarnass. antiq. Rom. lib. 1.
[k] Ier. 19. 5.
[l] 2. Reg. 3. 27. Amos. 1. 16.

43 Ac eodem ferè modo rursum peccat in conclusione istarum rationum: quam duobus aliis exemplis Judæorum statuminare & fulcire nititur, his verbis. *Ex quibus evidenter appâret, filios Israel, quum in deserto erexerunt vitulum, & dixerunt, Hi sunt Dij tui, &c. nequaquam verum Deum per imaginem (ut Calvinus*

vinus delirat) ſed vanum idolum veneratos eſſe: perinde certè ac fecerunt poſtea, quum [a] *Ieroboam rex (quem apertè dicit* [b] *Dominus feciſſe Deos alienos & conflatiles) iiſdem verbis vitulos duos, quos fecit aureos, coram multitudine compellavit: item perinde ac etiam fecerunt, quum, quod* [c] *Moſes propheticè de ipſis cecinit, ſeu luxit veriùs, opere compleverunt; ſcilicet, quòd dereliquerunt Deum factorem ſuum, & receſſerunt à Deo ſalutari ſuo, & provocaverunt illum in Diis alienis, & immolaverunt dæmoniis, & non Deo; denique obliti ſunt Domini creatoris ſui.* In quorum exemplorum priore, de vitulis à Jeroboamo factis, Valentianus adhibet ſophiſma modò ventilatum: nempe, *Deos* [1] *alios & conflatiles fuiſſe quos Ieroboam fecit; non ergo imagines veri Dei.* Satis ſpecioſè, niſi ex Scripturæ phraſi didiciſſemus aureas & conflatiles Dei imagines nuncupari *Deos alios & conflatiles.* Ut Jeſuita veriùs, quàm ſenſit, affirmaverit, *perinde certè vanum idolum veneratos eſſe Iudæos in Aaronis vitulo, ac in Icroboami.* Nam in utriſque certè perinde vana idola venerati ſunt, quia in utriſque vanas veri Dei imagines coluerunt.

[a] 1. Reg. 12. 28.
[b] 1. Reg. 14. 9.
[c] Deut. 32. 15.
[1] Heb. אלהים

44 Poſterius autem exemplum, vel exempla potiùs, de quibus *Moſes lugens cecinit propheticè*, ex parte diſſimilia ſunt: quippe quæ ad cultum [d] Baalis & ſimilium ſpectare docet Deus, Moſi prędicens; [e] *Scortabitur populus iſte ſequendo Deos alienigenarum illius terræ in quam venturus eſt.* Qua verò ex parte ſimilia eſſe poſſunt; veluti, ſiqui forſan alienigenarum coluerunt verum Deum in ſtatuis; aut eorum Deos ſequuti ſunt Judæi, quia Deos ex auro, argento, lapide, ligno fecerunt, ut ſolebant illi: quid eſt in verbis Moſis,

[d] Iud. 3. 11. & ſequentib.
[e] Deut. 31. 16.

sis, quod assertioni nostræ adversetur? An extremum illud, *Immolaverunt dæmoniis, non Deo?* Nihilo sanè magis, quàm cetera, *Dereliquerunt Deum factorem suum; & recesserunt à Deo salutari suo; & [1] provocaverunt illum in Diis [2] alienis; & obliti sunt Domini creatoris sui*: quæ cuncta in imaginum veri Dei cultu impleri declaravi. [a] Antiquus enim serpens, & impuri spiritus, [b] mundi principes ac seductores, [c] variis illecebris, tentationibus, dolis impellunt homines ad peccandum: [d] eósq; ab obsequio Dei avertunt, & sibi subditos reddunt, à quibus flagitia, ad quæ instigant, perpetrantur. Unde viduæ Ecclesiasticæ, pauperum ministræ, quæ novum matrimonii fœdus ineundo fregerunt [e] fidem datam, & stationem deseruerunt, dicuntur [f] Satanam sequutæ esse, [g] non Christum. Quod in omni Legis divinæ transgressione ita locum habet, ut quamvis Dei simulacra colat, qui transgreditur, transgressione tamen dæmoniis serviat, non Deo. Verbi gratia, magistratus sunt imagines Dei, respectu principatus, ob quem & [h] *homo*, ex parte, *ad imaginem Dei creatus* traditur generatim; & [i] *vir*, præ fœmina, speciatim *imago Dei* esse dicitur. Ac proinde nomen [k] *Deorum* quoque gerunt, [l] Christo autore: nec boni solùm magistratus, verùm etiam mali; qualis erat, cui [m] Paulus accommodavit illud, *Principi populi tui non maledices*, è [n] Mose, qui eandem in sententiam addit, [3] *Deos non execraberis*. Istiusmodi verò Diis & Principibus obtemperavit [o] Saulus, quando cum Pontificis Maximi & Senio-

[1] Heb. קנא, *ad zelotypiam commoverunt*: voce coniugata cum ea qua Deus nominatur *zelotes*, קנא, Exod. 20.5. & 34.14. Deut. 4.24.

[2] Heb. זרים id est, *extraneis*: qua voce denotantur omnes Dii antiquis & sanctis patribus ignoti, ut ex eiusdem capitis proximo versu patet, Deut. 32. 17. Vox igitur, *alienis*, hoc loco idem sonat, quod אחרים in superioribus: unde & Scriptura illud Mosis, Exod. 20.3. לא יהיה לך אלהים אחרים his verbis explicat, Psalm. 81.10. לא יהיה בך אל זר

[3] Heb. אלהים

[a] Gen. 3.1. Apoc. 12.9. [b] Eph. 6.12. [c] Luc. 22.3. Act. 5.3. Eph. 2.2. & 6.11. [d] Act. 26.18. Col. 1.13. 2. Tim. 2.26. [e] 1. Tim. 5. vers. 12. [f] vers. 15. [g] vers. 11. [h] Gen. 1.26. Psal. 8.7. Eccl^ci 17.5. [i] 1. Cor. 11.7. [k] Psal. 82.6. [l] Ioh. 10.35. [m] Act. 23.5. [n] Exod. 22.28. [o] Act. 9.1. & 22.5. & 26.12.

rum

rum epiſtolis, poteſtate, ac procuratione miſſus eſt Damaſcum ad Chriſtianos perſequendos. In quo nihilominus, [a] piorum cædem ſpirans, [b] cupiditates diaboli homicidæ explere ſtuduit: ac propterea Satanæ ſervivit, non Deo; licèt [c] Deo cultum præſtare ſe putaret. Similiter, [d] *Quæ immolant Gentes*, inquit Paulus, *dæmoniis immolant, & non Deo.* Nimirum, ſive Soli, ſive [e] Jovi, ſive Mercurio, ſive cuicunque alii, aut rei, aut homini immolarent; non faciebant ſacra quæ Deus [f] Lege mandat: ſed quæ dæmones vel apertè præſcribunt, in [g] oraculis, & carminibus vatum; vel occultè, in ſtudiis & inſtitutis [h] mundi, id eſt, impiorum, diabolum pro [i] Deo habentium. Propterea Chananæos, qui alicui [k] ſideri ſacrificaverunt, dæmoniis ſacrificaſſe aſſerit Scriptura. Nam [l] eos imitati Judæi affirmantur immolaſſe liberos ſuos dæmoniis, quos immolaverunt Molocho, aut Baali. Neque imaginis Dei circumſtantia mutatur genus criminis: ut arguit animata imago, de qua dixi. [m] Julius Cæſar, ſummo apud Romanos magiſtratu fungens, decerni ſibi paſſus eſt templa, aras, Flaminem: ex quo decreto hoſtias deinceps ei immolârunt. Aut ſi hoc non fecerunt antequam magiſtratum cum vita depoſuerat, & conſecratus eſt Divus Julius: at Auguſto ſacrificârunt, non ſolùm [n] Divo facto, verùm etiam vivo. Nam aræ, quas [o] Horatius viventi poſitas refert,

Præſenti tibi maturos largimur honores,
Iurandáſq; tuum per nomen ponimus aras:

ad eum item uſum erectæ ſunt, de quo [p] Virgilius;

Illius aram

Sæpe

[a] Act.9.1.
[b] Ioh.8.44.
[c] Ioh.16.2. Phil.3.6.
[d] 1. Cor.10.20.
[e] Act.14.13.
[f] Exod.22.20.
[g] Porphyr. apud Euſeb. præpar. Evang.lib.4. Livi.lib.21.22. 25. &c. hiſtor. paſſim.
[h] Eph. 2.2.
[i] 2. Cor. 4. 4.
[k] Levit.18.ver. 21. & 24. Amos.5.26.
[l] Pſal.106.35.
[m] Sueton.in Iulio, cap.76. Dio, hiſt. Rom.lib.44.& 45. Appian.de bell. civil.lib. 1. & 2.
[n] Ioſeph.antiquit. Iud. lib. 19. cap. 1.
[o] Lib.2.epiſt.1.
[p] Eclog.1.

Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Hoc præ ſe tulerunt certè & Auguſto perſuaſum voluerunt, qui exſtruxerunt ei templa & altaria: ut ipſe indicavit, quum [a] nunciantibus Tarraconenſibus palmam in ara ejus enatam, *Appâret*, inquit, *quàm ſæpe accendatis*. Et [b] Caio Caligulæ citra controverſiam dum in vivis ageret, ac duntaxat in vivis, (neque enim mortuus apotheoſi Pontificia canonizatus eſt,) immolabant hoſtias. At hoſtiæ, huic imagini Dei immolatæ, in generale Apoſtoli axioma cadunt: *Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo.* Alioqui, ſi Deo ſacrificari cenſerentur, quæ ſacrificantur imagini Dei, non erat cur Judæorum legati cohorreſcerent (quod factum unus è legatis, [c] Philo Judæus, refert) quum ipſis reſpondentibus, *ſe victimas immolaſſe pro ſalute Caii*, Caius regeſſit, *At mihi non ſacrificaſtis*. Quamobrem, quod Moſes propheticè lugens cecinit, *Iſraelitas dæmoniis immolaturos, non Deo:* id impleri potuit, quamvis imaginibus Dei immolarent. Enimverò Deus de Iſraelitis dicens, [d] initio anni ſecundi poſt exitum ex Ægypto, [e] *Ne ſacrificanto deinceps ſacrificia ſua dæmonibus, quos ſectantur iſti ſcortando,* ſignificat eos antea dæmonibus ſacrificaſſe: [f] quo tempore holocauſta obtulerant aureo vitulo; ac in eo, licèt Jehovæ ſimulacro, ſcortati erant, ut oſtendi. Eodem modo [g] Deum Iſraeli in ſuis vitulis colendum propoſuit Jeroboamus: [h] qui tamen ſacerdotes perinde pro dæmonibus, atque vitulis, ſtatuit; nec minùs Iſraelitæ [i] ſpiritu ſcortationum in errorem acti ſunt, ut ſcortarentur averſi à Deo ſuo. *Pan* denique *Deus Arcadiæ* (ut à [k] poeta nominatur) imago

[a] Quintilian. l. 6. c. 4.

[b] Sueton. Caligula cap. 22. Dio, hiſt. Rom. lib. 59.

[c] Lib. de legat. ad Caium.

[d] Lev. 27. 34. Num. 1. 1.

[e] Lev. 17. 7.

[f] Exod. 32. 1.

[g] 1. Reg. 12. 28.

[h] 2. Chr. 11. 15.

[i] Hoſ. 4. 12.

[k] Virg. eclog. 10.

Dei

Dei fuit cujuſmodicunque, quoniam [a] homo: tamen [b] Gelaſius, Pontifex Romanus, Romanis, Lupercalia in * ejus honorem celebrãtibus, eandem impii cultus notam inurit; *Nam per animæ*, inquit, *fornicationem ab ipſius Dei coniunctione diſceditur, atque ad immundos ſpiritus ſpiritualis adulterij genere tranſitur.*

45 Itaque Pontificiis, quotquot inter ipſos non prorſus inſaniunt, judicandum relinquo, utrùm Valentianus ſatis ſanus fuerit, quum talia ſophiſmata, è Scripturarum verbis Jeſuiticè texta, concluſit hac coronide: *Perſpicuum igitur ex Scripturis eſt (quicquid ſomniet inſanum Calvini caput) Iudæos ſimulacra pro Dijs habuiſſe.* Mirabor, niſi agnoſcant Jeſuitam [c] Perſii concluſione dignum: *Dicíſq;, facíſq;, quod ipſe Non ſani eſſe hominis non ſanus iuret Oreſtes.* Mihi profectò videtur potuiſſe pari ratione, præſertim ex ſecundo argumento, concludere: Perſpicuum igitur ex Scripturis eſt (quicquid ſomniet inſanum [d] Stephani caput) Judæos, non Molochum exercitúmve cœli, ſed imagines ipſas pro Diis habuiſſe. Quanquam non negaverim, ſi prophetа ille, qui Jehu regem unxit, [e] *inſanus* dici meruit, Calvinum meritum eſſe ut eodem probro à Jeſuitis vexetur. Scriptis enim ſuis, Propheticam & Apoſtolicam doctrinam ſpirantibus, multos pios Principes & magiſtratus accendit ad omnia, cûm Sanctorum, tûm Dei, Patris, Filii, Spiritúſq; ſancti idola profliganda: religioſiore animo quàm Jehu, [f] qui Baalis tantùm ſtatuas deſtruxit, à [g] vitulis Jehovam referentibus non receſſit.

46 Jam verò ſimulacris etiam Gentilium nonnullis repræſentatum eſſe Deum verum, etſi minùs certò

[a] Dionyſ. Halicarn. antiq. Rom. lib. 7. Pauſan. in Arcadicis.
[b] Adverſ. Andromachum Senatorem, ceteroſq; Romanos, qui Luperc. ſecund. mor. priſtin. colenda conſtituebant. Epiſtolar. Romanor. Pont. tom. 1. part. 2.
* Livi. lib. 1. Dionyſ. Halicarn. antiq. Rom. lib. 1.
[c] Satyr. 3.
[d] Act. 7. 42.
[e] 2. Reg. 9. 11.
[f] 2. Reg. 10. ver. 27.
[g] ver. 29.

certò firmatur è Scripturis, sit tamen probabile. Nam Athenienses [a] ara, cui inscriptum erat, *Ignoto Deo*, colebant Deum verum, quem Paulus annuntiabat. Quibus autem aras erigebant Ethnici, eos imaginibus item honorare & colere solebant. Hoc docent Chananæorum [b] aræ cum statuis, & simulacris Deorum. Hoc Phœnicum sacra indicant in Achabo: qui, ut [c] aram Baali, sic & [d] statuam fecit. Hoc Græcis quàm solenne & usitatum fuerit, demonstrat [e] Pausanias in cunctis partibus Græciæ. Hoc insinuat [f] Tacitus, quum Deum in Carmelo monte cultum memorat, non simulacro, aut templo, (*sic tradidere*, inquit, *maiores*) sed ara tantùm. Quam aram habuerunt incolæ fortassis pro monumento [g] aræ ab Elia propheta in [h] eo monte exstructæ. Sed Tacitus notans ritum Dei ara tantùm, non simulacro, colendi, tanquam à majoribus Judæorum traditum, innuit apud Ethnicos in more positum fuisse, ut simulacris æquè ac aris Deos honorarent. Et quidem ejus Dei, cui ara dicabatur, [i] imaginem super aram ponebant sæpenumero: aliquando in fronte aut latere aræ insculpebant. Quod institutum spectans Romanus martyr, apud [k] Prudentium, illis exprobrat:

Iam si sub aris ad sigillorum pedes*
Iaceatis, infra sectilem quercum siti,
Quid esse vobis æstimem proiectius?

Cetertum, quum in templis statuebantur aræ, eæq; simulacris nudæ; præsertim in quibus victimæ immolandæ erant, non solùm thus adolendum, aut popana offerenda, seu liba: simulacra eorum, quorum aræ erant, ad parietes ædium in sedibus honorabili

[a] Act. 17. 23.

[b] Deut. 12. 3.

[c] 1. Reg. 17. 34.
[d] 2. Reg. 3. 2.
[e] In Atticis, Corinthiacis, & ceteris passim.
[f] Hist. lib. 2.

[g] 1. Reg. 18. ver. 31.
[h] ver. 20.

[i] Lib. inscript. antiquar. quæ passim per Europ. ord. 2. Hubert. Goltz. in Iul. Cæs. numism. cap. 2. & in Aug. Cæs. numism. cap. 17.
[k] Περὶ στεφάν. hymn. 10.
* Id est, *imaguncularum*: diminut. à *signo*, statua.

rabili ſublimitate locabantur, ut attenderentur à precantibus & immolantibus, quemadmodum [a] Auguſtinus notat. Neque hoc commemorat ille tanquam ſuo tempore fieri cœptum: ſed receptum olim. Quod [b] Vitruvius itidem ante eum docuit, ubi, de ſtructura ſacrarum ædium agens, ait ſigna in cellis collocata ſpectare ad Occidentem oportere, & aras ad Orientem: uti qui adierint ad aram immolantes, aut ſacrificia facientes, ſpectent ad ſimulacrum, ſublimiùs ara ſitum; ipſáq; ſimulacra videantur exorientia contueri ſupplicantes, & ſacrificantes. Quin & ante Vitruvium in uſu hoc fuiſſe declarat [c] Clemens Alexandrinus: teſtificans templa antiquiſſima ſpectaſſe ad Occidentem, ut, [i] qui vultu imagines intuente ſtabant, ad Orientem verterentur. Quamobrem ſi veri Dei ara Athenis in templo ſita erat: fit multo probabilius, ne dicam indubitatum, imaginem item habuiſſe. Eôdem vehementer inclinat univerſa narratio rei geſtæ, concióq; Pauli: [d] qui, refertam idolis urbem conſpicatus, dicit [e] ſe inter eorum *ſacra*, ſeu *ſimulacra*, ut reddit vetus interpres, σεβάσματα, *quæ colebant*, inveniſſe etiam aram veri Dei. In hujus autem colendi modo quum oſtendit eos peccare, quia [f] *nec in templis manufactis habitat*, [g] *nec manibus hominum colitur*, quaſi dicas, ſimulacris, [h] opere manuum hominum; quippe [i] *non putandum auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis & excogitationis humanæ, Divinum numen eſſe ſimile*: magnam certè præbet exiſtimandi anſam, Athenienſes illum, quem *ignoti Dei* nomine colebant, imagine aliqua effinxiſſe. uſque adeò ut

Pere-

[a] Epiſt. 49.

[b] De architect. l. 4. c. 5. & 8.

[c] Strom. lib. 7.

[i] Οἱ ἀπαντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἱστάμενοι.

[d] Act. 17. ver. 16.

[e] ver. 23.

[f] ver. 24.

[g] ver. 25.

[h] Pſal 115. 4. & 135. 15.

[i] Act. 17. 29.

[a] Peresius, Pontificius & Episcopus & theologiæ professor, postquam affirmasset *multa fuisse idola, quæ tantùm benefactorem Deum repræsentabant; nec omnia, quæ Gentes colebant, falsum Deum significasse*; subjiciat ad probandum hoc enuntiatum: *Erat enim ara Athenis ignoto Deo erecta; præteriens (inquit Paulus Athenienſibus) ſimulacra veſtra, inveni & aram in qua ſcriptum erat, Ignoto Deo.*

[a] De traditionib. part. 3.

47 Præterea, de eodem agens Paulus ait: [b] *In ipſo vivimus, & movemur, & ſumus; ſicut & quidam veſtrorum poetarum dixerunt, Nam huius progenies etiam ſumus.* Quæ verba quum [c] Aratus ſcripſerit de Jove; & de vero tamen Deo ſcripta eſſe confirmet Pauli ratio: reſtat verum Deum ſignificari *Iovis* nomine ab Arato; quod & [d] Euſebius obſervat. Neque unum modò poetam id dixiſſe teſtatur Paulus, ſed plures. Nimirum in eandem prorſus ſententiam [e] Heſiodus & [f] Homerus eundem Jovem *hominum patrem*, ſive *ſatorem*, ut [g] Virgilius reddidit, hoc eſt, creatorem appellare ſolent. Poetarum verò ſententias quia [h] populus libenter imbibit & amplexus eſt: idcirco ſtatuarii & pictores eas pro ſuorum operum archetypis ſæpe habuerunt. Velut [i] Phidias, interrogatus, quônam mentem ſuam dirigens tam præſtantem, admirabilem, divinam Jovis effigiem [k] Olympiæ fabricaſſet, reſpondit *ſe quibuſdam verſibus Homeri pro magiſtris uſum*. Ac magnus Ethnicorum doctor, qui eadem ætate cum Apoſtolis floruit, [l] Dio Chryſoſtomus, affirmat, tùm *poetas denotaſſe Iovis nomine ſummum Deum, communem hominum patrem, & ſervato-*

[b] Act. 17. 28.

[c] In phænom.

[d] Evang. præparat. lib. 13.

[e] In operib. & dieb.

[f] Tota Iliad. & Odyſſ. paſſim.

[g] Æneid. lib. 1. & 11.

[h] Cic. Tuſculanar. quæſt. lib. 2.

[i] Valer. Max. lib. 3. cap. 7. Macrob. Saturn. lib. 5. c. 13.

[k] Pauſan. Eliacor. lib. 1.

[l] Orat. 12.

ſervatorem, *& cuſtodem* : tûm *imaginum pictarum fictarúmq; artifices id operibus ſuis exprimere voluiſſe*, *quod vulgus è poetis hauſerat*; ut *Phidiam in Olympij Iovis ſimulacro commonſtrantem* inducit. Itaque nonnullas imagines ad verum Deum repræſentandum ab Ethnicis formatas eſſe ſuadet ratio.

[a] Rom. 1. 23. 48 Poſtremò, idem [a] Paulus aſſerit *eos gloriam incorruptibilis Dei mutaſſe in effformatam imaginem corruptibilis hominis*, *& volucrium*, *& quadrupedum*, *& reptilium*. Unde veriſimile fit, quanquam metuo ne nimis frigidè loquar quum dico, veriſimile; propius eſt ut certum ſit, Ethnicos affinxiſſe quaſdam hujuſmodi formas vero Deo : ſimiliter ac [b] Pſal. 106. 20. Judæi in [b] pſalmo (cujus verba videtur Paulus reſpexiſſe) dicuntur *gloriam ſuam mataſſe in formam bovis*. Nam etſi, qui creaturam quamcunque, puta Solem, aut Lunam, imagine humana repræſentatam colebant loco Dei, ii mutabant gloriam Dei in imaginem hominis ex conſequenti; quoniam Dei cultum ad Solem aut Lunam, Solis aut Lunæ ad hanc imaginem transferebant : tamen erant etiam qui creatorem ipſum, imagine hominis expreſſum, colendum ſibi proponerent; ut de Græcis dictum eſt in ſimulacro Jovis; ac Romanos idem in Jove, de quo nobiles [c] poetæ, *Iovis omnia plena*, cecinerunt, inſtituiſſe credit [d] Varro. [e] Minutius autem Felix, affirmans *ſe habere omnium conſenſum de uno vero Deo*; *Et qui Iovem*, inquit, *principem volunt*, *falluntur in nomine*, *ſed de una poteſtate conſentiunt* : nec *vulgus* ſolùm ac *poetæ* hanc unam poteſtatem, idq; uno ſæpe nomine præ-

[c] Aratus, in phænom. Virgilius, ecl. 3.
[d] Apud Aug. de civ. Dei, lib. 4. cap. 9.
[e] In Octavio.

prædicasse ; verùm etiam *omnes ferme philosophos, quibus illustrior gloria est , Deum unum multis licèt nominibus designasse* perhibet. Quid, quòd & Ægyptii, qui varias creaturas in cunctis illis formis, quas Paulus memorat, colebant : creatorem quoque alicubi in nonnullis earum honorabant. [a] Thebaidis enim incolæ neminem mortalem , sed ortus & interitus expertem, qui ab ipsis * *Cneph* appellabatur, Deum censebant. [b] Hunc effingebant forma hominis ex ore ovum, id est, mundum (ut interpretabantur ipsi) emittentis : quò significarent illum esse Deum qui mundum verbo condidisset. Insuper eidem consecrabant ovem , quia veteres lactis potu victitabant : ut [c] pecudis alimentum præbentis symbolo monerent , homines à Deo sustentari & pasci . Quas autem bestias vivas consecrabant Ægyptii , tanquam animatas Deorum effigies : earum etiam [d] formam , ut imagines inanimatas , fabricare solebant. Ægyptii ergo Deum verum expressérunt in forma hominis & quadrupedis.

49 Utrùm in volucris item , reptilísque; seu aquatici, (nam & pisces [e] reptilium nomine comprehendit Scriptura,) seu terrestris : major esse posset ambigendi ratio. Sed [f] in urbe Sai , pro foribus templi Minervæ , hieroglyphicum erat monumentum, in quo spectabantur *infans, senex, accipiter, piscis*, & *hippopotamus*. Quæ signa sic exponunt , tanquam Minerva intuentibus dicat : [1] *O qui nascimini & denascimini, Deus odit impudentiam*. Quippe infante ac sene denotari *ortum & interitum*; accipitre, qui

[a] Plutarch. de Isid. & Osir.

* Idem fortasse, quem Strabo [lib. 17.] *Cnuphin* vocat : præsertim cùm Syene, in qua templũ Cnuphidis, pars Thebaidis fuerit.

[b] Porphyr. apud Euseb. præparat. Evang. lib. 3.

[c] Varr. de re rust. lib. 2. cap. 1. & 11.

[d] Ezek. 8. 10. & 16. 26. Hieron. in Ezek. cap. 16. Strab. lib. 17. Pompon. Mel. lib. 1.

[e] Gen. 1. 20. Lev. 11. 10.

[f] Plutarch. de Isid. & Osir. Cujus locum mutilum in Græca Henrici Stephani editione supplco è Clemente Alexandrino, Strom. lib. 5.

[1] Ὠγινόμενοι καὶ ἀπογινόμενοι, θεὸς μισεῖ ἀναίδειαν.

volatus celeritate præſtat & viſus acie, *Deum*; piſce, quòd in mari (re inviſa Ægyptiis) progignatur, *odium*; atque hippopotamo, quia patrem occidere, matri per vim miſceri fertur, *impudentiam*. Ibi verò accipitrem adhibitum fuiſſe pro veri Dei ſymbolo, quamvis alibi Solem eo adumbrarent, conſentaneum eſt: vel idcirco magis, quòd ovem, Dei veri ſymbolum, coluerint, [a] ſicut Thebaitæ, ita & Saitæ; quorum in urbe monumentum erat. Præterea inter piſces Nili memorantur phagri & mæotæ, [b] quorum alteros incolæ Syenes pro ſacris habebant, alteros Elephantines, ob unam & eandem cauſam: videlicet, quòd utrique creſcentem Nilum præcurrant, & adnatantes, veluti novæ aquæ nuntii, ſpem frugum ([c] quas Ægyptus abſque Nili auctu non ſuppeditat) afferant. Hoc ab illis factum, qui ove conſecrata Deum creatorem ut altorem ſuum venerati ſunt, inſinuat ſacros habitos phagros & mæotas ad eundem Deum, ut frugum largitorem, ſub iſtorum piſcium ſymbolo venerandum. [d] Syene enim & Elephantine partes ſunt Thebaidis. Denique Ægyptii coluerunt aſpidem, tanquam imaginem potentiæ divinæ, quòd aſpis exuens [e] ſenectam, id eſt, veterem pellem, quam ſæpius deponit, ſenectutis expers quodammodo videatur; & moveatur ſine inſtrumentis motus facilè mollitérq;. Verùm [f] Plutarchus, qui hanc cauſam reddit, adſcribit aſtro divinam illam potentiam. Quam cur creaturæ neſcio cui aſſignet, ad non creatori: quid tandem erat cauſæ? præſertim quum adjiciat ipſe crocodilum propterea in honore ab Ægyptiis habitum, quòd mem-

[a] Strab. lib. 17.

[b] Ælian. de animalib. l. 10. c. 19.

[c] Plin. nat. hiſt. l. 5. c. 9. & l. 18. c. 18.

[d] Strab. lib. 17. Plin. nat. hiſt. l. 5. c. 9.

[e] Ariſtot. hiſt. animal. lib. 8. cap. 17. Galen. de theriac. ad Piſon. cap. 9.

[f] De Iſid. & Oſir.

membrana tenui atque pellucida, quæ à fronte descendat, solus ex omnibus in humido degentibus obtectos habeat oculos, ita ut cernat, nec cernatur: *qua in re*, inquit, *principi Deo similis est.*

50 Ceterùm, sive pluribus, sive paucioribus animalium formis repræsentârint verum Deum Ægyptii: quibusdam certè illum repræsentatum esse, idq; Apostolo teste ad Romanos, Romanæ Ecclesiæ fides profitetur. Nam [a] Catechismus Tridentinus, postquam Damasceni & Nicænæ Synodi judicio confirmasset Deum invisibilem incorporeúmq; figura non posse exprimi, è Scriptura aggreditur rem probare his verbis: *Præclarè igitur* [b] *Apostolus eos mutasse Dei incorruptibilis gloriam in similitudinem volucrum, quadrupedum, ac serpentum dixit; hæc enim omnia tanquam Deum venerabantur, quum illi harum rerum imagines ponerent.* ubi Catechismus, aiens Apostolum dixisse eos hoc fecisse, significat *eorum* nomine Gentiles: de quibus paulo antè, fiduciam in imaginibus figendam esse negans, *Veluti olim*, inquit, *fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant.* Quocirca licèt ego non ausim asserere, documentis æquè certis constare Gentiles ac Judæos Jehovam imaginibus aliquibus expressisse: Pontificii tamen fateantur oportet liquêre ex Scriptura, non hominum modò, sed & volucrum, quadrupedum, ac serpentum imagines ab Ethnicis illi positas esse.

[a] In explicat. decalog. præcept. 1.

[b] Rom. 1. 23.

51 Quo se manifestiùs conspiciendam iterum præbet Jesuitica vesania Bellarmini & Valentiani:

qui, quod Pontificius Catechiſmus probat, id in Calvino improbant & abominantur. Immo eouſque etiam inſaniunt, ut calumnioſiſſimè illum inſectentur, quòd, ubi [a] ait *falſos Deos fuiſſe quos ſub ſimulacris coluerunt Ethnici*, ſimulacra ipſa pro Diis ab Ethnicis habita eſſe inficietur. Et verò [b] Bellarminus, ut eſt fingendorum mendaciorum mirus artifex, duo mendacia ex unico hoc Calvini pronuntiato conflat. Nam quia primò dicit, *Ethnicos imagines pro Dijs non reputaſſe*; [c] tum, *Gentiles eas Deos non vocaſſe*; utrumque in eandem prorſus ſententiam, ſicut de Judæis antea oſtendi: Bellarminus geminum ex illius verbis extundit *mendacium*; *unum*, *quòd Gentiles non vocaverint Deos ſua idola*; *alterum*, *quòd ea Deos eſſe non putârint*. Quorum de priore quid attinet multa dicere? præſertim quum ex iis, quæ dicta ſunt, appareat Calvinum ſignificare, Gentiles non vocaſſe ea Deos propriè: & Bellarminus contrà proferat autores, à quibus appellantur Dii metonymicè. Quod enim, poſt inanem mutorum *Poetarum* & *Oratorum* mentionem, è [d] Daniele citat, *Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ligneósq;, & lapideos*: de Chaldæis ſcriptum eſt. Chaldęorum autem celebratiſſimus Deus erat [e] Bel. Qua voce, ſive Solem notârint, qui Judæis Baal nominatus eſt, Phœnicibus Beel, atque (ut [f] Servius tradit) Bel Aſſyriis, [g] in quibus ſunt Chaldæi; ſive totum cœli complexum, [h] Jovem, [i] Belum, dictum à Perſis, & Jovis Beli templo for-

[a] Inſtit. lib. 1. cap. 11. §. 9.

[b] De eccleſ. triumph. lib. 2. cap. 13.

[c] Ibid. §. 10.

[d] Dan. 5. 4.

[e] Eſai. 46. 1. Dan. 4. 8. Pauſan. in Attic. & Arcad.

[f] In Virg. Æneid. lib. 1.

[g] Strab. lib. 16.

[h] Herodotus in Clione. [i] Beroſus Chaldæus, apud Agathiam, hiſt. Iuſtinian. lib. 2.

taſſe

tasse cultum à Chaldæis, [a] qui Persis in hujusmodi rebus erant similes; sive [b] regem Belum, [c] sepultum Babylone, quod [d] Bellarminus magis probaturus videtur: restat Belum [e] aureum, pro imagine Dei à Chaldæis habitum, Deum metonymicè appellatum esse. Ac ceteri Dii eorum fuisse [f] perhibentur Luna, Venus, ignis, venti, aqua, & terra. Quorum simulacra, seu aurea, seu argentea, seu ærea, seu ferrea, seu lignea, seu lapidea, metonymicè item Deos nuncupata esse quis dubitet? nisi qui tam excors sit, ut Chaldæos censeat imaginem Lunæ, ex metallo aut materia factam, putasse Lunam ipsam, non similitudinem Lunæ. Ejusdem est generis quod Bellarminus addit è libro [g] Sapientiæ, *Appellaverunt Deos opera manuum suarum*. Etenim hæc opera erant imagines hominum mortuorum, quos prosequebantur divinis honoribus; sicut idem liber Sapientiæ tradit: videlicet [h] patrem, qui filii citò sublati imaginem fecit, honorasse hominem mortuum ut Deum; & subditos, [i] facta imagine regis, [k] hominem, paulo antè honoratum, duxisse postea numen esse. Simulacra ergo appellaverunt Ethnici Deos metonymicè, tanquam imagines eorum quos pro Diis habebant: non propriè, tanquam ipsa Deos reputarent.

[a] Strab. lib. 16.
[b] Euseb. in chron.
[c] Strab. lib. 16.
[d] De verbo Dei, lib. 1. cap. 13.
[e] Herodot. in Clione.
[f] Herodot. ibid. Strab. lib. 15.
[g] Sap. 13. 10.
[h] Sap. 14. ver. 15.
[i] ver. 17.
[k] ver. 20.

52 Jam ut [l] venenata ista sagitta, in Calvinum emissa, in Bellarminum retorquetur à [m] ferrea quasi columna & æneis muris Jeremiæ: sic altera firmissimis Calvini rationibus in impudens Jesuitæ os reverberatur. Namque [n] Calvinus, contra miserrimum prætextum & effugium Pontificiorum

[l] Psal. 140. 4.
[m] Ier. 1. 18.
[n] Instit. lib. 1. cap. 11. §. 9.

rum negantium imagines pro Diis reputari, utitur his verbis: *Nec ita ſtupidi fuiſſe Ethnici credendi ſunt, ut non intelligerent Deum alium eſſe quàm ligna & lapides. Mutabant enim pro arbitrio ſimulacra, Deos ſemper eoſdem animo retinebant: & multa erant uni Deo ſimulacra, nec pro multitudine complures tamen Deos ſibi fingebant: præterea nova quotidie conſecrabant, nec putabant tamen ſe novos facere Deos. Legantur excuſationes, quas ab idololatris ſui ſeculi fuiſſe prætextas refert* [a] *Auguſtinus: nempe quum arguerentur, reſpondebant vulgares, ſe non viſibile illud colere, ſed numen quod illic inviſibiliter habitabat. Qui verò purgatioris, ut ipſe loquitur, religionis erant, nec ſimulacrum nec dæmonium ſe colere aiebant, ſed per effigiem corpoream intueri eius rei ſignum quam colere deberent.* Ubi quàm nervoſè & ſolidè Calvinus quatuor argumentis errorem Ethnicum Papiſtico ſimilem eſſe doceat, enervatæ & languidæ cavillationes ab acutiſſimo adverſario oppoſitæ declarabunt.

[a] In pſalm. 113. concion. 2.

53 Quippe ad primam illius rationem, qua *Deos ſemper eoſdem animo retinuiſſe, ſimulacra mutaſſe Ethnici* perhibentur, reſpondet Bellarminus, *Ethnicos eadem ſtultitia, qua putabant aliquos Deos poſſe fieri manibus hominum, potuiſſe etiam credere Deos aliquos potuiſſe deſtrui manibus hominum.* Cujus reſponſi vim ut videamus: Calvini rationem, exemplo addito, illuſtremus. [b] Rhodii coluerunt Solem. Ejus [c] antiquiſſimas imagines fecerunt capitis humani radiati forma: [d] recentiorem coloſſum ad hominis totius ſimilitudinem fabricati ſunt. Unde ſiquis ita pro Calvini theſi in hypotheſi diſputet; Rhodii mutabant ſimulacra Solis, Solem ſemper eundem animo retinebant;

[b] Diodor. Sic. lib. 5.
[c] Numiſm. Rhodior. Anton. Auguſt. de medagl. tab. 8. dialog. 2.
[d] Plin. nat. hiſt. l. 34. c. 7.

bant; ſimulacra ergo non putabant Solem: quo pacto enthymematis hujus antecedens reſponſione ſua infringet Bellarminus? Num dicet Rhodios non eundem Solem in animo ſemper habuiſſe: ſed putaſſe veterem Solem à ſe deſtrui,& novum condi potuiſſe, eadem ſtultitia? Atqui apud æquos rerum æſtimatores videtur mihi majus fore periculum, ne Bellarminus potiùs eadem ſtultitia utrumque horum de factis Diis & deſtructis aſſerere judicetur. Profectò ſacroſancta Dei ſapientia Calvini firmamentum comprobat. Nam Dominus Judæis per Jeremiam dicens, [a] *Peragrate regiones Cethim, & videte; & ad Kedar mittite, & animadvertite valde; an mutaverit gens Deos, quamvis illi non ſint Dij:* ſignificat Gentiles non mutaviſſe Deos ſuos. Atqui ſimulacra mutaverunt Gentiles, ut Rhodii, [b] Romani, [c] aliiq; docent. Simulacra igitur Deos non putârunt.

[a] Ier. 2. 10.

[b] Cic. orat. 3. in Catilin.

[c] Plin. nat. hiſt. l. 34. c. 7. & 8. Pauſan. in Attic. Eliac. Phoc. &c. paſſim.

54 Ad ſecundum porrò Calvini argumentum, quo *multa uni Deo fuiſſe ſimulacra, nec pro multitudine complures tamen Deos ab Ethnicis fictos* notat, reſpondet Bellarminus, *Ethnicos habuiſſe alios Deos in cælo, alios in terra: nec putaſſe abſurdum ſi unus Deus cæleſtis, ut Iupiter, vel Apollo, haberet in terra multos collegas minores, id eſt, multa idola eiuſdem nominis.* Atque hîc egregiæ impoſturæ fuco lectorem Ethnicarum rerum imperitum ludificari conatur. Nam habebant quidem [d] Ethnici alios Deos in cœlo, alios in terra; à quo Dii partim dicuntur cœleſtes, partim terreſtres, [e] Varroni & [f] Feſto: ſed terreſtres Deos putabant eſſe animas & ſpiritales naturas intelligentia præditas æquè ac cœleſtes. Etenim [g] Heſiodus affirmat innumerabiles in terra eſſe Deos, aere amictos,

[d] Porphyr. ex orac. Apollin. apud Euſeb. præpar. Evang. lib. 4.

[e] Apud Auguſt. de civ. Dei, l. 7. c. 28.

[f] In vocabulo, Altaria.

[g] In operib. & dieb.

ctos, à Jove conſtitutos hominum cuſtodes, quos [a] Varro ait animas eſſe aereas, & vocari heroas, & Lares, & Genios. Idémq; Varro tradit, [b] animam, quæ motu ac ratione mundum gubernat (ſic [c] definit Deum) in mare permeantem eſſe Deum Neptunum; in terram, Deam Tellurem, & [d] Veſtam, quam eandem facit; etſi nonnullis, [e] Græcum Veſtæ nomen & ignis ſymbolum reputantibus, magis placeat illud, [f] *Nec tu aliud Veſtam, quàm vivam intellige flammam*; ſed in rationali & intelligente anima divinitatem Neptuni, Telluris, & Veſtæ ponit: quorum etiam trium [g] Vitruvius, uſurpatis nominibus Terræ & Maris pro Tellure & Neptuno, tanquam terreſtrium Deorum ſigillatim meminit. Horum autem duo erant ex duodecim ab [h] Ennio celebratis;

Iuno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo:

quos, quia [i] in conſilium à Jove advocari arbitrabantur, nec decerni quædam niſi his conſentientibus, unde [k] Conſentes Dii videntur dicti: propterea collegas Jovis nuncupavit [l] Martianus Capella. Et quanquam hi majores exiſtimati ſint, cum aliis collati; ut [m] Cicero (ad hiſtoriæ fontes ea revocans, quæ Varro ad naturalem theologiam refert) declarat, quando ait, *Ipſi illi maiorum gentium Dij qui habentur, hinc à nobis profecti in cœlum reperientur*: minores nihilominus habebantur Jove, [n] *rerum cui ſumma poteſtas*, ſicut poſt [o] Homerum indicat Virgilius; & [p] Plauti jocus innuit;

Vnus tibi hic dum propitius ſit Iuppiter,
Tu iſtos minutos cave Deos flocci feceris.

Item alios rurſum, cum hiſce comparatos, habebant pro

[a] Apud Aug. de civ. Dei, l. 7. c. 6.
[b] Ibid. cap. 23.
[c] Ibid. lib. 4. cap. 31.
[d] Ibid. lib. 7. cap. 24.
[e] Cic. de nat. Deor. lib. 2. & de legib. lib. 2.
[f] Ovid. Faſtor. lib. 6.
[g] De architect. lib. 4. c. 8.
[h] Apud Apuleium, lib. de Deo Socratis.
[i] Senec. natur. quæſt. lib. 2. cap. 41.
[k] Varr. de reruſt. l. 1. c. 1. Auguſt. de civ. Dei, l. 4. c. 23.
[l] De nuptiis Philolog. li. 1.
[m] Tuſc. quæſt. lib. 1.
[n] Æneid. li. 10.
[o] Iliad. lib. 1.
[p] In Caſina.

pro minoribus, teſte [a] Ovidio; qui Jovem introducit Superis dicentem:

Sunt mihi Semidei, ſunt ruſtica numina Fauni,
Sunt Nymphæ, Satyriq́, & monticolæ Silvani:
Quos quoniam cæli nondum dignamur honore,
Quas dedimus, certè terras habitare ſinamus.

[a] Metamorph. lib. 1.

Bellarminus verò, quod Ethnici de diverſis Diis propriè dictis ſentiebant, hoc ad ſimulacra unius, Deos metonymicè appellata, tranſfert: negans illos putaſſe abſurdum ſi Jupiter, Deus cœleſtis, haberet in terra multos collegas minores, id eſt, multa idola ejuſdem nominis. Quàm, non dico verè, ſed vel probabiliter: in ſimili Papiſtarum exemplo videamus. [b] Romanus Epiſcopus Epiſcopos alios olim habuit pro collegis: uti & ab [c] illis *collega, coepiſcopus, frater*, vocabatur. Quæ loquendi ratio, Cypriano frequens, Pontificiis adeò periculoſa viſa eſt, ut in [d] Romana Cypriani editione hanc [e] antidotum adhibendam duxerint: *pro varietate temporum varietatem legum & conſuetudinum oriri, ut, quod aliquando ſervatum fuerit, ſi alio tempore ſervaretur, non rectè fieret: idq́ in Pontifice Romano accidiſſe, poſteaquam Principes, Chriſtiani effecti, cum velut Chriſti ſui redemtoris & Domini Vicarium honorificis titulis, largitionibus opum, & oſculis pedum venerati ſunt.* Veruntamen hodie quoque, licèt Papam titulo *Sanctiſſimi Domini Noſtri* à cunctis Epiſcopis honorari velint: Epiſcopos agnoſcunt collegas eſſe Papæ minores, minimóſve; tanquam ad ejuſdem muneris ſocietatem pro ſuo modulo vocatos. Hoc [f] Remundus Rufus & [g] Pamelius probant. Sed num probaturus eſſet vel Pamelius, vel ullus Papiſtarum, ſi de ſimula-

[b] Cornelius, apud Cyprian. ep. 46. & 48. edit. Pam.

[c] Cyprian. epiſt. 4. 52. &c. paſſim. Synod. African. epiſt. 54. apud Cyprian.

[d] Apud Paulum Manut. anno Dom. 1563.

[e] Annotat. inſcript. *Quædam à catholico lectore in B. Cypriano conſideranda.* in epiſt. 1. pag. 1. ver. 12.

[f] In Molin. pro Pont. Max. §. 17.

[g] Annot. in Cyprian. epiſt. 4.

ſimulacris Papæ loquentes, quæ in novis Bibliis circumferuntur, diceremus ipſos arbitrari Papam, qui unus eſt Romæ, habere in provinciis multos collegas minores, id eſt, multa idola ejuſdem nominis? Aut, ut ad Bellarminum propiùs accedamus, [a] Ribera Jeſuita, declarans, etſi *Baal* unus certúſq; ſit Deus, tamen à Prophetis memorari [b] *Baalim*, hoc eſt, Baales, numero multitudinis, quòd idem Baal varia variis in templis habuerit ſimulacra, quorum unumquodque vocabatur Baal; exempli gratia, Baal Peor, ſeu *Beel-phegor* (ut vetus interpres legit) & *Beel-zebub*: *ſi-cut*, inquit, *apud Chriſtianos (ſi modò in vanis licet exemplis uti religioſis) beatiſſima Virgo nunc Lauretana invocatur, nunc à Monteſerato; nunc ab Amnelupi, aut à Rupe Gallica cognomen accipit*. Cautè quidem ille præmunitione illa, *ſi modò licet*, parentheſi incluſa ſeipſum ſepiens & obvallans, ne horribilis blaſphemiæ damnetur cum [c] Eraſmo, quòd beatam Virginem, ut in [1] Italia colitur, [2] idolo Moabitarum comparet; [3] idolo autem Accaronis Philiſtæorúmq;, ut in [4] Hiſpania: ſed obiter oſtendens Papiſtas, etſi multa Marię faciãt ſimulacra, quę Marias, ut Baalim, appellare poſſis, Mariam tamen unam colere. Quòd ſi Pontificii cum Ribera ſentiant, ſe non inſtituere multiplicare Marias, utcunq; multas faciant Mariæ imagines; nec eam hęc idola, ſed Sãctos, pro collegis minoribus habere: diſſipata igitur Bellarminianæ impoſturę nebula, clariſſimum rationis Calvini lumen emicat. Nã & omnium eorum, qui nomine *duodecim Deorũ* celebrabãtur, imagines habebant Ethnici [d] Romę, [e] Athenis, ac Megaris, unà poſitas: & [f] ſingulorum ibi alibíq; paſſim, in plurimis, tũm publicis locis, tũm privatis.

Atqui

[a] Comment. in Hoſ. propher. cap. 2. §. 66.
[b] Iud. 2. 11. 1. Sam. 7. 3. Hoſ. 2. 13. & 11. 2.
[c] Suprà, lib. 1. cap. 2. §. 5.
[1] *Maria Lauretana.*
[2] *Baal Peor.* Num. 25. 3.
[3] *Beel-zebub.* 2 Reg. 1. 2.
[4] *Maria à Monte Serrato, Maria à Rupe Gallica.* Nam hi duo famoſi *peregrinationum* in Hiſpania loci ſunt. Marin. Sic. de reb. Hiſpaniæ lib. 5.
[d] Varr. de re ruſt. l. 1. c. 1.
[e] Pauſan. Att.
[f] Cic. in Verr. lib. 4 Plin. nat. hiſt. lib. 34. c. 7. & 8 Pauſan. & c. hiſt. ubique.

Atqui Deos ſibi complures non fingebant pro imaginum multitudine. Alioqui plus duodecies duodecim fuiſſent, quos duodecim tantùm vocabant & cenſebant. Ethnici ergo imagines Deos non putabant.

55 Ad tertium argumentum, quo *nova ſimulacra quotidie conſecraſſe, nec putaſſe tamen ſe novos facere Deos* obſervantur *Ethnici*, reſpondet Bellarminus, *falſum eſſe non putaſſe Gentiles ſe novos facere Deos, ſaltem terreſtres.* O deſperatam cauſam: quæ tam inverecundis & ſplendidis mendaciis ad ſe tuendam eget.

[a] Socratem Athenienſes rei capitalis damnatum morte affecerunt, quòd novos Deos introducere accuſaretur. [b] Iidem nova Minervæ & aliorum ſimulacra fieri curaverunt. Et putârunt ſeſe novos facere Deos, qui Socratem ob id ipſum impietatis damnârunt? [c] Romæ, antequã Iſin & Serapin veteribus Diis annumeraſſent, eorum fana, privatim à quibuſdam exſtructa, Senatus diruenda cenſuit. [d] Quæ quum nemo opificum attingere auderet, Æmilius Paulus Cõſul poſita prętexta ſecurim arripuit, templíq; foribus inflixit. [e] Idem Senatus conſecravit nova ſimulacra Jovis: ac [f] Æmilius Paulus Minervæ ſignum unum; [g] alterum autem, ejuſdem Minervæ, Cicero dedicavit. Et putavit ſeſe novos facere Deos Senatus, Æmilius, immo & Cicero: qui [h] legibus ſuis vetuit, nequis haberet Deos novos? Ergo Romani, [i] coloſſum Soli dedicantes, [k] cujus numen item, ut Rhodii, coluerunt, ſe quoq; novum Solem facere putârunt: ſaltem, ex Bellarmini diſtinctione, terreſtrem. Quin etiam adoleſcentes, quum in [l] Plinio legunt, *Rhodi nunquam tanta nubila obduci ut non aliqua hora Sol cernatur*: ex Bellarmino, opinor, utiliter obſervabunt, hoc intelligen-

[a] Plat. in apologia Socrat.
[b] Plin. nat. hiſt. l. 36. c. 5. Pauſan. Atticis.
[c] Dio. hiſt. Rom. lib. 40.
[d] Valer. Max. lib. 1. cap. 3.
[e] Cic. in Verr. lib. 4. & in Catil. orat. 3.
[f] Plin. nat. hiſt. l. 34. c. 8.
[g] Plutarch. in vita Cic.
[h] Cic. de legib. lib. 2.
[i] Plini. nat. hiſt. l. 34. c. 7.
[k] Varr. de re ruſt. l. 1. c. 1. Aug. de civ. Dei, l. 7. c. 2.
[l] Natur. hiſt. l. 2. c. 62.

telligendum eſſe de cœleſti Sole, non terreſtri. Verùm locupletiſſimi multiplicis variæq; Ethnicorum ſententiæ teſtes, [a] Varro & [b] Cicero, qui utroſque Deos, cœleſtes, & terreſtres à Deorum ſignis & ſimulacris diſtinguunt, oſtendunt Ethnicos alio animo fuiſſe quàm ut novos Deos ſe putarent facere, quum novas, ſive terreſtrium Deorum, ſive cœleſtium, imagines conſecrarent. Atque hunc in modum tertiam rationem Calvini jugulat Bellarminus.

[a] Apud Aug. de civ. Dei, lib. 7. cap. 5. & 17.
[b] De legib. lib. 2. In Verr. lib. 4.

56 Quartam verò & ultimam à *S. Auguſtini* teſtimonio ductam (ut excellunt Papiſtæ quum * ad Patres ventum eſt) tractat omnium optimè. Nam eam, & [c] inprimis proponendo mutilat; & [d] hîc ſilentio tranſit inter reſpondendum; & ſtatim, aliud agens, longè copioſiùs ac pleniùs confirmat. *Nam in ſimulacris*, inquit, *& idolis plurimi Gentiles colebant pro Diis homines mortuos; ut probant* [e] *Lactantius*, [f] *Auguſtinus*, [g] *Cyprianus*, [h] *Euſebius*, *&* [i] *Tertullianus: alii non homines mortuos ſed dæmones; ut patet ex* [k] *Hermete*, [l] *Cypriano*, [m] *Auguſtino*, [n] *Origene*, [o] *Euſebio*, [p] *Lactantio*, [q] *Sulpicio*, *&* [r] *Scriptura: alii nec homines mortuos, nec dæmones in idolis colere ſe dicebant, ſed partes mundi; nam in idolo Apollinis colebant Solem, in idolo Neptuni mare, in idolo Iovis ætherem, &c. ut referunt* [s] *Euſebius, &* [t] *Auguſtinus: alij denique nec ipſas corporeas mundi partes, ſed animas earum partium, id eſt, Solis, Lunæ, Terræ, &c.*

* *Ad Patres ſi quando licebit accedere, confectum eſt prælium.* Campian. rat. 5. Poſſevin. biblioth. ſelect. lib. 7. cap. 21.
[c] De eccleſ. triumph. lib. 2. cap. 11.
[d] Ibid. c. 13.
[e] Lib. 1. cap. 14. & 15.
[f] De civ. Dei, l. 8. c. 26. & l. 18. c. 5.
[g] Initio libri de idolorum vanit.
[h] Præparat. Evang. l. 2. c. 7.
[i] Apologet. c. 11.
[k] Apud Aug. l. 8. de civ. Dei, c. 23.
[l] Initio libri de idolor. vanit.
[m] De civ. Dei, l. 8. cap. 24. & contr. Fauſt. lib. 22. cap. 17.
[n] Lib. 6. contra Celſum, paulò ante medium.
[o] Lib. 4. præpar. cap. 6.
[p] Lib. 2. cap. 16.
[q] In vita B. Martini.
[r] Deut. 32. & Pſalm. 95. & 1. Cor. 10.
[s] Lib. 3. præpar. cap. 2.
[t] In pſalm. 113. & civit. Dei lib. 4. cap. 10. lib. 7. cap. 5. & ſequentibus.

ut

ut [a] *Euſebius item &* [b] *Auguſtinus referunt.* Hi autem univerſi declarant ſe intellexiſſe Deum alium eſſe, quàm ligna & lapides: quod Calvini pronuntiatum eſt. Calvinus igitur, approbante tanta nube teſtium, & Bellarmino ipſo, veriſſimè affirmat, Gentiles ſimulacra pro Diis non reputaſſe.

[a] Lib. 8. cap. 3. præparat.
[b] Loco citato.

57 At enim Bellarminus etiam *Scripturæ*, ac variorum *Patrum*, *Horatij* quoque, & *Hermetis*, teſtimonio probat, *multos Ethnicorum credidiſſe, ipſa idola eſſe Deos*: & inde ſic concludit; *Vide igitur, Lector, an non mentiatur Calvinus, quum negat Ethnicos habuiſſe idola pro Diis*. Concludit. Et, quod plus eſt, præmittit *quatuor cauſas, quibus movebantur Ethnici ad credendum idola eſſe Deos*: quò doceat non fuiſſe hanc tantam ſtupiditatem, quantam Calvinus, dicens, *Nec ita ſtupidi fuiſſe Ethnici credendi ſunt*, videri vult. Verùm tam perſpicuè aut falſis, aut ad falſum concludendum adhibitis & detortis agit, ut mihi multo juſtiùs liceat concludere: Vide igitur, Lector, an non mentiatur Bellarminus, quum ait Ethnicos habuiſſe idola pro Diis. Cauſarum enim, quibus Ethnicos impulſos ſomniat ad credendum idola eſſe Deos, *prima* eſt, *quia id eis dicebatur à Pontificibus ſuis: ſecunda, quia videbant totum ferè mundum id credere.* Hæc autem ambo falſa ſunt. Nam quis id dicebat Pontifex? ubi? quando? aut cujas erat mundus, qui ferè totus id credebat? Quæ, tametſi verbo inficiari ſatis ſit, quum ille, cui [c] incumbit probatio, verbo ſolùm aſſerat: refello ex *duodecim Diis*, qui vocabantur, ab [d] Ennio Latinè, ab [e] Apollonii Scholiaſte Græcè, recenſitis. Etenim quum eos duodecim tantùm

[c] L. 2. D. de probationib.
[d] Apud Apuleium, lib. de Deo Socratis.
[e] In Apollon. Argonaut. lib. 2.

esse crediderint gentes [a] Romanorum, [b] Etruscorum, [c] Macedonum, [d] Athenienſium, [e] Arcadum, [f] aliorum Græcorum, [g] Ægyptiorum item, & [h] quorundam in Asia; idq; monumentis publicis imaginum, altarium, & templorum sic notitiæ vulgi proditum habuerint, ut [i] Comici poetæ rem in fæce Theſei ac Romuli notiſſimam fuiſſe indicârint: ſequitur nec Pontifices populo dixiſſe, nec totum ferè orbem terrarum credidiſſe, ſimulacra eorum, quæ innumera erant, ſed ipſos ſimulacris repræſentatos, Deos eſſe. Aut, ſi totus ferè mundus Bellarmini non comprehenditur populis quos commemoravi: unica Diana nodum expediet. Quippe quam pro Dea tûm omnes illi habuerint; eſt enim ex duodecim; & quod [k] Juvenalis de Ægyptiis cecinit, *Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam*, convincitur falſi ab [l] hiſtoricis: tûm alii præterea tam multi, ut [m] Demetrius, *Dianam Epheſiam à* [n] *tota Aſia & orbe terrarum coli*, propemodum abſque hyperbole dixerit. Solius autem Epheſiæ Dianæ imagines plurimas exſtitiſſe declarant partim [p] fana complura ei exſtructa, partim [q] numiſmata inſculptam eam habentia: nequid de [r] Epheſiis *artificibus* dicam, *argentea Dianæ templa facientibus*, id eſt, ſimulacra templi Dianæ. Quorum, ad numiſmatis formam (ut probabile eſt) effictorum, vel altera pars inſculptam habebat Dianam; qualia pervetuſta duo vidit [s] Beza: vel eadem pars, quæ templum, Dianam in

[a] Varr. de re ruſt. l. 1. c. 1.
[b] Senec. nat. quæſt. l. 2. c. 41.
[c] Diodor. Sic. lib. 16.
[d] Pauſan. Att.
[e] Idem in Arcad.
[f] Apollon. Argonaut. lib. 2.
[g] Herodot. in Euterpe.
[h] Strab. lib. 13.
[i] Ariſtophanes, Equitibus: & Plautus, Epidico.
[k] Satyr. 15.
[l] Herodot. Euterpe. Stephan. de urbibus: verbo, Δίβασος.
[m] Act. 19. 27.
[n] Plin. nat. hiſt. l. 16. c. 40. & l. 36. c. 14.
[o] Vlpian. lib. Regular. tit. Qui hered. inſtit. poſſ.
[p] Strab. lib. 3. & 4. & 14.
[q] Auguſti Cæſaris apud Goltzium, in numiſm. Aug. cap. 29. num. 29. 31. 32. 33. Aurelii Veri, apud Sambucum, in nummis veterib. & Antonini Pii, apud Adolphum Occonem, in numiſm. Imperatorum Roman. *Dianæ polymammæ*, quam vocat: anno Vrbis cond. 913.
[r] Act. 19. 24.
[s] Annotat. maiorib. in act. Apoſt. cap. 19.

tem-

templo exprimebat; quales [a] nummi quidam, Romani Imperatoris caput in adversa parte habentes, cusi sunt. At verò [b] Dianam unam & eandem cum aliis nationibus, nempe Apollinis sororem, colebant Ephesii; ac locum apud se ostendebant, in quo nata esset: sicut [c] Lauretani ostendunt cubiculum, ubi nata & educata sit Beata Virgo; quam unam & eandem cum aliis Papistis colunt. Non ergo simulacra Dianæ Deos esse, vel à Pontificibus suis audiebant, vel totum ferè mundum credere videbant Ethnici: sed Deam esse ipsam, & dicebant Pontifices, & plerisque gentibus persuasum vulgò erat.

[a] Goltz. in Aug. numism. cap. 29. num. 31. Sambuc. in numm. vet.

[b] Tacit. annal. lib. 3.

[c] Leand. Albert. descript. Ital. in Piceno.

58 Porrò quod deinceps subjungit Bellarminus, aut simile est superiorum: aut siquid habet veri, non tamen efficit quod instituit. Nam *tertiam causam* facit, *quia idola interdum loquebantur, & futura prædicebant; seu potiùs loqui videbantur: sed populus credebat ea verè loqui, quum revera Diabolus in ipsis loqueretur*. Et hoc quemadmodum probat? *Patet*, inquit, *ex capite* 21. *Ezekielis, & cap.* 10. *Zachariæ, & ex lib.* 1. *cap. ult. Valerii Maximi*. Atqui [d] Ezekiel, narrans quemadmodum *rex Babyloniæ per divinationem quæsierit utrùm Ierosolymam an Rabbam priùs oppugnaret*, duntaxat ait *eum consuluisse idola*: ex quo loquuta esse, vel ipsa, vel in ipsis dæmonia, nequaquam patet. Nam [e] Crœsus consuluit Delphicum Apollinem: nec Apollo edidit oraculum per os idoli, sed per vatem Pythiam. [f] Mardonius consuluit Trophonium & Amphiaraum: è quibus [g] hic respondit ei per somnium, ut

[d] Ezek. 21. ver. 26. Hebr. ver. 21. vulg. edit. Lat.

[e] Herodot. in Clione.

[f] Idem in Vrania.

[g] Plutarch. de defect. orac.

[a] aliis conſuevit; [b] ille, per aliquid conſpectum auditúmve in antro, ſi reſpondit. [c] Alexander Magnus conſuluit Jovem Hammonem: & Hammonis ſtatua multis ceremoniis honorata eſt, certi oraculi impetrandi gratia; ſed oraculum tamen accepit Alexander per virum vatem, non per ſtatuam. [d] Caligula conſuluit Fortunam Antiatem, ſive Fortunas, (nam colebatur ſub [e] duarum ſororum effigie, ut bona & mala notaretur:) [f] quarum ſimulacra promovebantur ad reſponſa danda. Quid? & dabant ea per vocem ex alterutro ſimulacro emiſſam? minimè gentium: ſed per ſortes. Nec fortunatior erat Fortuna Prænestina, quam conſuluit [g] Domitianus: etſi [h] Prænestinarum ſororum [i] celebre oraculum [k] nobiliores ſortes Antiatinis habebat. Ac [l] Plutarchus veterem Gentilium Romanorum Pontificum narrationem, de ſimulacro Fortunæ muliebris loquuto, perſtringit tanquam falſam abſurdámq; admodum. Quod quis tam curioſum oraculorum omnium exploratorem facturum fuiſſe arbitretur, ſi fatidicam ullam vaticinámve ſtatuam loqui ſolitam comperiſſet? Ne [m] Euſebius quidem aut [n] Theodoretus, qui dæmones oraculorum autores exſtitiſſe [o] Plutarchi & [p] Porphyrii confeſſione probant, commemorant eorum quenquam ex ſimulacro, veluti ex vate [q] ſpiritum Pythonis habente, loquutum eſſe. Theodoretus verò, diſputationem ſuam concludens verbis Prophetæ, [r] *Simulacra Gentium os habent, & non loquuntur*, contrarium potiùs innuit, hoc nunquam accidiſſe. Quare, ſive idola regi Babyloniæ per [s] aſtrologiam reſponderint, familiari Chaldæis divinatione; ſive per haruſpicinam, ut [t] exta quoque inſpexit, [u] per quæ putabant

[a] Pauſan. in Atticis.
[b] Idem in Bœoticis.
[c] Diodor. Sic. lib. 17. part. 1. Q. Curt. lib. 4.
[d] Sueton. Calig. cap. 57.
[e] Numiſmat. Auguſt. cap. 17. num. 11. apud Goltziũ.
[f] Macrob. Saturn. l. 1. c. 23.
[g] Sueton. Domitian. ca. 15.
[h] Stat. ſilvar. lib. 1. in Tiburtino Manlii.
[i] Strab. lib. 5.
[k] Cic. de divinat. lib. 2.
[l] In vita Marcii Coriolan.
[m] Præparat. Evang. lib. 4. & 5.
[n] Græcar. affect. curat. ſerm. 10.
[o] De oraculor. defect.
[p] De philoſophia ex orac.
[q] Act. 16. 16.
[r] Pſal. 115. 4.
[s] Eſai. 47. 13.
[t] Ezek. 21. 26.
[u] Xenoph. de Cyri min. expedit. lib. 6. Cic. de divinat. lib. 1.

tabant Ethnici consilium sibi à Diis dari; sive per hydromantiam, aut necromantiam, quarum [a] utraque Persis, [b] hæc Chaldæis item in usu fuisse fertur; sive per quamcunque vanitatem [c] magorum, quibus abundabat: profectò Ezekielis verba, de rege idola consulente, neutiquam demonstrant vocem ex idolis ipsis editam esse. Nisi fortè Bellarminus, quoniam Scriptura testatur [d] *Achimelecum*, [e] *Davidem*, & [f] *Saulem consuluisse Iehovam*, contendet Deum illis per vocem è cœlo emissam loqui consuevisse. Quod Scriptura tantum abest ut insinuet, ut perspicuè doceat Deum aliis modis respondere solitum, quum de Saule ait: [g] *Sed non respondebat ei Iehova; nec per somnia, nec per Vrim, nec per Prophetas.*

59 Vnde apparet etiam quàm inanis argumenti specie Bellarminus asserat idem patêre ex capite decimo [h] Zachariæ: ubi scriptum est; [i] *Idola locuuta sunt vanitatem*. Namque si Deus ea [i] *loqui* dicitur, quæ vel per somnia, vel per Vrim, vel per Prophetas significat; etsi nulla ipsius vox, qualis [k] Mosi, aut [l] populo Judæorum olim, audiatur: quid impedit quin idola dicantur id loquuta, quod tùm effigie sua, tùm idololatrarum consilio & ore suaserint; licèt ipsa [m] muta sint? Quemadmodum [n] *doctrinas damoniorum* vocat Paulus, quas hæretici tradunt; quia, qui falsa docet, is à [o] mendaci spiritu agitur, [p] ministrátq; Satanæ: ac Ethnici Apollinem, Fortunam, ceteros Deos, aiunt [q] *respondere*, [r] *dicere*, [s] *prædicere*, quæ per vates, sortes, & alias rationes ab ipsis significantur. Certè Zachariæ contextum ita

[a] Strab. lib. 16. Varr. apud August. de civ. Dei, l. 7. c. 35.
[b] Theodoret. Græcar. affect. curat. serm. 10.
[c] Dan. 2. 2.
[d] 1. Sam. 22. 10.
[e] 1. Sam. 23. 2.
[f] 1. Sam. 28. 6.
[g] Ibidem.
[h] Zac. 10. 2.
[i] Heb. ⟨⟩ eadem voce, quæ habetur 1. Sam. 15. 23. & Ezek. 21. 26. Vt eodem sensu Hieronymus in Samuele *idololatriam*, in Ezekiele *idola*, hîc autem *simulacra* reddit.
[i] Num. 12. 6. 1. Sam. 23. 11. & 30. 8. Heb. 1. 1.
[k] Num. 7. 89.
[l] Deut. 4. 12.
[m] 1. Cor. 12. 2.
[n] 1. Tim. 4. 1.
[o] 1. Reg. 22. 22.
[p] 2. Cor. 11. 15.
[q] Thucyd. l. 1. Plin. nat. hist. l. 36. c. 4.
[r] Homer. Odyss. lib. 8. Xenoph. de dict. & fact. Socr. lib. 4. [s] Dio, hist. Rom. lib. 59.

explicant Hebræorum quoque interpretum eruditiſſimi : ſatis alioqui ad arripienda talia commenta, quale Jeſuiticum iſtud eſt, propenſi. Chaldæus enim paraphraſtes idola dictos ſtatuit [1] cultores imaginum : [a] David Kimhi, pſeudoprophetas, ac poſſeſſores idolorum. [b] Aben autem Ezra, obſervans eſſe qui dixerint aſtrologos poſſe facere effigiem quæ loquatur, & ad id probandum adhibuerint hunc locum, *Idola loquuta ſunt vanitatem*, addit, non eum eſſe loci ſenſum : [c] quippe de hominibus ſeductoribus exponendum. Ne Salomo quidem Jarhi ſecus. Ac Septuaginta interpretes, his omnibus, ut tempore, ſic autoritate & fide ſuperiores, quum alibi Hebræam dictionem תרפים, aut [d] immutatam retinuiſſent, aut voce rem notante reddidiſſent [e] *idola*, [f] *ſculptilia*, ſeu [g] quid ſimile; hoc unico in loco, tanquam ad perſonas tranſferendo, vertunt, [2] *Qui eloquebantur, loquuti ſunt moleſtias* : quo docent ſe putaſſe verba Zachariæ, non propriè de idolis, ſed de idolorum cultoribus figuratè intelligenda eſſe ; de toto grege diaboli, divinatoribus, aſtrologis, & ſomniorum conjectoribus, ut [h] Theodoretus ; hæreticiſve, ut Remigius eorum ſenſum aperit.

60 Quanquam ego operam minimè fortaſſe neceſſariam ſumo, qui obſcuriorem interpretum lucernam in tanta Prophetici contextus luce accendo. *Petite*, inquit, *à Iehova pluviam tempore ſerotinæ, Iehova efficiente nimbos : & pluviam imbriferam eſt editurus eis, cuique herbam in agro ſuo. Nam idola loquuta ſunt vanitatem, & divini viderunt falſum, & ſomnia vana loquuti ſunt, vanitate conſolati*

[1] Chald. פרוקי צלמניא
[a] In Zac. ca.10.
[b] In Gen. cap. 31.verſ.19.
[c] Idem in Zac. cap.10.
[d] Iud.17.5. 1.Sam.15.23. 2.Reg.23.24.
[e] Gen.31.19.
[f] Ezek.21.26.
[g] 1.Sam.19.13. Hoſ.3.4.
[2] Gr. οἱ ἀποφθεγξόμενοι.
[h] In hunc locum.cap.10. Zachariæ.

ſolati ſunt: idcirco profecti ſunt, velut grex; [1] *afflicti ſunt, quia nullus erat paſtor.* Quibus in ſententiis Zacharias hortans Judæos, ex præſenti occaſione pluviæ ſerotinæ, qua egebant, ad opem veri Dei, Jehovæ, implorandam; qui ſolus pluviam, herbam, & quæcunque opus ſunt, tùm poteſt dare, tùm dat petentibus; hortationem ſuam exacuit gemino argumento: uno, quòd idola falſò promiſerint ſe cultoribus ſuis pluviam datura; & pſeudoprophetæ idem falſò aſtruxerint; prout Judæi experti didicerunt: altero, quòd ipſi propterea ſint [a] profecti, diſſipati, abducti, quia doctoribus illis auſcultârunt, tanquam [b] grex ovium paſtore deſtitutus. Jam idola tales falſas ſpes fovebant, non ſermone ſuo, ſed ſpecie duntaxat, opificúmq; & cultorum ſuorum inſtituto ac dogmate; ſicut ſcriptum eſt: [c] *Quid profuerit ſculptile, quòd ſculpſerit illud formator illius; fuſile, & doctor falſi; quòd confidat formator figmenti ſui ipſi, faciendo idola muta?* Etenim quum *falſum doceri* ab idolis affirmat Spiritus ſanctus, & tamen ea *muta* nuncupat, utrumque pariter firmat: ſcilicet, nec loquuta eſſe idola, & falſæ ſpei fovendæ inſtrumenta fuiſſe ex errore hominum qui ipſis confiderent. Nam Ethnici videntes pluviam è [d] cœlo, [e] æthere, [f] aere ad ſe demitti, ipſum habuerunt pro Deo pluviæ largitore: & quidam Jovis nomen ei tribuentes, [g] *Aſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Iovem*; alii [h] vim ejus putantes eſſe penes Jovem, hominem mortuum; aut [i] Solem, dominum cœli; aut [k] complures Deos; ſed quæcunque numina rei præficerent, eorum [l] ſimulacris fingendis & colendis plerique

[1] Ita Septuaginta & alii interpretantur Hebraicã vocem נענו. Cuius aliam ſignificationem, & punctis, quibus legitur, accommodatiorem reſpiciunt qui reddunt, *teſtificati ſunt*: ſed in ſumma rei & argumenti conſentiunt.

[a] Ier. 15. 2.

[b] Ezek. 34. 8.

[c] Habac. 2. 18.

[d] Plutarch. de placit. philoſophor. l. 1. c. 6.

[e] Virg. georg. lib. 2.

[f] Varr. lib. 4. de ling. Lat. ex Ennio.

[g] Ennius, apud Cic. de nat. Deor. lib. 2.

[h] Diodor. Sic. lib. 5.

[i] Sanchoniath. apud Euſeb. præpar. Evang. lib. 1.

[k] Xenoph. in œconomic. Varr. de re ruſt. l. 1. c. 1.

[l] Maxim. Tyr. ſerm. 38.

plerique se conciliaturos favorem & opem somniabant. Unde Jeremias, ut erroris fontem retegit, dicendo; [a] *An sunt inter vanitates gentium qui pluviam edant? & an cœli dant imbres? nonne tu is es Iehova Deus noster?* ita, quia [b] Jovis pluvii effigies, [c] Solisq;, & similium, adjuncto Gentilitio cultu & doctrina, erant quasi mutæ magistræ cum illius erroris, tum aliorum; Jeremias [d] *lignum eruditionem vanitatum* nominat. Judæi verò [e] Ethnicos utrinque imitati, neque [f] cœlo tantùm, Soli, Lunæ, toti cœlorum exercitui acceptum referentes proventum terræ quo vivebant; sed etiam colentes ea [g] simulacris, ligno, & lapide: confirmabantur in errore suo à [h] falsis prophetis, & divinis, dicentibus cuncta prospera & pacata fore, nec eventuram famem. In quo se delusos viderunt & senserunt, quando ipsorum idololatriam castigavit Dominus [i] deficiente pluvia, & imbribus cohibitis: sicut per Hoseam Prophetam prædixerat, [k] se orbaturum eos frumento, musto, & ceteris, quæ [l] idolis suis accepta referebant; atque [m] populo demum suo monstraturum, non cœlos esse qui terram faciant feracem, sed Deum qui exaudiat cœlos. Itaque Zacharias, Judæos excitans ad petendam pluviam à Jehova, quoniam idola loquuta sunt vanitatem, & divini viderunt falsum, & somnia vana loquuti sunt, vanitate consolati sunt, significat speciem idolorum, & doctrinam hominum, jactantium prophetica visa somniáq;, sed falsa divinantium, Judæos miserè seduxisse: non idola ipsa, quæ tunc etiam muta sunt quum falsum docent, Bellarminiano more loquuta esse.

[a] Ier. 14. 22.

[b] Pausan. in Bœot. Antonini columna, Romæ.

[c] Macrob. Saturn. l. 1. c. 23.

[d] Ier. 10. 8.

[e] Esai. 2. 6.

[f] Ier. 7. 18. & 8. 2. & 44. 17.

[g] Ier. 2. ver. 23. & 27.

[h] Ier. 14. ver. 13. & 14.

[i] Ier. 2. 40. & 14. 4.

[k] Hos. 2. ver. 9.

[l] ver. 5.

[m] ver. 21.

61 Valerius autem Maximus, tertius Jesuitæ hac

hac in re teſtis, exempla duo [a] recitat loquentium idolorum. *Captis*, inquit, *à Furio Camillo Veiis, milites iuſſu Imperatoris ſimulacrum Iunonis Monetæ, quod ibi præcipua religione cultum erat, in Vrbem tralaturi ſede ſua movere conabantur. Quorum ab uno per iocum interrogata Dea, an Romam migrare vellet, velle ſe reſpondit. Fortunæ etiam muliebris ſimulacrum, eo tempore cum æde ſua conſecratum, quo Coriolanum ab excidio Vrbis maternæ preces repulerunt, non ſemel, ſed bis loquutum conſtitit: priùs his verbis, Ritè me matronæ vidiſtis; * deinde, Ritè dicaſtis.* Ceterùm Valerius, pro certo tradens alterum horum exemplorum, addita voce, *conſtitit*; alterum non item; videtur illud de Junonis Monetæ ſimulacro putaſſe minùs certum. Atque [b] Titus Livius, hiſtoricus gravior & antiquior, ait, *quum quidam militum, Víſne Romam ire Iuno? dixiſſet; conclamaſſe ceteros, Deam annuiſſe: inde fabulæ adiectum eſſe, vocem quoque dicentis, velle, auditam.* Cujus teſtimonium tanto locupletius digniúſq; fide hîc videri debet, quanto magis credula ſuperſtitione [c] referre ſolet in prodigiis *boves loquutos*: idq; aſſeveranter interdum, [d] *Satis conſtabat bovem loquutum*; & quidem plura verba loquutum eſſe bovem, quàm Juno Moneta fertur, videlicet, [e] *Roma cave tibi*. Nec enim veriſimile eſt enim, qui hæc narrat veluti ſatis certa aut valde probabilia, exploſurum fuiſſe narrationem illam de Monetæ ſimulacro dicente ſolùm, *Volo*, tanquam fabuloſam, ſi ab ullo veterum hiſtoricorum traditam pro re verè geſta, aut à priſcis ſaltem Romanis creditam comperiſſet.

[a] Lib.1.ca.ult.

[*] Vt in Sambuci codice ſcriptum obſervat approbatq; Lipſius.

[b] Lib. 5.

[c] Lib.3.24. 28. & 43.

[d] Lib.27. & 41.

[e] Lib.35.

62 Quæ ratio fidem minuit alterius quoque exempli de ſimulacro Fortunæ muliebris loquuto: licèt id ſilentio tantùm tranſeat [a] Livius; non *fabulam*, ut [b] Plutarchus, appellet, aut confutet. Nam [c] Livius, reprehendens homines ſui temporis, qui neque nuntient admodum prodigia ulla in publicum, neque in annales referant; *Mihi*, inquit, *vetuſtas res ſcribenti, neſcio quo pacto antiquus fit animus: & quædam religio tenet, quæ illi prudentiſsimi viri publicè ſuſcipienda cenſuerint, ea pro dignis habere quæ in meos annales referam*. Magno argumento veteres Romanos prodigioſæ ei narrationi haud credidiſſe, quam Livius in annales ſuos referendam minimè cenſuerit. Ac Valerium paulo fidentiùs quàm veriùs affirmare, *conſtitit*, patet è duabus ſententiis quas loquutum ſimulacrum ait: priùs, *Ritè vidiſtis*; deinde, *Ritè dicaſtis*. Eandem enim vocem, *Ritè me dicaſtis*, nulla prorſus facta *videndi* mentione, bis auditam eſſe, narrant antiquiſſima rei monumenta, *Pontificum* nempe *commentarij*, teſte [d] Dionyſio Halicarnaſſeo. Commentariorum autem iſtorum, è quibus Halicarnaſſeus fidem rei facit, autoritas eo levior eſt, quia, ſi conſcripti fuiſſent ſub tempus rei geſtæ; de quo ut ambigam, facit [e] Livius, affirmans *literas, ſi quæ erant in commentariis Pontificum, aliiſque publicis & privatis monumentis, pleraſque urbe à Gallis incenſa interiiſſe*; verùm concedantur ſub idem tempus ſcripti eſſe; non tamen teſtimonio Pontificum, ſed mulierum, quæ ſolæ ſimulacri dedicationi interfuerunt,

[a] Lib. 2.
[b] In vita Marcii Coriolani.
[c] Lib. 43.
[d] Antiquit. Roman. lib. 8.
[e] Lib. 6.

runt, res tota nititur. Et scitè ait [a] Augustinus, *Si Fortuna loquitur, non saltem muliebrem sed* * *virilem potiùs loqui debuisse: ne ipsæ, quæ simulacrum dedicaverunt, putarentur tantum miraculum muliebri loquacitate finxisse.* Mihi sanè hæc sancti viri suspicio ex circumstantiis rei gestæ augetur: quia [b] duo erant Fortunæ muliebris simulacra, unum publico sumtu factum à Senatu, alterum privato à mulieribus; nec loquutum fertur quod à Senatu factum est, sed quod ab ipsis.

[a] De civ. Dei, l. 4. c. 19.

* Quæ fanum ante muliebrem Fortunam Romæ habuit. Dionys. Halicarn. antiq. Rom. lib. 4. Plutarch. de fortuna Romanor.

[b] Dionys. Halicarn. lib. 8. Plutarch. in vita Marcii Coriol.

63 Utcunque se res habeat: unum, aut ad summum duo simulacra inter Gentiles invenit Bellarminus, quæ loquuta perhibeantur. Quid? Et istuc satis causæ judicabimus, cur non magnopere stupidi existimandi forent, si idola ipsa Deos esse putassent? Igitur Papistæ Divorum quoque ac Dei statuas pro Divis ac Diis habere possunt, ut interim non magnopere stupidi censeantur. Nam statua Beatæ Virginis Hyacinthum, & bis, & pluribus verbis alloquuta est: ut [c] suprà, ex Severino, in historia vitæ, miraculorum, & actorum canonizationis Hyacinthi, docui. Præterea imago Christi crucifixi, ad quam in quodam templo Neapoli vehementiùs orabat Thomas Aquinas, audita est dicens ei: *Bene scripsisti de me Thoma; quam ergo mercedem accipies?* Cujus rei testes sunt Pontificum commentarii; non solùm in [d] Breviario Romano, Pii Quinti auspiciis reformato: sed etiam in vita Thomæ Aquinatis, [e] operibus ejus, Romæ editis, præfixa. Ubi, nequis dubitet quin ea vox ex Christi effigie prodierit,

[c] Lib. 1. cap. ult. §. 10.

[d] In Festo S. Thomæ de Aquino, lect. 5.

[e] Tom. 1.

dierit, affirmant *religioſiſſimum optimúmq; virum, Dominicum Caſertanum, quum ſe* * *de induſtria ibi abdidiſſet, interfuiſſe rei geſtæ, iuratúmq; ipſam retuliſſe: & nobilem illam effigiem adhuc durare, certiſſimum rei monumentum*. Ecce probationes multo firmiores, quàm commentarii veterum Pontificum Romanorum habebant de ſuo Fortunæ muliebris ſimulacro. Quippe, licèt illi adjicere potuiſſent, *Durat adhuc nobilis iſta effigies, certiſſimum rei monumentum*; ſi tam periti Logicæ fuiſſent, quàm ſucceſſores eorum hodie ſunt: aſſeverare tamen nequibant virum ullum, nedum religioſiſſimum optimúmq; virum, interfuiſſe rei geſtæ; ne mulieres quidem juratas ipſam retuliſſe.

* Videtur ille præſciviſſe, imaginem loquuturam: &, ad rei probationem, alicuius teſtis præſentia opus fore.

64 Denique, *poſtrema è quatuor cauſis* Bellarmini, cur Ethnici potuerint haud improbabiliter putare ſimulacra ipſa eſſe Deos, ſcilicet, *quia erant forma humana prædita; & qui videt ſua membra ſentire & vivere, facilè perſuadetur vivere & ſentire etiam ſibi ſimilia*: iſta, inquam, cauſa nervoſiùs item infert, Papiſtas poſſe ſtatuas haud improbabiliter pro Diis habere, quàm Ethnicos. Nec enim Ethnicorum ſimulacra omnia humanam formam referebant. Multa [a] beſtiarum ſpecie fingebantur, aut prorſus, aut ex parte; præſertim Dii Ægyptii: ut [b] Jupiter Hammon arietis, umbilico tenus; [c] Iſis, capite bovis; Pan, capræ facie, hirci cruribus;

[a] Senec. apud Auguſt. de civ. Dei, l. 6. c. 10.
[b] Q. Curt. l. 4.
[c] Herodot. in Euterpe.

[d] *Omnigenúmq; Deûm monſtra, & latrator Anubis.*

[d] Virg. Æneid. lib. 8.

Multa rerum ſenſus & vitæ expertium ſimilitudinem gerebant: ut [e] Jupiter Celticus, quercus;

[e] Maxim. Tyr. ſerm. 38.

Iſis

[a] Isis Suevica, liburnæ; [b] Idæa mater, lapidis; [c] Venus Paphia, coni, seu pyramidis triangularis; [d] Sol, lapidis ejusdemmodi, apud Phœnices; & [e] brevis disci longo imposiți ligno, apud Pæones. Papistarum autem vix ullæ imagines referunt formam rerum sensu carentium: ac perpaucæ, præ Ethnicis, figura pecudum exprimuntur. Namque licèt pingant Christum in forma ovis, & tres Evangelistas repræsentent leone, bove, & aquila, Spiritúmq; sanctum in forma columbæ, aut linguarum ignis, ut notat [f] Bellarminus: cum Bellarmino tamen statuunt, opinor, *non debere eiusmodi imagines multiplicari.* Itaque Papistę longè plures habent Dei Divorúmq; imagines & statuas humana forma præditas, quàm habebant Ethnici. Atqui Bellarminus magnæ stupiditatis condemnaret suos, siqui statuas ipsas putarent Deos esse ac Divos: etsi tûm membris præditæ sint similibus nostrorum, quæ sentiunt; tûm Maria Cracovienſis, & Neapolitanus Crucifixus loquuti sint. Quapropter, non obstantibus Jesuiticis somniis & divinationibus, Calvinus rectè dixit, Ethnicos valde stupidos meritò visum iri, si non intelligerent Deum alium esse quàm ligna & lapides.

[a] Tacit. de morib. Germanor.
[b] Livi. lib. 29.
[c] Tacit. hist. lib. 2. Ant. August. de medagl. tab. 64. dial. 5.
[d] Herodian. lib. 5.
[e] Maxim. Tyr. serm. 38.
[f] De eccles. triumph. lib. 2. cap. 8.

65 Rationum verò, quibus Jesuita *se probare* ait *multos Ethnicorum credidisse ipsa idola esse Deos*, prima, è *Scripturis* exsculpta, tripartita est. Cujus ut de singulis articulis ordine agamus, principio, *Omnes*, inquit, *Prophetæ laborant, ut doceant idola aurea & argentea non esse Deos: & probant, quia non loquuntur, non vident, &c. Vide Isaiam cap. 46. Davidem Psal. 113. & Psal. 134. & Habac.*

bac. 2. ſed præcipuè epiſtolam Ieremiæ Baruch 6. ubi ad ſingula argumenta concludit: Vnde notum ſit vobis quia non ſunt Dij. At certè ſtulti eſſent Prophetæ, ſi id refellere conarentur quod nemo aſſereret. Quid hinc ſequitur Bellarmine? Ergo aliqui aſſeruerunt idola aurea & argentea eſſe Deos. Quis negat? Sed eſſe Deos propriè dictos, non metonymicè; & pro numinibus ipſis, non ſimulacris numinum habita: hoc nec tua ratio concludit, nec Prophetæ illis locis innuunt. Teſtis ſit, quem primum inſpiciendum & videndum proponis, Eſaias. Is enim, aiens [a] *Deum auro, argento, à conflatore fieri*, ſignificat *Dei* nomine ſimulacrum Dei; ſicut appâret ex verbis præcedentibus; [b] *Cui aſſimilaretis me, & æquaretis; aut compararetis me, ut ſimiles eſſemus?* [c] *Cui aſſimilabitis Deum; & quam ſimilitudinem ordinabitis ei?* Res adeò manifeſta, ut [d] Bellarminus ipſe eam * admittat cum diſtinctione: Eſaiam nempe dicere, Deum non poſſe exprimi perfecta ſimilitudine. Addit quidem ille, ſe, tametſi *poſſet* ita reſpondere, *exiſtimare tamen, ad literam non agi de imagine facta ad repræſentandum Deum verum*. Sed & vitioſa ratione nixus, prout declaratum eſt; *nec enim tales*, inquit, *à Iudæis fiebant*: & contra evidentem, non ſolùm Eſaiæ, verùm etiam [e] Catechiſmi Tridentini ſententiam, qui Eſaiam ſic exponit.

[a] Eſai. 46. ver. 6.

[b] ver. 5.

[c] Eſai. 40. ver. 18. & 25.

[d] De eccl. triumph. l. 2. c. 8.

* *Ad primum* inquit, *argumentum adverſariorum poſſet uno verbo dici, in omnibus Scripturis citatis prohiberi imaginem Dei primi generis.*

[e] In explicat. 1. præcept.

66 Prophetas autem ceteros in eundem modum *Deorum* nomen uſurpare, ſi minùs pro veri Dei ſimulacris, ſaltem pro eorum quos Ethnici Deos reputarent, quid attinet ſigillatim docere? quum epiſtola, Jeremiæ inſcripta, quam præcipuè urget Bellarminus, indicet [f] *Chaldæos ad Belum*, tanquam ſummum

[f] Baruc. 6. 40.

Deum,

Deum, recurriſſe: & [a] Bellarminus aſſerat *Belum fuiſſe hominem, pro Deo ab illis habitum poſt mortem, ac ſimulacro repræſentatum*. Cur ergo, dicet quiſpiam, Prophetæ ut confirment idola non eſſe Deos, inculcant *ea non videre, non loqui*, & cetera? Nam harum rerum mentio videtur inſinuare, Ethnicos ſenſiſſe, ſimulacra ipſa ſpirare, vivere, Deos eſſe. Immo verò hoc genus probationum arguit Ethnicos abſurdè & impiè feciſſe, qui muta ſimulacra, tùm Deos metonymicè, tanquam [b] Dei ſcilicet ſimilia, nuncuparent: tùm honore prorſus ut Deos afficerent, [c] colendo, adorando, [d] ſacrificando, [e] invocando, [f] fiduciam & ſpem ſalutis in illis reponendo. Nullum enim poteſt afferri luculentius & clarius documentum, idola nec divinis honoribus dignanda, nec ſimilia Dei judicanda eſſe, quàm quòd [g] *inclamantes nequeunt audire*; [h] *os habent, ſed non loquuntur*; *oculos habent, ſed non vident*; *naſum habent, ſed non odorantur*; *manus habent, ſed non palpant*; *pedes habent, ſed non ambulant*; *non mutiunt gutture ſuo*; [i] *nec eſt ſpiritus ullus in medio eorum*.

[a] De verbo Dei, l. 1. c. 13.
[b] Eſai. 46. 5. Act. 17. 29.
[c] Eſai. 46. 6.
[d] Baruc. 6. 20.
[e] Habac. 2. 19.
[f] Pſal. 115. & 135. 18. Habac. 2. 18.
[g] Eſai. 46. 7.
[h] Pſal. 115. 5. & 135. 16.
[i] Habac. 2. 19.

67 Atque, ſi Papiſtæ [k] Platonica in alienis peccatis meditatione, *Num ego talis ſum?* epiſtolam illam legere voluerint, quam præcipuè debent, hortante Bellarmino, ut videant quemadmodum ad ſingula argumenta ibi concludatur; *Vnde notum ſit vobis, quia non ſunt Dii*: videbunt ſe, qui Divorum ſtatuas *Divos* vocant, quanquam minùs Ethnicè, ſi vocarent tantùm; nam homo, præſertim mortuus, ſurdæ, cæcæ, inanimæ, & ſilenti ſtatuæ infinitis partibus ſimilior eſt, quàm [l] Deus; ſed

[k] Plutarch. de audit.
[l] Pſal. 94. 9. Eſai. 40. 22. Ier. 10. 10. Habac. 2. 19.

quas

quas Ethnicorum item more colunt, & tanquam Deos venerantur; videbunt, inquam, ſe perinde convinci ſtupiditatis ſimulacra ipſa pro numinibus habẽtis, ac Ethnici convincuntur ex concluſionibus ejus epiſtolæ.[a] Illic enim Chaldæi dicuntur *Deos argenteos aureóſq; & ligneos humeris portaſſe*: quod Papiſtæ Divis conſimilibus faciunt; ut [b] Baronius de Rocho, [c] Sleidanus de Genovefa, de aliis [d] alii teſtantur.[e] Illic Chaldæorum turba tales *Deos adoraſſe* traditur: quod ad ſimiles Divos tranſferunt Papiſtæ, dum [f] coram imaginibus Sanctorum venerabundi procumbunt. [g] Illic Chaldæi *veſtimentis induunt & ornant* tales *Deos, acſi homines eſſent*: quo deliramento Papiſtæ in ſimilibus Divis inſaniunt, uſque adeò ut ex ipſis [h] quidam inter varios imaginum abuſus iſtum nominatim aboleri optaverint. [i] Illic Chaldæi *lucernas Diis accendunt, quarum nullam videre poſſunt*: & vidétne meliùs [k] ligneus Hiſpanorum Jacobus ſuam candelam; aut alii Divi cereos, [l] qui coram ipſis accenduntur? [m] Illic Chaldæorum *Dij atrantur facie ſua ex fumo*; quem thura (ut [n] interpretes exponunt) in eorum venerationem cremata emittebant: ac [o] Papiſtæ aureis, argenteis, æreis Divis ſimiliter thura adolent. Denique, ne ſingulis, quæ ejuſdemmodi ſunt, inſiſtam, illic [p] *ſacerdotes, habentes capita barbásq; raſas*, quàm in hoc ſimiles item [q] Papiſtarum? ſed illic [r] *ſacerdotes ingruente bello conſilium de Diis ineunt, ubi abſcondantur ſimul cum eis*: quam Divorum quoque, non modò ſui curam, Papiſticis ſacerdotibus eſſe oportere,[s] Hyacinthum docuit Beatæ Virginis ſtatua,

[a] Baruc. 6. 3.
[b] Notationib. in Martyrol. Rom. Aug. 16.
[c] Comment. lib. 9.
[d] Iodoc. Megg. peregrinat. Ieroſolymitan. cap. 3. Pellican. in Baruc. cap. 6.
[e] Baruc. 6. 5.
[f] Conc. Trident. ſeſſ. 25.
[g] Baruc. 6. 10.
[h] Monluc. epiſcopus Valentianus, Salignacus, Eſpencæus, &c. Hiſt. eccleſiaſt. Eccleſiar. reformatar. in Gall. lib. 4.
[i] Baruc. 6. 18.
[k] Eraſm. colloq. peregrin. relig. ergô.
[l] Polyd. Virg. de invent. rer. l. 2. c. 23. & l. 6. c. 13.
[m] Baruc. 6. 20.
[n] Liranus, Hugo Card. & Pellicanus.
[o] Miſſal. Rom. tit. de ritu ſerv. in celebr. Miſſ.
[p] Baruc. 6. 30.
[q] Pontifical. Roman. part. 1. Pier. Valerian. pro ſacerdotum barbis. [r] Baruc. 6. 48. [s] Severin. de vita, mirac. & act. canoniz. S. Hyac. lib. 1. cap. 13.

miſerabili-

miſerabiliter conquerens; *O fili Hyacinthe, effugis manus Tartarorum, & me diſſecandam & conculcandam relinquis*. Quamobrem, quum mihi liceat exemplo [a] ſcriptoris præcipuè à Bellarmino laudati ad ſingula argumenta concludere; Unde perſpectum eſt non eſſe Divos: fateantur oportet Papiſtæ ſtatuas ipſas pro Divis à ſe haberi, ſi idola ipſa ab Ethnicis pro Diis habita hinc conficere velint.

[a] Baruc.6.verſ. 14.22.28.39.& ſequentib.

68 *Præterea*, inquit Bellarminus, *Actor. 19. de Paulo dicunt Ethnici: Paulus hic ſuadet, dicens, quia non ſunt Dij, qui manibus fiunt: ergo ipſi putabant eſſe Deos eos, qui manibus fiunt*. Ubi rurſus eadem ambiguitate ludit, qua priùs: perinde volens accipi verba, tanquam agerent de Diis propriè dictis; quæ metonymicè notant imagines divinas, Deorum inſtar honoratas. Nam [b] autores hujus de Paulo querimoniæ, Demetrius aliíq; Epheſii, [*] faciebant imagines argenteas Dianę, templo celeberrimo apud ipſos cultæ: quas cultoribus ejus, ut [c] Itali hodie in Piceno ſimiles Mariæ Lauretanæ ſcorias, magno cum queſtu compendióq; vendebant. Dianam autem habebant pro numine ſingulari: unde vociferatio, [d] *Magna eſt Diana Epheſiorum*. Ac ne ſimulacrum quidem, quod [e] *à Iove delapſum* fabulabantur, putabant ipſam Deam: ſicuti oſtendunt [f] quæ de Diana ſua, ſub idem ferè tempus, apud Tiberium Cæſarem prædicaverunt. Itaque, *Deorum* appellatione notantes ſimulacra ſuis manibus facta, ea ſibi videri Dei ſeu Deæ ſigna, non propriè Deos, indicabant. Enimverò Paulus, cujus ſententiam recitabant, perſuadebat [g] *Deum ſimilem non eſſe ſculp-*

[b] Act.19.24.

[*] Suprà, §.57.

[c] Ar.Montan. & Bez. in Actor. cap.19.

[d] Act.19.ver. 28.& 34.

[e] ver.35.

[f] Tacit. annal. lib.3.

[g] Act.17.29.

turæ humani artificij, [a] *ſimulacris mutis*. Hæc perſuaſio famem Demetrio & ceteris Epheſiorum idolorum artificibus minabatur. Quippe, ut [b] *ſimile ſimili amicum eſt*, &, [c] vetere proverbio, *Simile ſimili ſemper hæret*, opinabantur [d] Ethnici adeſſe Deos ſolere ſimulacris ſuis auxilio gratiáq; : & ea pro pignoribus ac ſymbolis favoris & opis numinum habebant. Proinde [e] Tyrii, ab Alexandro Magno obſeſſi, quum ex cujuſdam ſomnio patronum ſuum Apollinem deſerturum eſſe urbem metuerent, ſimulacrum ejus aureis catenis ad baſim alligaverunt : hoc modo impedientes, ut exiſtimabant, diſceſſum Dei ab urbe. [f] Athenienſes Victoriæ, quam alii venerabantur ſimulacro alato ad rei naturam exprimendam, [g] *Inter utrumque volat dubijs victoria pennis*, ſtatuam abſque alis fecerunt : ſperantes victoriam nunquam ab ipſis avolaturam eſſe, quam tali forma colerent. [h] Siculi querebantur apud Ciceronem, ſeſe jam ne Deos quidem in ſuis urbibus, ad quos confugerent, habere ; quòd eorum ſimulacra Verres ſuſtuliſſet : adeò propinquos putabant ſibi Deos, quàm diu ſigna eorum aderant ; eóſq; , vice verſa, ſignis ablatis, ſe deſeruiſſe. Quoniam ergo multi avertebantur ab emendis Dianæ ſimulacris, dum Paulo fidem adhibent, docenti, Deum imaginum manibus factarum ſimilem non eſſe : [i] Demetrius ait *eum avertiſſe multos, dicendo, Deos illos non eſſe qui manibus fiant*. Ex quo non magis ſequitur, Demetrium ceteróſq; opifices putaſſe argenteas Dianas ſuas eſſe Deos, propriè loquendo ; licèt eas expeti & magni fieri vellent, quaſi numinis & virtutis aliquid habentes, ut rectè [k] animadverſum eſt : quàm

[a] 1. Cor. 12. 2.

[b] Ariſt. ethic. Nicom. lib. 9. cap. 3.

[c] Plat. in convivio.

[d] Procl. de ſacrific. & magia. Porphyr. apud Euſeb. præpar. Evāg. lib. 3. & 5.

[e] Diodor. Sic. lib. 17. part. 1.

[f] Pauſan. in Attic. & Lacon.

[g] Ovid. Metamorph. lib. 8.

[h] Cic. divinat. in Q. Cæcilium.

[i] Act. 19. 26.

[k] Liran. & Pellican. in hunc locum.

Ponti-

[a] Pontifex Romanus, quia cereos agnos Dei, à sacrista & capellanis suis clericisq; factos, vult in pretio esse, veluti divina vi & gratia præditos, censendus est credere, eos insigniri nomine agni Dei propriè, hoc est, [b] Christi. Etenim, si Pontifex Demetrium æquè verbis & oratione imitari cuperet, atque instituto & affectu exprimit; posset opificibus suis in eundem ferè modum dicere: Filii, scitis quæstum ex hoc artificio ad nos redundare; & auditis istos Pauli sectatores avertisse multam totius Europæ turbam, persuadendo agnos Dei non esse illos qui manibus fiant. Ita Pontificius idolorum cultus cum Gentilitio comparatus secundum articulum rationis à Bellarmino ex Scriptura ductæ elidit & infringit.

[a] Sacrar. ceremon. Rom. Eccles. lib. 1. tit. 7.

[b] Ioh. 1. 29. 1. Pet. 1. 19.

69 Restat postremus, prioribus germanissimus. Namque Jeremias, simulacra *lignum* ac *lapidem* appellans, scribit idolorum cultores [c] *dicere ligno, Pater meus es; & lapidi, *Tu genuisti me.* Quam vesaniam hominis idololatræ tractans liber Sapientiæ, [d] *Non pudet*, inquit, *ipsum alloqui rem inanimam: sed de sanitate quidem invocat id quod nullis est viribus, pro vita verò quod mortuum est rogat; & inexpertissimo supplicat pro auxilio; & de profectione ab eo quod ne gressu quidem uti potest, & de quæstu & opere ac manuum consequutione ab eo quod manibus ignavissimum est commodam effectionem petit; rursum aliquis se ad navigandum comparans, & feros permeaturus fluctus, lignum inclamat putridius nave quæ fert ipsum.* Jam ex his duobus locis Bellarminus sic argumentatur: *Ierem. 2. & Sapient. 13.*

[c] Ier. 2. 27. * Aut, *Tu peperisti*, sicut aliqui vertunt: congruentiùs Hebræis vocibus, nisi pronomen fœmininum את pro masculino usurpetur, quod alibi fit interdum, & hîc fortasse etiam, ex ultimo vocali puncto verbi ילדת. Sed utrocunque modo, sensus in summa idem est: & *Iupiter* à Sorano vocatur *genitor genitrixq;*, ut significetur integer creator; apud Augustinum de civit. Dei, lib. 7. cap. 9.

[d] Sap. 13. 18. & 14. 1.

& 14. *Scriptura dicit, Ethnicos ſolitos invocare idola, & eis commendare ſalutem ſuam: nemo autem invocat aut orat ſimulacrum, inquit Auguſtinus in Pſal.* 113. *qui non putet ab illo ſe exaudiri.* Qua probatione ſi concluſum velit Ethnicos putaſſe idola ipſa eſſe Deos: concludet Pontificios pari ratione putare ſimulacra ſua Deos eſſe. Nam quum *ad imaginem Sancti alicuius pronuntiant orationem Dominicam*; quod teſte [a] Catechiſmo Tridentino faciunt: dicunt ligno, aut lapidi, *Pater noſter es.* Nec enim, quia phraſi diſcrepare videntur, *dicere ligno*, & *dicere ad lignum*; idcirco re differre cenſenda ſunt quæ Jeremias & Catechiſmus notant. Siquidem, & phraſi, qua Catechiſmus utitur, uti item potuit Jeremiæ interpres, ut paſſim conſuevit, [b] *Dixit Dominus* [1] *ad Noe, ad eum, ad eos:* & [c] Bellarminus planè ac perſpicuè morem Pontificiorum oratorum explicans, *Concionatores*, inquit, *alloquuntur imaginem crucifixi, eíq; dicunt, tu nos redemiſti, tu nos Patri reconciliaſti.* Videlicet, quemadmodum Bellarminus addit, *iſta non dici imagini, nec ut lignum eſt, nec ut imago eſt, ſed ut accipitur loco exemplaris, id eſt, dici ipſi Chriſto, cuius tamen imago vicem gerit*: ſic ex [d] Auguſtino appâret Ethnicos haud fuiſſe profeſſos ſe preces ſimulacris fundere quatenus ligna erant, aut quatenus ſimulacra, ſed ut accipiebantur loco exemplarium, id eſt, oraſſe Deos ipſos, quorum tamen vicem ſimulacra gerebant. Quid igitur? An Bellarminus, ut evincat Ethnicos tam fatuos exſtitiſſe, eodem quoque cœno ſuos inquinabit?

[a] Tract. de orat. tit. Quis orandus ſit.

[b] Gen. 6. 13. & 7. 1. & 9. 1.

[1] Heb. לֹנֹחַ & לֹחַם: ut apud Ieremiam לְאִבֶן & לְעֵץ

[c] De eccleſ. triumph. l. 2. c. 23

[d] In Pſal. 113. concion. 2.

Immo

70 Immo dicet forsitan, fuisse quosdam ex Ethnica plebe rudiores, qui supplicârint statuis ipsis ut numinibus: atque hinc concludi, Ethnicos putasse eas esse Deos, utut doctiores prudentioréſq; Ethnici aliud sint professi. At isto item pacto concludet Pontificios putare effigies Divorum Divos esse. Quam ad rem firmandam si vellet adhibere non minùs gravem historiam de fœmina Anglicana, quàm [a] adhibet ad probandum Scripturas lingua materna (quali tamen Deus [1] Judæis & [2] Græcis eas tradidit) Ecclesiæ non legendas: percommodè sanè posset. Narravit enim mihi vir doctus & fide dignus aniculam quandam sub Papatu in templo coram statua Beatæ Virginis supplicantem, quum ab ipso rogaretur quid ibi faceret, respondisse: *Ego huic Beatæ Dominæ preces fundo, ut apud Dominam nostram in cælo pro me intercedat*. Quam responsionem quoniam ex ipsius subridentis vultu misella conjiciebat minùs rectam esse, retractasse statim, &, *Lapsa sum*, dixisse: *ego precor Beatam Dominam nostram in cælo, ut huic gratiosissimæ Dominæ me commendet*. Nec verò una sola imbecilla mulier ita deliravit. *Bene multi sunt*, ait [b] Polydorus Virgilius, *bene multi rudiores stupidioréſq;, qui saxeas, vel ligneas, marmoreas, æneas, seu in parietibus pictas, variisq; coloribus litas imagines colant, non ut figuras, sed perinde quasi ipsæ sensum aliquem habeant: & ijs magis fidant quàm Christo, vel alijs Divis, quibus dicatæ sint*. Ac [c] Pius Secundus refert, *in Ecclesia S. Mariæ Prunetanæ, agri Florentini, Virginis esse imaginem, quam mira religione populi venerantur, tanquam*

[a] De verbo Dei, l. 2. c. 15.
[1] Vetus Testamentum.
[2] Novum Testamentũ.

[b] De invent. rer. l. 6. c. 13.

[c] Comment. Pii II. lib. 2.

pluviæ ſerenitatiſq; donatricem, quum neceſsitas ingruit: dives illic templum eſt, inquit, *& aſsiduis mortalium votis inſigne*. Quod teſtimonium, non cujuſvis, ſed Pontificis Romani, idq; Pontificiis approbantibus editum; nam plura ſunt in commentariis ejus manuſcriptis, quàm in excuſis evulgârunt; *fortaſſe*, inquit [a] Poſſevinus, *quòd exiſtimatum ſit aliqua reticenda, quæ minùs erant temporibus his commoda*; & quis ſcit an nonnulla iſtiuſmodi ſuam ſuperſtitionem clarioribus notis prodentia ſuppreſſerint? quandoquidem illa, quæ citavi ex Polydoro, deleri jubent [b] Belgici Cenſores; & ipſi aliiq; in novis editionibus, ſpero, deleverunt; verùm Papæ & Papiſtarum Romæ teſtimoni-

[a] Biblioth. ſelect. lib. 16. c. 8. Vbi Poſſevinus ait iſtos *Pii Secundi Commentarios ſcriptos & editos eſſe à Ioanne Gobellino: quippe qui eorum*, inquit, *Auctor fuerit*. Fallò: niſi ambigua ſignificatione uſurpet voces *ſcripti, editi*, & *Auctor*. Neque enim Platina ſolùm [in vita Pii II.] de illis ait; *Commentariorum de rebus à ſe geſtis libros duodecim ſcripſit*: ſed etiam Antonius Campanus, Pii Secundi æqualis & familiaris, [Comment. Pii II. lib. 8. Paul. Iov. elog. doctor. viror. cap. 22.] de iiſdem [in vita Pii II.] dicit; *Scripſit rerum ſui temporis in Italia geſtarum libros duodecim, quod opus nondum abſolutum cum vita finivit, vetuitq; publicari, niſi emendaretur*. Franciſcus autem Picolomineus, Archiepiſcopus Senenſis, qui ab avunculo ſuo, Senenſi Cardinale, nepote Pii Secundi, codicem dono accepit, affirmat [in epiſt. ad Gregor. XIII.] *res geſtas temporibus Pii Papæ Secundi eo contineri, à Joanne Gobellino, ipſius Pii Secundi familiari, in commentarium relatas atque deſcriptas*. Nimirum *Gobellinus* (ut patet è Gregorii Decimitertii reſcripto [præfixo comment. Pii II.] ad Senenſem Archiepiſcopum) erat *ſecretarius Pii Secundi*. Vnde ſignificanter, tanquam amanuenſis illius, dici poteſt opus *deſcripſiſſe*; quo ſenſu M. Tullius [epiſt. ad fam. lib. 12. ep. 17.] de libro à ſe ſcripto, *Dicam tuis*, inquit, *ut eum, ſi velint, deſcribant, ad téq; mittant*: aut ſcripſiſſe; ut *Tertius* [Rom. 16. 22.] *ſcripſit epiſtolam Pauli ad Romanos*. Eodémq; modo *res in commentarium à Gobellino relatæ*, ſeu *Commentarii* (ut inſcriptio habet) *compoſiti*, rectè perhibentur: quum præſertim Pius Secundus, chiragra laborans, [Anton. Campan. in vita Pii II.] aliorum opera perinde egerit in componendis ac ſcribendis voluminibus ſuis. Quapropter, ut *Dialogi*, qui, in operis fronte, *ab Alano Copo editi* memorantur, in calce additas habent has majuſculas literas; A. H. L. N. H. E. V. E. A. C. quarum interpretatio eſt, *Autor huius libri Nicolaus Harpſfildus, eum verò edidit Alanus Copus*: ita, licèt iſti Commentarii variis documentis arguant parentem ſuum eſſe Pium Secundum, tamen, quia *compoſiti à Gobellino* inſcribuntur, quid impedit quin typographus Romanus in proxima editione addat, A. H. C. P. II. E. V. C. I. G. ut poſteritas ſciat *eos Pium Secundum autorem habuiſſe, compoſitos verò eſſe à Jo. Gobellino*. [b] Ind. expurg.

um

um de votis Mariæ Prunetanæ factis, & de imagine, quam mortales, quam populi Pontificii religiosè admodum & assiduè colunt ut pluviæ donatricem, multo magis adstruet Pontificios credere imagines ipsas Deos esse, si Scriptura arguat Ethnicos hoc putasse. Donator enim pluviæ ab Ethnicis habebatur Jupiter ipse pluvius, non Jovis pluvii simulacrum. Itaque [a] Athenienses, volentes monumento testari siccitatem qua laboraverat regio, fecerunt simulacrum terræ supplicantis, non simulacro Jovis, sed Jovi, ut sibi plueret. Ac [b] Romanus poeta, de Ægypto à Nilo irrigata canens, *Nec pluvio supplicat herba Iovi*, pluvii Jovis nomine cœlum significat, interpretante [c] Seneca. Atqui Pontificii tam absurdo errore tenêri negabuntur, quia, quum Prunetanæ imagini tanquam pluviæ datrici * vota faciunt, accipiunt imaginem loco S. Mariæ, Pruneti in ea cultæ, quemadmodum [d] Bellarminus explicat. Ineptè igitur ex Scriptura concludit Bellarminus Ethnicos putasse idola ipsa Deos esse.

[a] Pausan. in Atticis.

[b] Tibull. lib. 1. eleg. 8.

[c] Natur. quæst. l. 4. c. 2.

* Erasm. in colloquio, quod inscripsit, Naufragium.

[d] De eccles. triumph. l. 2. c. 23. & l. 3. c. 9.

71 *Patres* autem, quorum testimonia congerit ad coagmentandam secundam rationem, partim idem prorsus, quod ex Scriptura ventilavi, dicunt; partim minus. [e] *Augustinus ait: Fateor altiùs demersos esse, qui opera hominum Deos putant, quàm qui opera Dei.* Rectè. Ut anicula turpiùs erravit, quæ Mariæ statuam Deam arbitrata est, quàm qui Mariam. Sed an hinc consequitur Papistas arbitrari imagines ipsas esse Deas? At *addit* [f] *Augustinus: Illi simulacra venerantur, vel tanquam Deos, vel tanquam signa & imagines Deorum.* Quid ad rem? Quasi verò non & Papistæ simulacra colant, vel tanquam Agnos Dei, vel tanquam

[e] De doctr. Chr. l. 3. c. 7.

[f] Ibidem.

ſigna & imagines Agni. Nec tamen ſimulacra ipſa Deos putant. At [a] *Auguſtinus* porrò *dicit, Ethnicos multos putaſſe ipſa ſimulacra vivere, ſpirare, & audire, & proinde eſſe Deos viventes, & in hoc errore foveri ex ipſa ſimilitudine humanorum membrorum.* Immo Auguſtinus non dicit, *Et proinde eſſe Deos viventes:* ſed, *proinde* [b] *numen occultum habere, nec ſine vivo aliquo habitatore eſſe.* Inter quæ videtur diſcrimen interponere ex eo quod ſubjungit: *Itaque homines talibus ſuperſtitionibus obligati, plerunque ad ipſum Solem dorſum ponentes, preces fundunt ſtatuæ, quam Solem vocant: & quum ſonitu maris à tergo feriantur, Neptuni ſtatuam, quam pro ipſo mari colunt, quaſi ſentientem gemitibus feriunt. Hoc enim facit & quodammodo extorquet illa figura membrorum, ut animus vivens in ſenſibus corporis magis arbitretur ſentire corpus quod ſuo corpori ſimillimum videt: quàm rotundum Solem, undáſq; diffuſas, & quicquid non eiſdem lineamentis formatum conſpicit, quibus illa formata ſunt quæ viventia videre conſuevit.*

[a] Epiſt. 49. & in pſalm. 113.

[b] In pſalm. 113. concion. 2.

72 Quòd ſi Auguſtinus his verbis non declarat Ethnicos, licèt Solis & Neptuni ſtatuas ſentire potiùs arbitrarentur, quàm Solem & mare ipſum; arbitratos tamen fuiſſe Solem & mare eſſe ipſos Deos, non ſtatuas eorum: at Papiſtas ſua docebit experientia, non quia ſimulacra putabant ſenſu prædita, idcirco putaviſſe ea Deos eſſe. Quippe *humanorum membrorum ſimilitudo*, quæ *ſordidiſſimum huius erroris affectum* (ut [c] Auguſtini verbis utar) *in unoquoque parit*, eadem eſt omnino in ſimulacris Papiſticis, atque in Ethnicis fuit. Expungant ergo Ponti-

[c] Ibidem.

Pontificii Cenſores ex quotcunque exemplaribus poterunt cenſoriam Polydori Virgilii de ipſorum ſtatuis ſententiam, *eas* videlicet *perinde coli à multis quaſi ſenſum habeant* : quàm diu Auguſtini ſententia exſtabit à Bellarmino probata, non deerit nobis teſtis multos Papiſtarum arbitrari ſtatuas ſentire ac vivere, quoniam figuram & ſimilitudinem corporum humanorum gerunt. Quin etiam ſtatuarum in templis collocatio, periculoſa viſa [a] Abulenſi, qui, *Melius*, inquit, *eſſet fortè imagines quàm ſtatuas fieri, quia, quum corpulentiam nullam gerant, minùs motivæ ſunt, nec ita ſimplices decipi poſſunt*; ſtatuarum, inquam, in templis collocatio laudatur à non obſcuro Papiſta ob id ipſum, quòd hunc errorem foveat. Etenim [b] Philander, civitate Romana eruditionis & virtutis ergô donatus, expreſsè dicit : *Conferre arbitramur, ſi ſtatuæ in templis ponantur, ut imperitorum animi retineantur, dum ſe Divos ipſos adire credunt*. Quibus in verbis haud ſcio an aliquanto amplius inſinuet, quàm pronuntiavit de Ethnicis Auguſtinus; ſed tantundem certè : quum [c] ille dicat *idola, quamvis inſenſata ſint & exanima, ſimilitudine tamen ipſa animatorum membrorum atque ſenſuum afficere infirmos animos, ut vivere ac ſpirare videantur, accedente præſertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus impenditur*; Philander autem innuat imperitorum animis ipſa ſtatuarum ſpecie perſuaderi, eas exaudire & intueri cultores ſuos. Veruntamen, quicquid autument *imperitorum animi* apud Philandrum, & apud Polydorum Virgilium *bene multi rudiores ſtupidioréſq;*:

[a] In Deuteron. cap. 4. quæſt. 5.

[b] Annot. in Vitruv. de architect. l. 4. c. 5.

[c] Aug. epiſt. 49. quæſt. 3.

injuria

injuria Papiſtis fiat ſi dicantur putare ſimulacra ipſa eſſe Divos. Utcunque ergo *animi infirmi* affecti fuerint apud Auguſtinum: injuria item Ethnicis fiat ſi dicantur putaviſſe idola ipſa eſſe Deos.

[a] Cap.12. 73 Jam *Tertullianus*, qui *dicit, in* [a] *Apologetico, Deos Gentilium plura pati, dum fiunt, ab artificibus, quàm patiantur Chriſtiani, quum occiduntur, quòd eos nolint adorare*: ibidem dicit, Apollinem in Delo inſula natum, Jovem in Creta mortuum, & [b] omnes reliquos Deos Gentilium homines fuiſſe; idq; ipſos ſcire, nec negare poſſe. Quapropter, quum ſimulacra, quæ [c] vocat *ſtatuas & imagines frigidas mortuorum ſuorum ſimillimas*, [d] pro Deorum ſtatuis etiam à Gentilibus habita teſtetur: perſpicuè declarat Gentiles, etſi *Deorum* nomine ſimulacra ſua inſignierint, non putaſſe tamen ipſa Deos eſſe; neque Deos propriè, ſed metonymicè, nuncupaſſe.

[b] Cap.10.& 11.

[c] Cap.12.

[d] Cap.13.

74 *Euſebium* verò huc citari, ex *præparationis Evangelicæ libro quinto*, quis non miretur? quum & [c] libro quarto priùs aſſeruerit, patêre etiam Ethnicis, inanimata ſimulacra Deos non eſſe: & [f] eo ipſo libro affirmet [ι] univerſos Ethnicorum Deos ad ſeptem genera pertinere, quorum primo ſidera, ſecundo & tertio homines mortui, quarto affectus & facultates hominum, quinto res quæ hominibus in uſu vitę ſunt, ſexto ſeptimóq; dæmones boni ac mali comprehendantur. Quo quid dici potuit clarius, ut oſtenderet, Solis, Herculis, Bacchi, Cupidinis, ceterarum quarumcunque rerum, ſimulacra nullo in Deorum numero ab Ethnicis habita fuiſſe? At Bellarminus citat clariſſima verba *Euſebij*, ex *eiuſdem libri capite decimo quinto*: nempe, *Triginta Deorum millia in terra*

[c] In proœm.

[f] Cap.3. ſed miſerè mutilato, ut paſſim, in Latinorum interpretum verſione.

[ι] τὰ πάσαν ἀυτοῖς θεοποιίαν.

eſſe

esse censet Hesiodus; ego autem multo plures lapideos, atque ligneos hominum creatores esse video. At hæc Eusebii verba non sunt, sed Oenomai, ab Eusebio citati. Nam Eusebius, longam disputationem de oraculorum fallaciis ingressurus, [a] præfatur *se eorum refutationem propositurum non suis, sed alterius verbis, à quo scripta erat* [1] *deprehensio impostorum*. Et in fine libri, eo ipso capite quod Bellarminus citat, subjungit; *Hæc Oenomaus*. Nimirum is, redarguens oraculum quo Apollo jussit quoddam Bacchi simulacrum coli, ait, *in terra esse tres myriades* (hoc est, infinitum numerum) *Deorum, non immortalium, quales* [b] *Hesiodus custodiendis hominibus à Iove præfici tradit; sed lapideorum, atque ligneorum.* Ita Oenomaus Gentiles suos exagitat, quòd oraculorum impostura seducti cultum divinum lapideis ligneisq; Deorum statuis exhiberent. Eusebium autem Bellarminus ineptissimè citat, tanquam id probantem præparationis quinto, quod ejusdem operis eodem libro, & alibi, planissimè ab Eusebio negatur & refellitur.

[a] Cap. 10.

[1] Τούτων φωρὰ. Non φορὰ, ut legitur mẽdosè in Eusebio: sed φωρὰ, ut legendum ex Theodoreto patet, curat. Græcar. affect. serm. 6. & 10.

[b] In operib. & dieb.

75 Verùm in ultimo ex Patribus argumento delirat mirabiliùs, dicens: *Denique Cyprianus, Lactantius, Arnobius, Minutius Felix, Clemens Alexandrinus, Athanasius, Theodoretus, & alij, qui scribunt contra Gentes, rident Ethnicos, quòd ligna & lapides pro Deo colant.* Quid enim? Siquis nostrùm dicat similiter; Denique Lutherus, Calvinus, Viretus, Philippus Melanchthon, Petrus Martyr, Juellus, Kemnicius, & alii, qui scribunt contra Papistas, rident Pontificios, quòd ligna & lapides pro Deo colant: num effectum dederit, Pontificios credere, imagines ipsas esse Deos? Profectò: nisi Bellarminus funicu-

niculum ex arena nectat. Ac tales ſunt Jeſuitæ ratiocinationes ex Scriptura & Patribus.

76 Sequitur poſtrema earum claſſis ex ipſis Ethnicis: in qua *non ſolùm Poetæ, ſed etiam viri ſapientiſſimi id* perhibentur *ſenſiſſe*. Poetæ? Qui tandem? *Horatius*. Cedò reliquos. Immo hunc unicum producit, ſubjicítq;, *Poetas id ſenſiſſe*. Jocatur [a] M. Tullius in accuſatorem Flacci, quòd legato uni contra Flaccum miſſo tribuerit titulum legatorum. *Citat præco voce maxima legatos Acmonenſes. procedit unus Aſclepiades. prodeant ceteri. etiámne præconem mentiri coegiſti?* Verùm agnoſcatur noſter accuſator veriſſimè loquutus eſſe, ſi vel Horatium unum id ſenſiſſe doceat. Nempe hunc quoque falſò ſibi vindicat, rhetorica percontatione: *Quid eſt, quod ait Horatius lib. 1. Serm. Satyra 8.*

[a] Pro Flacco.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Quum faber, incertus ſcamnum facerétne Priapum,
Maluit eſſe Deum?

Nam Gentiles vulgò [b] Helleſpontiaci Priapi, hoc eſt, [c] hominis Lampſaceni mortui, habiti pro [d] Deo hortorum præſide & cuſtode, ſimulacrum ligneum in hortis collocabant: ex quo tutelam & fœcunditatem ſibi pollicentes, non modò nomen *Dei*, ſed etiam honorem ad truncum tranſferebant. Horum vanitatem Horatius, utrùm cura religionis tactus? quod [e] aliquando factum; an ut [f] Epicureus? cujus tamen ſectæ [g] nonnulli omnia ſigilla venerati ſunt; per Satyram deriſit: quod Bellarminus, ſi ex verbis ipſius non perſpexit, ex [h] alienis ſaltem potuit debuítq;. Aut, ſi acrioribus ſtimulis fodiendus eſt ut perſentiſcat, ſciat Horatium perinde ſubſannaſſe errorem

[b] Virg. georg. lib. 4.
[c] Servi. in Virg. ibid. Scholiaſt. in Apollon. Argonaut. lib. 1.
[d] Columell. de re ruſt. lib. 10.
[e] Horat. carm. lib. 1. od. 34.
[f] Satyrar. lib. 1. ſat. 5.
[g] Cic. de nat. Deor. lib. 1.
[h] Lactant. lib. 2. cap. 4. Calvin. inſtit. li. 1. cap. 11. §. 4.

vulgi

vulgi in Priapo, ac si Pasquillus Romanus, similem hodie suorum dementiam in Agno Dei irrisurus, induceret eum rhythmo Italico dicentem, se fuisse olim abiectam & inutilem ceram, quum sacrista Papæ, dubitans candelam an Agnum Dei faceret, maluit esse Deum. Et quidem, ut Priapus addit apud Horatium, *Deus inde ego, furum aviúmq; Maxima formido*: sic Pasquilli Agnus ex[a] Papa canere posset, se jam divina vi pollentem fulgura depellere, omnia peccata frangere & angere, prægnantem servare, partum liberare, munera ferre dignis, destruere virtutem ignis, & de fluctibus demum undæ eripere. Quòd si parum sana mente putaretur, qui Pasquillum ideo diceret sentire imaginem ipsam Agni Dei esse Deum: viderint Papistæ num helleboro egeat, qui ex Satyra colligit Horatium id sensisse, quod cum irrisione explosit.

[a] Vrbano V. Sacrar. cerem. Rom. Eccles. lib. 1. tit. 7.

77 *Sapientissimos* autem *viros, qui id senserint*, duos commemorat; *Hermetem Trismegistum* Ægyptium, & *Arnobium* nondum Christianum: fortasse ambos falsò dictos id sensisse; sapientissimos certè falsò prædicatos; nec tamen, si utrumque detur, Bellarmini assertionem probantes. Nam *Hermes Trismegistus apud Augustinum libro 8. de civitate Dei, cap. 23. dicit, alios Deos factos à summo Deo, alios autem ab hominibus: Deos autem ab hominibus factos dicit esse statuas, quibus arte quadam magica alligantur dæmones, ita ut statua sit quasi corpus Dei, spiritus autem inclusus sit anima, & totum idolum sit Deus, quomodo corpus & anima est homo*. Magnum Hermetis Trismegisti nomen: majus Augustini. Verùm hæc sententia, quam ex Trismegisto apud Augustinum Bellarminus

larminus promit, manifeſtò falſa eſt. Namque Spiritus ſanctus de idolis aſſerit, [a] *nullum eſſe ſpiritum in ore, in medio illorum*. Idcirco [b] Thomas Aquinas, poſtquam rationibus variis demonſtraſſet ſtatuas arte magica factas nec habere principium aliquod vitæ, nec habere poſſe; ac per hoc excludi poſitionem Hermetis, quam eodem ex loco Auguſtini recitat, ex quo Bellarminus: *hæc poſitio*, inquit, *autoritate divina deſtruitur; dicitur enim in Pſalm. Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum; os habent, & non loquentur, neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum*. Quid, quòd & magi, iſtorum ſimulacrorum Hermetis opifices, affirmabant animas hominum mortuorum in dæmones mutari, ac ſibi ad hujuſmodi opera inſervire. In quo mentitos eſſe impios declarant [c] Tertullianus & [d] Chryſoſtomus: idq; ex [e] Scriptura. Tamen [f] Hermes Iſidis, Mercurii, Æſculapii, mortuorum animas, in dęmones mutatas, ſimulacris magicis alligatas tradit. Præterea, neque magi iſtas ſic putabant cum ſimulacris copulari ad creandos Deos, ut animæ cum corporibus, ad conſtituendos homines, conjunguntur: & maleficæ artis ſuæ impoſturam ad certas quaſdam ſtatuas occultè adhibebant, non ad univerſas quę palàm à populis colebantur. Etenim lapideas ligneáſq; Deorum effigies in templis, & ſtatui, & honore affici jubet [g] Plato: qui tamen [h] ſimulacra magica, qualia notat ex cera fieri conſueviſſe, & in monumentis parentum, aut in triviis, aut ad fores ædium poni, condemnat. [i] Proclus, magiam ex profeſſo tractans, enumerat ſtatuas ex materiis multis permiſtas inter inſtrumenta, quibus invitati dæmones accedant, & ſe, quum

[a] Pſal. 135. 17. Habac 2. 19.
[b] Summ. contr. Gentiles lib. 3. cap. 104.
[c] De anima, cap. 57.
[d] In Matthæum, hom. 29.
[e] 2. Cor. 11. 14. Luc. 16. exemplo divitis & Lazari.
[f] Apud Auguſt. de civ. Dei, l. 8. c. 26.
[g] De legib. lib. 12. & in Epinom.
[h] De legib. lib. 11.
[i] De ſacrific. & magia.

quum advocantur, videndos propitióſq; præbeant: ſed eodem modo, quo quæcunque alia ſimilitudinem quandam dæmonum referentia; cujuſmodi complura, partim animata, partim inanima recenſet. [a] Iamblichus, idem tradens de quibuſdam materiis, nempe Deos ſtatim adeſſe, poſtquam eæ, Diis congruæ, conſentaneæ, & ſimiles adhibentur; de ſtatuis paulò ſecus, ſed hanc ad rem probandam accommodatiùs, addit: idola, ſub cœleſtibus influxibus, ex materiis multis fabricata, facere quidem aliquid; verùm fabricari ab homine non debere, qui melior illis eſt; nec, ſi fabricentur, animata eſſe. [b] Plotinus, de figuris & carminibus agens, tanquam philtris magicis, figurarum nomine non quaſvis effigies, ſed tales comprehendit, quales juvenis quidam Gazenſis, ex præſcripto Ægyptiorum vatum, in Cyprii æris lamina ſculptas defôdit ſubter limine domus pudicæ virginis, quam deperibat: quibus non modò non alligatum eſſe dæmonem, inſtar animæ corpori conjunctæ, ſed ne ligatum quidem omnino, quicquid ſpiritus mendax ſimulavit, docuit Hilarion, ut [c] Hieronymus refert. Ac [d] Porphyrius memorat reſponſum ex oraculo editum ab Hecate, quo pollicebatur ſe cuidam apparituram eſſe per ſomnum, ſi ſtatuam ipſius ex certa materia, certorum characterum forma expolitam, & certis ſuffimentis ac precibus conſecratã faceret. Quorum licèt ultimum videri poſſit magicæ ſtatuæ commune cum publicis numinum ſimulacris, quia [e] preces his etiam dedicandis conceptæ ſunt; quanquam, ſi exſtarent ſolennes precum formulæ, quibus utraque conſecrabantur, diſcrimen animadverſum iri veriſimile eſt: in ceteris ſimulacra publica

[a] De myſteriis Ægyptior.

[b] De dubiis animæ, lib. 2. cap. 40.

[c] In vita Hilar. eremit.

[d] De philoſoph. ex orac. apud Euſeb. præparat. Evang. lib. 5.

[e] Tertull. apolog. cap. 12. Minut. Felix in Octavio.

lica ex ligno aut lapide uſitato vulgarem in morem facta, nec tam curioſè dedicata, manifeſtis notis diſtinguebantur à magica Hecates ſtatua. Quippe quam, primò, fieri jubebat ex ruta ſilveſtri, [a] ſtirpe nonnullis appellata Moly, efficaci magicè [b] contra veneficia: deinde, exornari figuris [i] ſtellionum, animalculorum in [c] magica medicina celebrium: tum ſacrari & perfici ſuffitu ([d] cujus magnus in magia uſus eſt) compoſito ex myrrha, ſtyrace, & thure, miſtis, contritiſq; cum ſtellionibus, creſcente Luna; &, quod diſertè additur, cum tot ſtellionibus, quot Hecate habebat formas, id eſt, [e] tribus; ut in iſta quoque Pharmaceutria cernas, [f] *Numero Deus impare gaudet*: denique cuſtodiri in vaſculo confecto ex lauro ſponte nata, cujus [g] ſacræ arboris quaſi cognatio cum ſilveſtri ruta gratiſſimum tali hoſpiti receptaculum exhibet. Ita ex huius ſimulacri Hecates comparatione cum [h] illis quæ colenda vulgò ponebantur apparet populares & publicas numinum ſtatuas haudquaquam magicè factas eſſe. Quemadmodum ex ſimili [i] capitis & caudæ draconis Lunæ imagine, aureo gemmatóq; balteo incluſa, & ab Hiſpano rege imprudente geſtata, recentiores item imagines, quę Papiſtis colendæ proponuntur, patet diſcrepare ab iis quas magi faciunt. Hecaten verò nullam cum magica ſua ſtatua conjunctam ſic fuiſſe, ut anima humana eſt cum corpore ſuo, tùm [k] ipſorum magorum de abominandis talium imaginum figmentis & ludibriis doctrina ſatis indicat: tùm [l] Euſebius adeò certum judicavit, ut contra illud Hecates ſimiliáq; dicat; *Quid ad vitam utile hominibus exiſtat ex malefica impoſtura? quid Deo gratum habeat inani-*

[a] Galen. de ſimplic. medic. facult. lib. 7. & 8.

[b] Theophraſt. hiſt. plantar. lib. 9. cap. 15.

[x] σκαλαβώταις videtur oraculum, carminis gratia, dixiſſe pro ἀσκαλαβώταις: niſi fortè potiùs legendum ſit καλαβώταις, vocabulo idem ſignificante.

[c] Plin. nat. hiſt. lib. 30. cap. 11.

[d] Procl. de ſacrif. & mag.

[e] Virg. Æneid. lib. 4.

[f] Id. eclog. 8.

[g] Plin. nat. hiſt. l. 15. c. 30.

[h] Pauſan. Corinthiacis.

[i] Corn. Agripp. de occult. philoſ. l. 2. c. 45.

[k] Ibid. cap. 35. & ſequentib.

[l] Præpar. Evang. lib. 5.

[a] *inanimatorum ſimulacrorum curioſitas?* ubi vocabulo *curioſitatis* magiam, ex [2] Scripturæ loquutione, notans, inficiatur ſtatuas impoſtura magica factas animari. Proinde, quum & eas animatas eſſe aſſeveret Hermes, & cunctas, quæ in templis colebantur, ſtatuas tales exſtitiſſe: reſtat Hermetem, non modò falſa ſcribere, quod Bellarminianam *viri ſapientiſſimi* laudem commaculat; ſed ab Ethnicis etiam rejecta & improbata, teſtibus Platone, Proclo, Iamblicho, Plotino, Porphyrio, & Hecates oraculo. Immo [3] princeps horum, Hermete ſapientior, nec ſapientiſſimus tamen, conſtanter & identidem, ut de re apud Ethnicos liquida & certa, affirmat ſtatuas Deorum animatas non fuiſſe: quando ait [3] ipſos animatos Deos habere multam erga homines benevolentiam gratiámq;, quòd inanimatas eorum ſtatuas colant; parentes autem & avos eſſe animata Deorum ſimulacra, quorum cultu & Deus magis delectetur, quàm inanimatorum, & nos juvemur magis; quoniam animata, quum coluntur à nobis, pro nobis comprecantur Deum, ſicut imprecantur contrà quum ſpernuntur, eóſq; comprecantes & imprecantes exaudit Deus; inanimata verò neutrum facere poſſunt. Itaque Hermetis Triſmegiſti verba, de animatis ſtatuis, non probant Ethnicos putaſſe ipſa idola eſſe Deos: vix unum Ethnicum probant.

78 Quid ſi ne vix quidem? Quid ſi ea verba non ſcripſit homo Ethnicus, ſed Chriſtianus quiſpiam Hermetis Triſmegiſti nomen ementitus? ut [b] epiſtolarum Senecæ ad Paulum inſcriptarum autor ementitus eſt nomen Senecæ: ut [c] Hermicus Caiadus Sibyllæ nomine vaticinium de Luſitanis Indiam ſubacturis

[a] ἡ τῶν ἀψύχων ξοάνων περιεργία.
[2] τὸ περίεργον. Act. 19. 19.

[3] Plato, de legib. lib. 11.

[3] Ἐκεῖνος ἡγεῖται τοὺς ἐμψύχους θεοὺς πολλὴν διὰ ταῦτ' εὐνοιαν καὶ χάριν ἔχειν. Quæ verba in Latinis Platonis verſionibus, contra ipſius ſententiam, ad Deos inanimatos, id eſt, ſtatuas, referuntur.

[b] Auguſt. epiſt. 54. ad Maced. Baron. Annal. eccleſ. tom. 1. ann. Dom. 66.

[c] Galſp. Varrer. cenſura in autorem, qui ſub falſa inſcript. Berofi Chald. circumfertur.

[a] Anton. Auguſt. de medagl. dialog. 11.

acturis finxit : ut [a] Annius Viterbienſis commenta ſua ſub Beroſi, Catonis, aliorum, nominibus evulgavit ; & marmoream tabulam, quæ inſculptum habebat, *Ego ſum Iſis*, &c. monſtrabátq; Viterbium ab Iſide & Oſiride fundatum eſſe plus duobus annorum millibus ante Romulum, è vinea ſua Viterbii effodiendam curavit. Nam ex quo Hermetis Triſmegiſti libro citantur verba? Ex Aſclepio. Num Græca lingua ſcripto, qua [b] ceteri Triſmegiſto attributi omnes? Non; ſed in Latinum converſo ab Apuleio : ſic enim inſcribitur; *Aſclepius, Hermetis Triſmegiſti dialogus, Apuleio interprete*. Atqui Apuleium interpretem falſò perhiberi appâret ex limato Apuleii ſtylo, & [c] verſione Ariſtotelis ſeu Theophraſti de mundo, atque [d] inſtituto reddendi Græca Latinè vocabulis elegantibus, cum inculto iſto Aſclepio comparatis. Ubi licèt duo eruditi Critici, magno cum judicio & accuratione in Apuleio verſati, Colvius & Vulcanius, leviter diſſentiant; [e] Colvius affirmans vix quicquam Aſclepio Latino exſtare ineptius, quantum ad verba & phraſes ; [f] Vulcanius negans ſtylum tam ineptum eſſe : tamen ne Vulcanius quidem Apuleio Aſclepii ſtylum adjudicat ; immo contrà addit, pleroſque doctos negare Apuleium ejus interpretem fuiſſe. Quare, ut nugatoris fabula inſcripta, *Daretis Phrygii de excidio Troiæ hiſtoria Cornelio Nepote interprete*, qua vanitate Nepotem interpretem mentitur, eadem Phrygium autorem, ſicuti [g] Varrerius rectè obſervavit : ita hæc inſcriptio, Hermetem Triſmegi-

[b] Iamblich. de myſt. Ægypt. Franc. Patric. nova de univerſis philoſophia.

[c] Apuleii liber de mundo.

[d] Apuleius, apolog. 1.

[e] In vita Apuleii.

[f] Præfat. ad Canter. in Apuleium à ſe editum.

[g] Cenſura, in quendam autorem, qui ſub falſa inſcriptione Beroſi Chaldæi circumfertur.

ſtum

ſtum præferens autorem & Apuleium interpretem, ſuſpectum reddit hominem, qui Latinè voluit videri Apuleius, ne Mercurius quoque ter maximus pari fraude haberi Græcè concupierit.

79 Verùm ſive idem, ſive alius fuit autor, ac interpres, Mercurii certè Triſmegiſti Aſclepium haud cenſendum, in quo ſimulacra dæmonibus animata Diiq; ab hominibus facti dicuntur, docet [a] Iamblichus, teſtis larvato Apuleio certior, gravior, fide dignior: qui, Ægyptiorum tradens myſteria, Mercurii columnis & libris explicata, non modò nihil tale ſcribit de ſtatuis, ſed contrà pronuntiat, *eas nequaquam animatas eſſe; nec, quamvis ex materiis electis conſtruantur obſervatione ſiderum, quicquam tamen inde in ſe divinum habere; atque malè facere nonnullos confidendo ſe characteribus incluſuros ipſam ſubſtantiam alicuius Dei, quo præſente vaticinentur.* Et quidem alia multa non ſolùm in Aſclepio, ſed etiam in Pœmandro, altero dialogo Mercurii nomen præferente, traduntur adeò repugnantia Mercuriali doctrinæ apud Iamblichum: ut magnus Bellarmini ſodalis conjecturam hac ex re fecerit, Chriſtianum potiùs fuiſſe quàm Ethnicum à quo ſcripti ſint. Id enim haud obſcurè ſignificat [b] Poſſevinus, ubi, equum narraſſet [c] *Iamblichum ex Seleuco ac Meneteo priſcis autoribus referre, Mercurium multa millia librorum ſcripſiſſe de univerſa Ægyptiorum ſapientia, in quibus recenſeri de Diis empyreis libros centum, totidem de Diis æthereis, mille de Diis cæleſtibus*; dixiſſétque porrò [d] *Clementem meminiſſe, ætate ſua exſtitiſſe ex iiſdem libris*

[a] De myſteriis Ægypt.

[b] Biblioth. ſelect. l. 1. c. 17.

[c] De myſteriis Ægyptiorum, lib. 3.

[d] Strom. lib. 6.

* *Triginta ſex* habet Clemens, è quorum numero videntur quos recenſet *decem de ſacerdotalibus*, & *quatuor de aſtrologia*. ſed utinam nuſquam capitaliùs erraſſet Poſſevinus.

* *triginta tres de univerſa Ægyptiorum philoſophia, de medicina ſex, de ſacerdotalibus decem, de aſtrologia quatuor*; ac demum addidiſſet, *adhuc à pluribus legi duos dialogos, Pimandrum & Aſclepium, ab Mercurio Triſmegiſto conſcriptos*; hæc verba ſubjicit: *Sed quæ in Pimandro & Aſclepio leguntur, valde abhorrent à ſcriptis quæ de Mercurio Iamblichus attulit. Ac quum nonnulla mira de Deo, de ſanctiſſima Trinitate, de adventu Domini, de futuro iudicio, complecti videantur: habent item præſagium, quod, ad Aſclepium ſcribens, adverſus Ægyptios protuliſſe dicitur tanquam incaſſum idola culturos, inquiens; O Ægypte, Ægypte, religionum tuarum ſolæ ſupererunt fabulæ, eæq; incredibiles poſteris ſuis.* Qua oratione Poſſevinus multo probabiliùs innuit, perſonam Mercurii à Chriſtiano ſimulatam, ob tam Chriſtianas ſententias interjectas: quàm [a] Franciſcus Fluſſas colligit *Apuleium, quòd idololatra fuerit, ea in Aſclepio vertendo inſeruiſſe, quæ Mercurium afficerent contagio idololatriæ, quamvis à ſe remotiſſimo; & Græcum exemplar abrogaſſe, ne (ut putatur) pateat illius in hunc patratum ſcelus.* Nam Mercurium falſò idololatriæ affinem pernegari oſtendunt [b] hymni Deorum, & cetera Ægyptiæ ſuperſtitionis inſtituta ac dogmata, quæ Mercurii libris continebantur. Quòd ſi Apuleius Aſclepium Mercurii in Latinum vertendo adulterare voluiſſet, ac exiſtimaſſet ſe impunè poſſe, qui ſolus Græcum ejus exemplar ſcilicet haberet: inſerturus fuit quæ ſuo de idolis judicio conſentirent; quemadmodum & feciſſe Fluſſatis aſſertio præ ſe fert. At Apuleius, ut [c] erat nobilis Platonicus, [d] cum Platone ſtatuit nullum

[a] Præfat. ad lectorem, in Mercurii Triſm. Pimandram utraque lingua reſtitutum.

[b] Clem. Alexand. Strom. lib. 6.

[c] Auguſt. de civ. Dei, l. 8. c. 12.

[d] Apulei. de Deo Socratis.

lum Deum hominibus miſceri aut intereſſe; & Deorum effigies rectè adhiberi ad eorum cultum; & [a] ab his ſolennibus communibúſq; ſimulacris ſimulacra magica magnopere diſcrepare. Quum igitur Aſclepius Triſmegiſto adſcriptus [b] affirmet ſtatuas, quas in templis colebant, eſſe Deos ab hominibus factos; & dæmones animarum inſtar illis inditos fuiſſe arte magica; proavóſq; ſuos multùm erraſſe, qui talem religionis ritum inſtituerint: veriſimilius eſt Chriſtianum aliquem, ex eorum numero, qui, haud ſatis edocti [c] Chriſtianam fidem, licitum duxerunt mentiri officioſè, & falſa alieno ſub nomine in bonum finem conſcribere; quales [d] permultos tulit priſca ætas, partim ab Apoſtolis, partim ab aliis convictos falſi, & damnatos; ex horum, inquam, numero aliquem veriſimile eſt exaraſſe librum eum ſub perſona Hermetis & Apuleii, quò magis odioſam talium Ethnicorum ſcriptorum autoritate idololatriam redderet. Ita in uno duorum ſapientiſſimorum virorum Bellarmini videtur propriè impletum, quod vetere proverbio figuratè dictum eſt: * *Vnus vir, nullus vir.*

[a] Apolog. 1.

[b] Cap. 9. & 13.

[c] Eph. 4. 25. Auguſtin. contra mendacium.

[d] 2. Theſſ. 2. 2. Hieron. catalog. ſcriptor. eccleſ. in Luca. Diſt. 15. c. Sancta Romana. Sixt. Sen. biblioth. ſanct. lib. 2.

* εἷς ἀνὴρ, οὐδεὶς ἀνήρ.

80 Quid? In altero, in *Arnobio*, num meliùs Jeſuitæ res ſuccedit? Pejùs. Nam *Arnobius libro primo contra Gentes, Venerabar, inquit, ô cæcitas, nuper ſimulatra modò ex fornacibus promta, in incudibus Deos, & ex malleis fabricatos. Et infrà: Tanquam ineſſet vis præſens, adulabar, affabar, & beneficia poſcebam. Et infrà: Deos eſſe credebam ligna, lapides, oſſa, aut in huiuſmodi rerum habitare materia.* Quibus verbis Arnobium Afrum non docere, ſe, quo tempore Ethnicus erat, credidiſſe ipſa eburnea, lapidea,

pidea, ligneáq; idola Deos eſſe, poſtrema ſententia elata per diſjunctionem, *Deos eſſe credebam, aut in huiuſmodi rerum habitare materia*, manifeſtò indicat. Præſertim accedente [a] Auguſtini Afri, de qua ſuprà dictum eſt, obſervatione: in unoquoque nempe gigni hunc errorem ex ſimulacri ſpecie, quum in eminenti collocatum ſuggeſtu adorari & honorari à multitudine cœperit, ut quoniam in illo figmento non invenit vitalem motum, credat numen occultum; atque effigiem, viventi corpori ſimilem, ſine vivo aliquo habitatore eſſe non putet. Quemadmodum enim Auguſtinus oſtendit Ethnicos diſtinxiſſe figmentum à Deo, quippe qui dicerent, ſe non colere ſimulacrum, ſed numen quod illic inviſibiliter habitat; aut, per corporalem effigiem ejus rei ſignum intueri, quam colere deberent: ſic Arnobius, [b] eadem ab Ethnicis dici notans, & [c] ipſos profiteri, ex maſculis fœminiſq; progenitos eſſe Deos, quos in rerum natura vel arbitrarentur eſſe, vel crederent, quorúmq; ſimulacra in templis conſtituerent, declarat ſe diſcrimen inter effigies Deorum & Deos agnoviſſe. Præterea ſcribit [d] Arnobius *Platonem, haud communia multitudini ſentientem, perhibere Deos Dei regis ac principis voluntate factos expertes diſſolutionis*: nec immortales ſolùm hoc modo à Platone, ſed etiam [e] *incorporales à ſapientibus credi*. Bellarminus autem Arnobium ait ſapientiſſimum virum exſtitiſſe. Quod ut concedamus; quanquam [f] Hieronymus oſtendit aliter ſibi viſum, accenſendo eum ſcriptoribus parum orthodoxis; opinor, & [g] Baronius, *nævorum* mentione, quos facilè deprehendet qui reputabit quæ

[a] In pſalm. 113. concion. 2.

[b] Contra Gent. lib. 6.

[c] Lib. 7.

[d] Lib. 2.

[e] Lib. 7.

[f] Epiſt. 76. ad Tranquillin.

[g] Annal. eccleſ. tom. 2. anno Dom. 302.

de

[a] de anima, de creatore hominis, de aliis rebus disserit; sed ut sapientissimum exstitisse demus: tanto magis existimandus est credidisse cum sapientibus & Platone, idola corporalia & corruptioni obnoxia Deos non esse.

[a] Arnob. lib. 2. 3. & 7.

81 Nec verò, quia dicit, *Venerabar, ô cæcitas, simulacra modò ex fornacibus promta, Deos in incudibus & ex malleis fabricatos, elephantorum ossa, picturas*, & quæ sequuntur; item, *Tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam de trunco nihil sentiente*: propterea sensisse putandus est vir prudens truncum esse Deum, signáq; & picturas numina. Etenim [b] Papistæ venerantur, ô cæcitas, simulacra modò ex fornacibus promta, Crucifixos in incudibus & ex malleis fabricatos: sensúsq; expertibus truncis ac picturis, tanquam inesset vis præsens, supplicant, blandiuntur, & gratiam ab illis petunt. At qui Papistæ? Num rudiores, & stupidiores: qualis Anglicana nostra anicula? Immo sapientia similiores Arnobio: viri Hispani, Itali, Romani. Lucius Marineus Siculus, historiographus regius Imperatoris Caroli Quinti, [c] in Hispania quinquaginta propemodum annos commoratus, ac de rebus ejus memorabilibus magno studio conquisitis, & bene perspectis, quàm verissimè scribens, [d] narrat *apud urbem Burgensem templum esse ordinis Augustiniani, in quo Christi*, inquit, *Salvatoris imaginem crucifixam adoravimus, quæ à Nicodemo facta perhibetur: cuius imaginis invocato numine multos infirmos convaluisse nobis affirmârunt plures homines fide digni*. In æde S. Petri Romæ asservatur sudario impressa effigies

[b] Missal. Rom. feria VI. in Paraseeve.

[c] Hist. de reb. Hispan. prolog. 1. ad Imperatorem Carolum.

[d] De reb. Hisp. lib. 5.

vultus Chriſti, quam *Veronicam* vocant, nomine mulieris, [a] à qua ſudarium traditur faciei Chriſti ſanguine & ſudore aſperſæ admotum eſſe, & vultus ejus effigiem in ſe retinuiſſe. Eſt & quædam civitas Hiſpaniæ, quæ eodem ſudario gloriatur; nec immeritò, ſi [b] regio hiſtoriographo credimus: æquè meritò ſanè, ut ego credo, ac Roma. Ad utrum horum ſudariorum dicenda ſit oratio, quam Johannes Viceſimus ſecundus edidit, neſcio: ſed ab illo Papa conceſſa [c] memorantur decem millia dierum indulgentiarum devotè dicentibus orationem iſtam, inſpiciendo Veronicam.

[a] Baron. Annal. eccleſ. tom. 1. anno Dom. 34. Calvin. admonit. de reliquiis.
[b] Marin. Sic. de reb. Hiſp. lib. 5.
[c] Lib. orat. inſcript. *Antidotarius animæ.*

Salve ſancta facies noſtri redemtoris,
In qua nitet ſpecies divini ſplendoris,
Impreſſa panniculo nivei candoris,
Datáq; Veronicæ ſignum ob amoris.
Salve decus ſeculi, ſpeculum Sanctorum,
Quod videre cupiunt ſpiritus cælorum;
Nos ab omni macula purga vitiorum,
Atque nos conſortio iunge beatorum.
Salve vultus Domini imago beata,
Ex æterno munere mirè decorata:
Lumen funde cordibus ex vi tibi data,
Et à noſtris ſenſibus tolle colligata.
Salve robur fidei noſtræ Chriſtianæ,
Deſtruens hæreticos qui ſunt mentis vanæ:
Horum auge meritum qui te credunt ſanè,
Illius effigie qui rex ſit ex pane.
Salve noſtrum gaudium in hac vita dura,
Labili, & fragili, citò peritura:
Nos deduc ad propria, Ô FELIX FIGVRA,
Ad videndam faciem quæ eſt Chriſti pura.

Verùm

Verùm utricunque tandem Veronicæ, Romanæ, an Hiſpanicæ hoc politulo rhythmo blanditus ſit Johannes Viceſimus ſecundus, in medio utriuſque, Lugduni, aut Avenione degens: certè [a] quum Romana Veronica die Paſchæ oſtenderetur, jubente Pio Secundo, *populus pro ſuo more miſericordiam ter imploravit*. Ac forſitan expendentibus verba [b] Marci Tullii ad Quintum fratrem, *Mi frater, mi frater, mi frater*, rhythmus ille Johannis minùs acrem precum blanditiam præ ſe feret, quàm triplex hæc Romana *miſericordiæ, miſericordiæ, miſericordiæ* imploratio. Quòd ſi Pontificii non putant effigies ipſas Crucifixi eſſe Crucifixos, nec Veronicas Chriſtos, quas tamen venerantur, ô cæcitas, invocántq; : Arnobium multo minùs evincit Bellarminus credidiſſe ipſa idola Deos eſſe, quàm Triſmegiſtum evicit.

[a] Comment. Pii. II. lib. 8.

[b] Epiſt. ad Quint. fratr. lib. 1. ep. 3.

82 Denique, ut hoc etiam ei largiamur, & ponamus ſtatuas pro Diis ab utroque, cùm Triſmegiſto, tûm Arnobio, habitas fuiſſe: tamen ne ſic quidem ſequitur concluſio Bellarminiana, *proinde mentiri* videlicet *Calvinum, qui neget Ethnicos ſenſiſſe ligna & lapides eſſe Deos*. [c] Calvinus enim hoc reſponſum opponens Pontificiis, negantibus imagines pro Diis reputari, perſpicuè commonſtrat ſe id eodem ſenſu dicere de Ethnicis, quo Papiſtæ verè de ſeipſis dicunt. Papiſtæ autem verè id de ſe dicunt, quia, qui judicio præſtant inter ipſos, & publicam doctrinam Papiſtarum callent, non reputant imaginem Crucifixi pro [d] Crucifixo, nec Veronicam pro vultu [e] Chriſti: utut quidam Papiſtæ, *invocantes numen imaginis Crucifixæ*, quemadmodum ſcribit Mari-

[c] Inſtit. lib. 1. cap. 11 §. 9.

[d] 1 Cor. 2. 2. Concil. Trid. ſeſſ. 3.

[e] 2 Cor. 5. 16. Col. 3. 1.

Marineus, illam pro Deo reputaſſe probentur; & quidem capti eadem Satanæ aſtutia, qua [a] Hermes Æſculapii ſtatuam Deum facit, quòd ſcilicet *multi infirmi precibus ad eam fuſis convaluerant*. Quocirca, licèt plures Hermete & Arnobio putaſſent ſimulacra Deorum eſſe Deos: Calvini tamen dictum de Ethnicis verum foret, quoniam Homerus, Heſiodus, Socrates, Plato, Xenophon, Ariſtoteles, Theophraſtus, Scævola, Varro, Cicero, Seneca, Plutarchus, Maximus Tyrius, innumerabiles alii doctrinæ Ethnicæ periti, & publica demum poetarum ac philoſophorum pontificúmq; magiſteria, Deos alios eſſe quàm ligna & lapides cenſuerunt.

[a] In Aſclepio, cap. 9. & 13. Apud Aug. de civ. Dei, l. 8. c. 23. & 26.

83 Atque hîc obiter animadverſu dignum eſt, quanto magis candidè, ſolidè, ſincerè verſatus ſit Calvinus in ſcribenda ſua Inſtitutione religionis Chriſtianæ, quàm Jeſuita iſte in ea vellicanda. Quippe Calvinus, objecto Papiſtarum effugio, *Non reputantur, inquiunt, pro Diis imagines*, etſi potuiſſet Bellarmini more, immo juſtiùs, reſpondere, ex Polydori Virgilii & Marinei verbis, multos ita colere imagines quaſi ipſæ ſenſum aliquem habeant, minúſq; Chriſto quàm iis fidere, & earum numina invocare; ac proinde mentiri Papiſtas, quum hoc dicunt: agnoſcens tamen eos, qui hanc latebram quærunt idololatriæ, de viris oculatis & perſpicacibus loqui, non de homuncionibus cæcis aut lippis, admittit abſque omni tergiverſatione pronuntiatum ut verum. Bellarminus autem, qui debuit ſimiliter agere cum Calvino, & reſponſi ejus ſententiam ex enuntiato, ad quod reſpondet, æſtimare, cavillatur neſcio quem Hermetem Ægyptium putaſſe magicas ſtatuas in templis

templis esse Deos, & Arnobium idem aut aliud credidisse, nec dissentire Scripturas, Patres, & Horatium; ac proinde mentiri Calvinum quum id dicit. Nimirum illa sancti Davidis vox aurea, [a] *Ab improbis prodeat improbitas*, Jesuitas tangit ob multo plures causas quàm ob eam unam quæ Davidi vocis occasionem præbuit: etsi ob eam quoque [b] Jesuitas tangit.

[a] 1. Sam. 24. 14.

[b] Quæstio parricidii à Jo. Chastel, Iesuitarum discipulo, in Henr. IV. Francorum regem attentati.

84 Luculentius verò documentum improbitatis ab improbis prodeuntis habemus in Valentiano: qui majore calumnia & minore specie rationum [c] concludit, *Calvinum pravo studio abreptum somniare, Ethnicos simulacra pro Diis non habuisse, sed hoc fuisse idololatras quòd Deum verum in signis venerarentur*. Ubi veterator ita *veri Dei* mentionem injicit, ut lectoris animum subire possit suspicio, Calvinum affirmare, Ethnicos verum Deum in simulacris omnibus veneratos esse: quum disertè contrà pronuntiet [d] Calvinus, *Deos falsos* fuisse quos Ethnici in simulacris colere consueverint; &, quod de *Deo* [e] addit, intelligendum relinquat de quibusdam tantùm; ut etiam Papistæ, licèt in nimiùm multis signis Deum colant, in plurimis tamen Sanctos, quos falsos Deos faciunt.

[c] De idololatr. lib. 1. cap. 5.

[d] Instit. lib. 1. cap. 11. §. 9.

[e] Ibid. § 10.

85 Ac trium argumentorum, quibus Calvinum ex *Scripturis*, *Patribus*, *Lucilióg*, refellendum suscipit, primum hoc est: [f] *Scriptura, quum tam crebró, tam accuratè describit simulacrorum imbecillitatem indignitatémg, eorum inprimis stultitiam deridet atque coarguit, qui divinitatis aliquid ipsis tribuebant: perspicuum igitur ex Scripturis est Gentiles plerosque simulacra pro Diis habuisse*. Cujus enthymematis futili-

[f] Sap. 13. & 14. Psalm. 113. Esai. 41. & 44. Oseæ 8. 1. Cor. 8. 12. Habac. 2. & aliàs passim.

futilitatem retegunt quæ contra Bellarminum, ex appoſitiſſimis eorundem locorum Scripturæ, quos ad marginem Valentianus notat, paulo ſpecioſiùs diſputantem [a] dicta ſunt. Sed Valentianus, ſi numen Crucifixæ imaginis invocatum à popularibus ſuis Hiſpanis, quorum memini, recordari voluerit, clariùs fortè cernet vim conſequutionis in enthymemate iſto: Scriptura, quum tam crebrò, tam accuratè deſcribit ſimulacrorum imbecillitatem indignitatémq;; eorum inprimis ſtultitiam deridet atque coarguit, qui divinitatis aliquid ipſis tribuunt: perſpicuum igitur ex Scripturis eſt Papiſtas pleroſque ſimulacra pro Diis habere.

[a] Suprà, §. 65. & ſequentibus.

86 Secundum argumentum hac ſententia vibrat: *Quod ad Patres attinet, non eſt dubium quin paſſim* [b] *illi contra eos diſputent, qui tùm alias creaturas, tùm etiam ſimulacra ſint venerati ut Deos.* Et nónne acutiſſimam hinc concluſionem lectori tacitè inferendam relinquit Valentianus, quæ Papiſtas pari ratione jugulet? præſertim quum [c] Lactantius, unus è Patribus quos nominatim citat, contra quarumvis imaginum cultum diſputet? diſertiſſiméq; concludat generatim; [d] *Quare non eſt dubium, quin religio nulla ſit, ubicunque ſimulacrum eſt?*

[b] Cyprian. de vanit. idolor. Tertullian. apologet. ca. 11. Lactant. lib. 1. de falſa religione, præſertim cap. 22. Auguſtin. in pſalm. 113. & Serm. 64. de tempore. Chryſoſt. homil. 57. in Gen. quum irridet illud Laban, Quare furatus es Deos meos?

87 At tertio argumento, quod tanquam in ſubſidiis poſtremę aciei reſervat, rem ad vivum reſecat, non ſolùm ex Lactantio, ſed etiam ex Lucilio, dicens: *Et Lucilius quidem, poeta vetus, non perperam (ut eſt apud* [c] *Lactantium) eorum ſtultitiam, qui ſculptilia Deos putaverunt, deriſit his verbis:*

Vt pueri infantes credunt ſigna omnia ahena
Vivere, & eſſe homines: ſic iſti omnia ficta,

Vera

[c] Lib. 2. cap. 2. & ſequentibus.
[d] Ibid. cap. 18.
[e] Lib. 1. cap. 22.

Vera putant; credunt signis cor ineſſe ahenis.
Pergula pictorum, &c.

Quibus verſibus ſententiam quoque ſuam ſubiunxit eleganter Lactantius: Poeta quidem, ait, ſtultos homines infantibus comparavit; at ego multo imprudentiores eſſe dico: illi enim ſimulacra homines putant eſſe; hi Deos: illos ætas facit putare quod non eſt; hos ſtultitia: illi utique brevi deſinunt falli; horum vanitas & durat, & ſemper creſcit. Ecce firmamentum, ex quo Valentianus, *Hoc teſtimonium*, inquit, *quùm ſit illuſtre, appâret perverſum eſſe Calvini ſtudium, quòd, ut Catholicis veteris idololatriæ notam inurat, Ethnicos à vanitate & ſtultitia vendicare conatur, quum ſomniat, ſimulacra olim illos pro Dijs non habuiſſe, ſed hoc fuiſſe idololatras, quòd Deum verum in ſignis venerarentur.* Ceterùm iſtud tuum *appâret*, Valentiane, minimè appâret: quantumvis teſtimonium illuſtre ſit, quod urges. Quid enim? An Lucilius notavit cunctos Ethnicos nomine *iſtorum*, quos irriſit veluti credentes ipſa ſigna ænea Deos eſſe? aut tam latè patet *ſtultorum* appellatio in verbis Lactantii? Atqui, & [a] urbem, id eſt, Romanos Satyris ſuis perſtrinxit Lucilius, non orbem: nec Romanos omnes tam ſtolidos eſſe dixit; [b] non enim alios notavit, quàm notatu dignos; & multi hac nota indigni erant. Nam Scævola, Pontifex maximus, [c] diſputans *tria genera tradita Deorum, unum à poetis, alterum à philoſophis, tertium à principibus civitatis*; [d] quorum nullum ex ſignis æneis conſtabat; evidenter indicat homines doctrina prudentiáq; excellentes in eo errore

[a] Horat. lib. 1. ſatyr. 10. Perſ. ſatyr. 1.

[b] Horat. lib. eod. ſatyr. 4.

[c] Apud Auguſt. de civ. Dei, li. 4. ca. 27.

[d] Ibid. & lib. 6. cap. 5. lib. 7. cap. 17. ex Varrone.

errore non fuiſſe. De indoctis autem tantundem innuit, quum adjungens, *ſecundum genus Deorum* (id eſt, philoſophorum doctrinam de Diis traditam) *aliqua habere quæ obſit populis noſſe*, in iis hoc recenſet, *quòd civitates vera non habeant ſimulacra eorum qui ſint Dii, quia verus Deus nec ſexum habet, nec ætatem, nec definita corporis membra*: perinde quaſi diceret, populos opinari, ſimulacra, num Deos eſſe? nihil minùs; ſed eorum veram ſpeciem exprimere, qui licèt ſexu, ætate, corporiſq; membris diſcriminentur, ſint tamen Dii. Unde & [a] Varro dicit, *de generationibus Deorum magis ad poetas, quàm ad philoſophos, fuiſſe populos inclinatos*: & [b] Cicero affirmat *vulgus imperitorum, non membra ſolùm hominis Deo tribuere, ſed uſum etiam membrorum; nec poſſe nihil agentem Deum cogitare, etſi, actiones quæ ſint Deorum, non vident*. Quamobrem Lucilius ne imperitis quidem Romanis omnibus illam notam inuſſit, ſed rudioribus tantùm ſtupidioribúſq;, ut loquitur [c] Polydorus Virgilius de multis ſimilibus ſub Papatu. Eodem planè ſenſu Lactantius *ſtultorum* mentionem facit. Quippe [d] qui Lucilium ob id ipſum citat, ut *prudentes quoſque Ethnicos eorum errorem perſpexiſſe* probet: & [e] ubi Gentilitiam cultus ſimulacrorum defenſionem tractat, *Non ipſa, inquiunt, timemus, ſed eos ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus conſecrata ſunt; in cœlo Deos eſſe opinione* [f] *vulgi ac imperitorum hominum* ſignificat. Itaque, licèt illuſtre ſit Lactantianum cum Lucilii verbis conjunctum teſtimonium, non appâret tamen Calvinum dicti, nedum ſtudii perverſitate peccare, quòd aiat

[a] Apud Aug. de civ. Dei, lib. 6. cap. 6.
[b] De nat. Deor. lib. 1.
[c] De invent. rer. l. 6. c. 13.
[d] Lib. 1. ca. 22.
[e] Lib. 2. cap. 2.
[f] Ibid. cap. 3.

aiat Ethnicos haud putaſſe imagines ipſas eſſe Deos, ſed idololatriam Deo in ſimulacris colendo commiſiſſe.

88 Verùm è contrario appâret Valentianum iniquè ac mendaciter ea intorquere, quæ tûm Jeſuitas convincant pravitatis, ſi [a] idem jus dicatur ejus Societati, quod ipſe noſtræ dicit: tûm ipſius etiam confeſſione & ſcriptis calumnioſa & falſa eſſe comprobentur. Etenim [b] Campianus atque [c] Poſſevinus Epiſcopos in Tridentina Synodo coactos *delectum Epiſcoporum totius orbis* nominant. Re autem vera longè plures Epiſcopi ex Italia ſola, quàm ex reliquo orbe terrarum univerſo, illuc convenerunt; (nam [d] ex reliquo orbe fuerunt circiter octoginta, Itali pæne ducenti:) & hi plerique omnes à Pontificibus Romanis, Pio Quarto, Paulo Quarto, Julio Tertio, & eorum anteceſſoribus creati ſunt Epiſcopi. Paſquillus verò marmoreus, qui, quo Lucilius olim officio Romæ functus eſt, eodem fungitur hodie, indignè ferens fatuos & amentes Epiſcopos, etiam Cardinales, à recentioribus Pontificibus creatos, Papam affatus eſt his verbis:

Optime Pontifex, galerum
Paſquillo hunc tribuas roganti.
Si imbelle ſum atque rude marmor,
Complures quoque Epiſcopos creari
Ipſo me magè ſaxeos videbis.

Cui Paſquilli dicto ſubſcribit [e] Papirius Maſſonus, autor [f] Baronii ore commendatus. Quum igitur illuſtre ſit Papirianum Paſquillo junctum teſtimonium, ex Valentianenſi argumentatione patet pra-

[a] L. Hoc edictum. D. Quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit.

[b] Ration. 4.

[c] Biblioth. ſelect. l. 7. c. 20.

[d] Catalog. Patrum, qui ad Tridentinam Synodum convenerunt. In append. Conc. Trid.

[e] De Epiſcopis urbis, lib. 6. in Eugenio IV.

[f] Notat. in Martyrol. Rom. Auguſt. 25.

pravum eſſe Jeſuitarum ſtudium, quòd, ut Chriſtianos pelliciant ad Papiſticam idololatriam, Epiſcopos Synodi Tridentinæ à ſtupore ſaxeo lapideáq; inſcitia vendicare conantur, quum ſomniant eos non fuiſſe Italicas Papæ creaturas, ſed Epiſcoporum totius orbis florem. Et quanto probabilior ſit concluſio iſta, quàm Valentiani, teſtentur Ludovicus Cardinalis Arelatenſis, atque Eſpencæus: quorum [a] alter in Synodo Baſileenſi dixit, *ſi Epiſcopi ſoli vocem in Conciliis deciſivam habeant, id demum factum iri, quod nationi placebit Italicæ, quæ ſola nationes alias in numero Epiſcoporum aut ſuperat, aut æquat*: [b] alter, pronuntians *Ludovicum Arelatenſem hoc de natione Italica meritò queſtum eſſe*, ſubjungit, *Hæc illa eſt Helena, quæ nuper Tridenti obtinuit*. Proinde multo magis appâret Jeſuitarum ſtudium perverſum eſſe, quàm Calvini, modò Chriſtiani finamur dicere Jeſuitæ, quod [c] Mario tyranno tyrannicida dixit, *Hic eſt gladius quem ipſe feciſti*: & Valentianum fas nobis ſit tractare ut rapacem militem, cui [d] bonus Imperator, *Viſne hoc*, inquit, *in agro tuo fieri, quod alteri facis?*

[a] Æn. Sylv. de geſt. Baſil. Concil. lib. 1.

[b] Eſpenc. comment. in epiſt. ad Tit. cap. 1.

[c] Trebell. Poll. in triginta tyrann.

[d] Alexander Severus, apud Ælium Lampridium.

89 Ethnicos porrò, neque ſimulacra pro Diis reputaſſe, & Deum verum in quibuſdam ſignis coluiſſe, non modò ſcriptis ſuis fatetur Valentianus, ſed etiam confirmat. [e] Is enim ait, *ex diverſa ratione creaturæ, cui exhibetur honor divinus, manaſſe olim varia idololatriæ genera: unum, quorundam, qui ſimulacra credebant divinis ſpiritibus animari ab idolorum fabricatoribus, itáq; Deos confici; ut Hermes Triſmegiſtus apud* [f] *Auguſtinum: alterum, aliorum, qui Iovis, Apollinis, Dianæ, ceteráſq; imagines, aut ad totum mundum mundive partes ſignificandas referebant,*

[e] De idololatr. lib. 1. cap. 2.

[f] Lib. 8. de civ. Dei, cap. 23.

ut

at [a] *Varro; aut ad eos quos* [b] *proditum est homines fuisse, ut Ethnici crassiores: tertium* [c] *Platonicorum, qui præter summum Deum colebant Angelos, Dæmones, cœlestiúmq; corporum animas, & hominum.* Ad quæ sola capita quum idololatriæ veteribus Ethnicis usitatæ modos omnes revocet; neque simulacra ipsa pro Diis habita contendat ullo in genere, nisi primo tantùm; ubi unicus item Hermes, si tamen Hermes, ei suffragatur: restat ex ipsius distributione, quà Patrum, quà Gentilium testimoniis nixa, Ethnicos simulacra pro Diis non habuisse, ne crassiores quidem; sed creaturas, falsò Deos reputatas, in signis veneratos esse. In quibusdam autem eos verum etiam Deum coluisse demonstrat Valentianus, quia *Tridentinus Catechismus*, quo hoc asseritur, uti suprà docui, *autoritatem habet* ex Valentiani fide *infallibilem*. Nam eum Catechismum *Pius Quintus* edidit, ab universa Ecclesia recipiendum ac tenendum: & quicquid hunc in modum à Pontificia autoritate prodit, id [d] Valentianus *infallibiliter tradi* perhibet.

[a] Teste D. Aug. lib. 7. de civ. Dei, ca. 6. & 16.

[b] Vt videre est apud Aug. lib. 8. de civ. Dei. cap. 5. & Lactant. l. 1. c. 8. & deinceps.

[c] Vide Platonem in Epinom. & in Phædone: & D. August. l. 8. de civ. Dei, c. 6. & 12. & l. 10. c. 1.

[d] Analys. fid. Cathol. lib. 8. cap. 2. & 10.

90 Quapropter, ut [e] Jezabelem, patronam Baaliticæ idololatriæ, [f] famosam scortationibus præstigiísq; fœminam, sui de fenestra deturbârunt aulici; nec cadaver ejus supereſſe passa est divina ultio, per Eliam prophetam à Domino prædicta: ita Jesuiticam idololatriæ Papisticæ defensionem, qua negant Ethnicos Judæósve in signis Deum coluisse, præcipitem ex Ecclesia exturbant sui eunuchi; & idoli nomen non solùm aliarum verarum rerum imaginibus, sed etiam veri Dei, in Scriptura tribui, manifestis Spiritus sancti testimoniis comprobatum est.

[e] 1. Reg. 18. 19.

[f] 2. Reg. 9. 22.

CAP. IV.

Hebræa quædam idoli nomina, prophetam Habacuc, & Platonem, ineptè à Bellarmino ad erroris ſui patrocinium citari.

Bellarminus.

Secundò, quia Scriptura Teſtamenti veteris idola vocat ordinariè אֱלִילִים, *ut Levit.* 19. 26. *& alibi, vel* אֲוִנִים, *ut Num.* 23. *Oſeæ* 6. *& alibi. Porrò* אֱלִיל *ſignificat vanum, falſum; & ſimiliter* אֶוֶן *vanum, mendacium. Interdum etiam vocat* שֶׁקֶר, *id eſt, mendacium, ut Hieronymus notat in cap.* 7. *Oſeæ. Vbi ſemper vides idolum aliquid falſi ſignificare. Denique Habacuch ſecundo ait Scriptura:* Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam? *Vbi clariſſimè definitur idolum imago falſa. Cui ſimile eſt quod ait Plato in Theæteto, cùm ait* ψεύδη καὶ εἴδωλα πολὺ πλείονος ποιοῦνται τῆς ἀληθείας, *id eſt, mendacia & idola pluris faciunt, quàm veritatem, ubi idolum cum mendacio coniunxit, & veritati oppoſuit.*

Rainoldus

Rainoldus.

POstquam idololatræ Achabi filius Joram, atque conjux Jezabel, ex [a] divini verbi præscripto necati essent: restabant [b] ceteri ejus filii septuaginta, itidem, ex eodem decreto, extinguendi. Mihi verò, qui Bellarmini Joramum & Jezabelem duobus antegressis capitibus delevi, supersunt, etsi multo pauciores fœtus, eadem tamen verbi divini sententia condemnati omnes: & in quibus illud dignissimum est servatu, quod [c] Romani milites, Maximinum filium cum patre jugulantes, conclamaverunt, *Ex pessimo genere ne catulum quidem habendum.*

[a] 2. Reg. 9. 7.
[b] 2. Reg. 10. 6.
[c] Aurel. Vict. epit. de vita Imperat. Rom.

2 Ac primus inter istos Bellarmini catulos argumentum exhibet ex Hebraicis vocibus, און, אליל, & שקר: quæ *idolum notant in vetere Testamento; significant autem vanum, falsum, mendacium.* Sed quo pacto suam hinc assertionē infert Bellarminus? Videlicet, *Ibi*, inquit, *semper vides idolum aliquid falsi significare: idoli ergo nomen apud Ecclesiasticos scriptores nusquam denotat imaginē rei veræ.* Nam hoc est quod *secundò probari* asseverat: innuens probari ex ista saltē parte; nempe, quoad scriptores veteris Testamenti. Et sanè verba ipsa primo aspectu nervosam prę se ferunt ratiocinationem, ex contrariis quasi contrariorum consequentibus: Idolū semper aliquid falsi significat in vetere Testamento; ergo nusquam ibi designat

imaginem rei veræ. Ceterùm attentiùs ea intuentibus duæ luculentæ fraudes ſe aperiunt: altera occultata ſub vocabulo, *ſemper*; altera ſub, *aliquid falſi*. Quippe vox, *ſemper*, ita intertexitur, ut enuntiatio univerſalis eſſe videatur, quæ reapſe particularis eſt. Etenim initium enuntiationis exprimitur illis verbis: *Scriptura teſtamenti veteris idola vocat ordinariè* אלילים, &c. ubi ſententia Bellarmini falſa ſit, ſi voce, *ordinariè*, ſignificet ſemper, aut plerunque. Nec enim hiſce tribus appellationibus idola toties notat Scriptura veteris Teſtamenti, quoties ea vocat פסילים, id eſt, ſculptilia: ut omittam עצבים, אלהים אחרים, גלולים, צורים, בעלים, חמנים, אימים, & alia multa nomina, quæ idolis indit eadem Scriptura. Idcirco Bellarminus exponat ſe oportet, idola ſæpenumero in vetere Teſtamento notari iis vocibus, quæ ſonent aliquid falſi. In cujus enuntiati parte extrema quum interſerit *ſemper*, quò perſuadeat nobis idoli nomen nuſquam in vetere Teſtamento adhiberi ad veram imaginem notandam: perſimiliter facit ac ſi Maurus quiſpiam, perſuaſurus nuſquam in orbe habitabili eſſe homines albos, diceret hoc probari, quia in multis locis ſunt atri, ut in Æthiopia, India, Ægypto, Taprobana, alibi; & in quibuſdam fuſci, ut in Hiſpania; ubi ſemper vides hominum colorem habere aliquid nigri. Quin eodem prorſus argumenti genere, ſi liceret nobis eſſe tam diſertis, contrarium probaremus: ſcilicet, idolum in vetere Teſtamento nuſquam ſignificare ſimilitudinem falſam. Namque Scriptura Teſtamenti veteris idola vocat ordinariè תרפים, ut Gen. 31. Zac. 10. & alibi:

vel

vel צלמים, ut Num. 33. Ezek. 7. & alibi. Porrò * תרף significat simulacrum hominis: & צלם imaginem rei veræ. Interdum etiam vocat צור, id est, rupem: ut patet Deuteronomii cap. 32. Ubi semper vides idolum aliquid veri significare. Ergo idoli nomen nusquam inditur similitudini falsæ in vetere Testamento. Atque hæc est prior cerussa Jesuitæ, qua fœdissimam suam rationem fucat.

*Vt ego singulare ex plurali תרפים eodem iure formem, quo Bellarminus format צורים plurale ex singulari צור

3 Posterius purpurissum ex verbis, *aliquid falsi*, incrustat maculam turpiorem, dum inde colligi vult, idolum non significare imaginem rei veræ. Siquidem in [a] pastore derelinquente gregem aliquid falsi inest, quòd perfidiosè negligat officium divinitus sibi demandatum: eúmq; Testamenti veteris Scriptura appellat אליל, & *idolum*, ut [b] Hieronymus vertit. Tamen hujusmodi pastor simulacrum est pastoris veri: & idolum dicitur, judice [c] Carranza, ob repræsentationem rei, quam verè non habet, sed mortuam ejus imaginem. In [d] hominibus cunctis, etiam in Principibus, & amplissimis Principum viribus copiisq; aliquid falsi inest: vt experientia magistra didicerunt qui [e] fiduciam temere in illis collocantes, quam in solo Deo verace & omnipotente debebant, decepti sunt. Unde Scriptura Testamenti veteris mortales [f] omnes vocat אדם; neque [g] plebeio solùm homine natos, sed & præstante viro, appellat *vanitatem* atque *mendacium*; & [h] equum (quo præsidia [i] bellica per synecdochen notantur) שקר nuncupat. Tamen quis ignorat [k] hominem quemcunque imaginem esse Dei: ac præsertim Principem, qui [l] Dei & vice fungitur, & nomine honoratur. Quocirca licèt istæ voces Bellarmini imagi-

[a] Zac. 11. 17.
[b] Vulg. Lat. edit. Biblior. & comment. in Zachar. ca. 11.
[c] De necessar. residen. ministror. eccles. cap. 3.
[d] Rom. 3. 4.
[e] Ier. 17. 5.
[f] Esai. 41. 29.
[g] Psal. 62. 10.
[h] Psal. 33. 17.
[i] Iob. 39. 22.
[k] Gen. 1. 27. & 9. 6.
[l] Exod. 22. 28. Psal. 82. 1.

nem veri gerant, tamen aliquid falſi in eis item ineſt, atque adeò multum: quę propterea negant idolo ſignificari imaginem rei veræ in vetere Teſtamento, quoniam inſignitur appellationibus notantibus aliquid falſi.

4 Nimirum, ſi verum quærimus, idolis talia nomina induntur ab effectu, quòd fallant exſpectationem idololatrarum, qui ſe ab iis adjutum atque conſervatum iri confidunt. Nam quemadmodum [a] Jobus amicis ſuis dixit, *Medici* [1] אלילי *omnes eſtis*, quòd [b] fefelliſſent ipſum, neque ſalutarem conſolationis pię medicinam, quam ſubminiſtraturos ſperaverat, attuliſſent: ſic David, ut oſtenderet cunctos falſos Deos vanos ac nullarum prorſus eſſe virium, ſi cum Deo vero, cœli, terræ, omnium rerum conditore comparentur, ait; [c] *Omnes Dii populorum ſunt* [2] אלילים, *Iehova verò cœlos fecit*. Atqui non omnes Dii populorum erant imagines pictæ aut fictæ. [d] Apud Seras, homines juſtitiæ amantiſſimos, lege cavebatur ne colerentur ſimulacra. [e] Perſæ non ſolùm ſimulacra nulla Deorum ipſi ſtatuebant; ſed etiam eos, qui ſtatuerent, ſtultitiæ damnabant. Ægyptius, aut quacunque ex gente fuit qui inſcribitur [f] Hermes Triſmegiſtus, affirmat Solem Deum eſſe; ſtatuas explodit, tanquam ab errore proavorum inventas. Romani veteres, qui eoſdem habebant Deos quos poſteri, [g] coluerunt eos ſine ſimulacro pluſquam annos centum & ſeptuaginta. Non ergo Dii Gentilium אלילים vocati ſunt, quòd inanibus ſignis res minimè ſubſiſtentes repræſentarent: ſed quòd imbecilles eſſent & vanæ, ſeu imagines rerum, ſeu res & creaturæ. Unde [h] Jeremias in *vanitatibus*

[a] Iob.13.4.
[1] Id eſt, *nihili*, ut doctiſſimi interpretes reddiderunt, Io. Mercerus, Ar. Montanus, Tremellius, & Iunius.
[b] Iob.6.15.
[c] 1.Chr.16.26. Pſal.96.5.
[2] Quod Septuaginta melius reddiderunt εἴδωλα, 1. Chronic.16. ut & *idola*, Hieronymus: quàm δαιμόνια, Pſalm.96. aut Hieronymus [verſione ex Hebræo] *ſculptilia*.
[d] Bardiſan. apud Euſeb. præpar. Evang.lib.6.
[e] Herodot.in Clione.
[f] In Aſclepio.
[g] Varr. apud Aug.lib.4.de civ.Dei, ca.31.
[h] Ier.14.22.

bus Gentium numerat etiam *cælos*, quos pro Diis colebant: & [a] Barnabas ac Paulus Jovem & Mercurium *res vanas* nuncupabant, quum agerent non de simulacris eorum, sed de ipsis; quippe quos hominibus assimilatos è cœlo ad se descendisse Lystrenses somniabant. [a] Act.14.15.

5 Nec secus Hieronymus אין & שקר, quæ tamen de *idolo* in [b] Mosis & [c] Hoseæ sententiis à Bellarmino indicatis interpretans coarctat forsitan plus justo; certè [d] qui אין *iniquitatem* ibi reddunt, & שקר generaliùs [e] exponunt de *mendacio*, propiùs ad Mosis & Hoseæ sensum videntur accedere: sed nec Hieronymus אין & שקר, aut accepit secus; aut per circumstantias Scripturæ, quam enarrat, potuit. Nam quæ urbs olim dicebatur *Beth-el*, id est, *domus Dei*, tanquam locus Deo colendo dedicatus: ea, ob regis Jeroboami vitulum aureum [f] ibi cultum, vocatur ab [g] Hosea *Beth-aven*, *domus* אין. Hoc autem Aquila & Symmachus interpretati sunt οἶκον ἀνωφελῆ, id est, *domum inutilem*, ut [h] Hieronymus observat: ac ipse, iis assentiens, adjungit *Beth-el appellatam esse Beth-aven, id est, domum inutilem & quæ nihil prosit, sive domum idoli, ob vitulos in ea positos*. Quos vitulos notatos item sibi videri vocabulo שקר ab Hosea, dicente, [i] *Revelata est iniquitas Ephraim & malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium*, declarat [k] Hieronymus, his verbis illum explicans: *Exstitit Ieroboam de tribu Ephraim, qui vitulos aureos faceret, & malitia Samariæ revelata est sequentis regem impium; operatò sunt enim & rex & populus mendacium, hoc est, idolum*. Quum ergo vitulus aureus imago fuerit

[b] Num.23.21.
[c] Hos.6.8. in vulg. versione Lat. & comment. in Hos. cap.7.
[d] Pagnin. Tremell. & Iun.
[e] Calvin. Ar. Montan. & Riber. commēt. in Hos.cap.7.
[f] 1.Reg.12.29.
[g] Hos.4.15.
[h] Comment. in Hos. cap.4.
[i] Hos.7.1.
[k] Loco citato à Bellarmino.

rei ſubſiſtentis & veræ; eúmq; voce אין denotet Hoſeas, ac voce שקר denotatum ſtatuat Hieronymus: reſtat ex ipſorum, quos Bellarminus citat, teſtium judicio, Hebræa nomina, *vanum* & *falſum* ſignificantia, idolo eſſe indita ab effectu, non à forma; nec inde uſurpata quaſi rei falſæ & minimè ſubſiſtentis effigies ſit idolum, ſed quòd inutile ſit & vanum, quòd fallat, quòd nihil proſit, quidcunque demum repræſentet.

6 Ab eodem prorſus effectu, aut cognato, ſed ab effectu certè, non à forma, dicitur idolum imago falſa, in ea quam deinceps ſubjicit Bellarminus, ſen-
[a] Habac. 2,18. tentia prophetæ Habacuc: [a] *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam?* Nam pro his verbis vulgatæ editionis Latinæ, *imaginem falſam*, Hebraica veritas legit, מורה שקר. ubi vocem מורה, quæ à ירה ducta ſignificat propriè, *docens*, φαντασίαν Græci interpretes reddiderunt; & Hieronymus, eos ſequutus, *imaginem*: rati fortaſſis, ob ſimilitudinem vocum, participium מורה nomen eſſe à ראה formatum, non à ירה. Verùm propria vocis ſignificatio eſt, *docens*, quemadmodum Hieronymus [b] alibi rectiùs vertit, poſt Septuaginta etiam reddentes διδάσκοντα: & hoc ipſo loco [c] Pagnini interpretatio, ad Hebraicam dictionem diligentiſſimè expenſa ab Aria Montano & aliis linguę Hebrææ cognitione præſtantibus, Lovanienſiſq; Academiæ ſuffragio comprobata, rectè verti indicat. Neque Romanis Cenſoribus aliud viſum, quàm Lovanienſibus hac in re placuit, declarant Romæ editi, Superiorum permiſſu, Franciſci Riberæ Jeſuitæ commentarii in librum duodecim Prophetarũ: [d] ubi

[b] Eſai. 9. 14. Vbi fons Hebræus habet eaſdẽ voces, מורה שקר

[c] Sacri apparat. ad Regia Biblia tom. 2.

[d] In Habacuc, cap. 2. §. 43.

hunc

hunc locum explicans, *Pro imaginem falsam*, inquit, *in Heb. est, Docentem mendacium, id est, fecit rem docentem mendacium*. Quid, quòd & Bellarminus, etsi vulgatæ editionis Latinæ verba potiùs urgeat; ut solet, quoties ea putat sibi magis favere, quàm Hebraica: tamen germanum eorum sensum esse, qui ex Hebraico fonte petitur, agnoscit. [a] Calvino enim asserenti, contra Pontificios *libros idiotarum*, id est, imagines, *Habacuc docere conflatile esse doctorem mendacii*, tantum abest ut ullam exceptionem [b] opponat de hac verborum versione: ut contrà sibi rimam ad effugium quærat in distinctione imaginum Sanctorum à Deorum simulacris de quibus agit Propheta, & rationem reddat cur ista *doctores mendacii* esse affirmentur. Quapropter appellatio *falsæ imaginis*, idolo à propheta Habacuc attributa, nihil aliud innuit, quàm idola docere falsum & mendacium. Docere autem falsum & mendacium possunt, ut nihilominus rerum verarum sint imagines. Nam ex hominibus multi sunt [c] falsi delatores, [d] falsi testes, [e] falsi prophetæ: & tamen [f] homo imago Dei est. Aut, quoniam hac ex parte nequaquam exprimit Dei [g] veracis effigiem, imago est [h] diaboli: cujus, tanquam filius, similitudinem refert, quisquis mentitur. Prophetæ igitur verba, quibus Bellarminus ait *clarissimam definitionem idoli* contineri, nihil prorsus habent quo minùs nomen idoli imaginem rei verè subsistentis notet.

7 At Bellarminus, inquies, etsi concedat verba significare *doctorem mendacii*: sic tamen explicat ut ad formam accommodet potiùs, quàm ad effectum; quasi non tam innuant simulacra falsum docere, quàm falsa esse. Omnino; sicut [i] Verres apertè Syracusanis, ne

[a] Institut. lib. 1. cap. 11. §. 5.

[b] Bellarm. de eccl. triumph. l. 2. c. 8.

[c] Ezr. 4. 13. Amos. 7. 10.

[d] Matt. 26. 60. Act. 6. 13.

[e] 2. Pet. 2. 1. 1. Ioh. 4. 1.

[f] Gen. 1. 27. & 9. 6.

[g] Rom. 3. 4.

[h] Ioh. 8. 44.

[i] Cic. accusat. in Verr. lib. 2.

ne de injuria quererentur, pecuniam grandem reddidit: quam poſtea per pſeudothyrum iniquè ab iis recepit. Sed ne iſto quidem pacto id conſequitur, quod per fraudem quærit. Nam ad refutandum Calvinum dicit, *Primò, Prophetam de ſimulacris falſorum Deorum, non de veris Sanctorum imaginibus loqui: ſecundò, idola eſſe doctores mendacij, quia volunt videri Dij; vel certè videntur referre Deorum effigiem, quum verè non referant.* Quæ reſponſiones pari vi repellunt propheticam Spiritus ſancti cenſuram à Papiſticis Sanctorum & Dei ſimulacris; quandoquidem hæc errores eoſdem docent populum, quos Ethnicorum Deorum ſtatuæ: atque ſimulacra eorum opponendo veris imaginibus Pontificiorum, convincunt eſſe rerum non verarum effigies; aut effigies falſas, Bellarmini ſenſu, hoc eſt, repræſentantes id quod revera non eſt, quoniam aliud volunt videri quàm ſunt. Etenim idola, quæ ex inſtituto Prophetæ potiſſimùm perſtringuntur, erant Chaldæorum: ut ex [a] Ribera ſuo diſcet Bellarminus, ſi [b] contextus ſacer & [c] aliorum interpretum conſenſus ei non perſuadeat. Chaldæorum autem Belum ceteráq; univerſa numina res fuiſſe veras, [d] ſuprà declaratum eſt. Idola ergo & imagines, de quibus Habacuc agit, res veras, etſi falſò judicatas Deos, res tamen veras repræſentabant. Quòd autem ea ſpeciem Deorum referebant, nec tamen Dii erant: cur ideo magis falſa quàm Pontificius Crucifixus, qui Chriſti ſpeciem refert, nec tamen Chriſtus eſt? Quippe hoc modo imagines omnes falſæ ſunt: omnes manufactæ, de cujuſmodi [e] Varro, *Imago hominis non eſt homo.* Unde Lactantius, poſtquam [f] *ſimulacrum à ſimilitudine nomen accepiſſe* notaſſet, ſubjungit; [g] *Quicquid*

[a] In Habacuc. cap. 2. §. 43.
[b] Habac. 2. à ver. 6. ad finem capitis.
[c] Hieronym. Theophylact. Liran. Dionyſ. Carthuſ. Calvin. Tremell. & Iun. in hunc locum.
[d] Huius libri cap. 3. §. 51.
[e] De lingua Lat. lib. 5.
[f] Lib. 2. cap. 2.
[g] Lib. eod. c. 18.

quid ſimulatur, id falſum ſit, neceſſe eſt: nec poteſt unquam veri nomen accipere, quod veritatem ſuco & imitatione mentitur. Et poſt Lactantium [a] Iſidorus, in ejuſdem rei vocíſq; originem inquirens; *Simulacra*, inquit, *vel pro eo quòd ſunt ſimilia, vel pro eo quòd ſimulata atque confícta: unde & falſa ſunt.* Etiam poſt utrumque, vel potiùs poſt [b] Platonem [c] Cardinalis Palæotus; *Dicere argutè quis poſſet, picturam & ſculpturam omnem falſam eſſe, quum illud oſtendat ſe eſſe quod non eſt: quum verè ſit tabula picta, aut ſaxum, aut æs, non homo vivus, qualem ſe eſſe ſimulat.* Sed hoc, quod Cardinalis argutè dici poſſe de cunctis imaginibus & ſtatuis obſervat, haud ita ſuis argutiis extendet Bellarminus, quin, quod falſum dicitur reſpectu rei ſimulatæ, id ſimulacrũ ſit rei veræ. [d] Quum olim, ad Saturnum iſto ſacrificii genere placandum, homines in Tiberim de ponte Milvio mitterentur: narrat [e] Ovidius,

Donec in hæc venit Tirynthius arva, quotannis
Triſtia Leucadio ſacra peracta modo:
Illum ſtramineos in aquam miſiſſe Quirites;
Herculis exemplo corpora falſa iaci.

ubi iſta *corpora falſa* nominantur, cum veris, quorum ſpeciem præ ſe ferebant, comparata: *priſcorum* tamen *virorum ſimulacra* erant, ut Ovidius addit. [f] Auguſtinus, ſcribens *eos iure infames inteſtabilésq; haberi, qui muliebri habitu ſe oſtentant*; utut primò dubitet *utrùm falſas mulieres, an falſos viros meliùs vocet, tametſi veros hiſtriones verósq; infames ſine dubitatione vocare ſe poſſe* dicat: poſtea virum tunica muliebri indutum *mulierem falſam* nominat; rectè, ut [g] Statius Achillem canit *occultum falſi ſub imagine ſexus* latuiſſe; quanquam & Achilles induerit ſpeciem verę fœminæ

[a] Origin. lib. 8, cap. 11.
[b] De repub. lib. 10.
[c] De ſacr. & profan. imag. l. 2. c. 25.
[d] Lactant. lib. 1. cap. 21.
[e] Faſtor. lib. 5.
[f] Soliloquior. lib. 2. cap. 16.
[g] Achilleid. lib. 1.

minæ,& hiſtriones induant. Hypocritas [a] Salvianus appellat *falſos Chriſtianos*; ſequutus Apoſtolum, qui [b] *falſorum fratrum* nomine deſignat tales hiſtriones: tamen quàm inſignis ſit veritas ejus rei, cujus quaſi larva iſti ſe operiunt, demonſtrat Spiritus ſanctus, [c] qui coronat pios immortalitate. Quamobrem ſi Habacuc idola nuncupaſſet falſas imagines, quo ſenſu *doctor mendacij* à Bellarmino exponitur,quia Dii videri volebant nec erant: doceret forma & ſpecies virorum, fœminarum,piorúmq; hominum in falſis corporibus,falſis mulieribus,falſo ſexu,falſis Chriſtianis, & falſis fratribus nullum præjudicium ex eo contra noſtram aſſertionem fieri.

[a] De gubernat. Dei,lib.1.

[b] Gal.2.4.

[c] 1.Tim.4.8. Heb.10.34. 1.Pet.1.4.

8 Ceterùm Bellarminus,acclamans *hîc clariſſimè definiri idolum imaginem falſam*, tanquam etiam genus & differentiam ejus peritis dialecticæ in mentem revocare vellet: lethalem ſibi ipſi hoc epiphonemate plagam infligit; atque omnes nervos ſententiæ, quam probare inſtituit, elidit. Quid enim inſtituit probare? Idolum & imaginem apud Eccleſiaſticos ſcriptores ſic diſtingui, ut nec imago ſit idolum, nec idolum imago. Hoc enim inde ſequitur, quòd ait,*apud eos imaginem eſſe veræ rei ſimilitudinem; idolum autem eſſe ſimilitudinem falſam, & id repræſentantem quod revera non eſt*. Atqui ſi Propheta clariſſimè definit idolum *imaginem falſam*,idolum eſt imago apud ſcriptorem Eccleſiaſticum: ut qui definit beſtiam animal rationis expers, is beſtiam eſſe animal haud dubiè affirmat. Bellarminus igitur perinde ſe hîc gerit, atque ſi horribilis quiſpiam ſophiſta, contendens aſinum & animal apud philoſophos ſic diſcriminari, ut nec animal aſinus ſit, nec aſinus animal,

mal, clamaret hoc probari, quia [a] Pythagorei dicunt ſolum è cunctis animalibus aſinum ad harmoniam factum non eſſe, neque ullo ſenſu ad lyræ ſonum affici: ubi clariſſimè definitur aſinus animal ineptum ad muſicam.

[a] Ælian. de animalib. lib. 10. cap. 28.

9 Quòd ſi de ſimilibus ſimile eſt judicium, tertius Bellarmini catulus certò periit. Namque poſt ſuperius ſophiſma concinnatum ex Prophetæ dicto, *Cui ſimile eſt*, inquit, *quod ait Plato in Theæteto, quum ait,* ψεύδη καὶ εἴδωλα σφὶ πλείονος ποιησάμενοι τῆς ἀληθείας, *id eſt, mendacia & idola pluris faciunt quàm veritatem: ubi idolum cum mendacio coniunxit, & veritati oppoſuit.* Ac meritò ſanè Bellarminus dicit hoc ſimile eſſe ſuperiori. Nam & ipſe itidem Platonis ſententiam obſcurat malè vertendo εἴδωλα *idola*, quod debuit potiùs *ſimulacra*, ut [b] interpretes Platonis: & perperam concludit, quia ſimulacrum opponitur veritati, idcirco rei veræ imaginem non eſſe. Plato enim diſputans animorum ſenſa in lucem à juvenibus edi quaſi fœtus, magiſtrorum ope velut obſtetricum, ait * *non contingere mulieribus ut εἴδωλα aliquando pariant, interdum autem veros fœtus; idq; haud facilè dignoſci poſſit: quod in fœtibus animorum, qui à iuvenibus eduntur, uſu venit.* Ubi, ſiquis reputet vulgari uſu tritam *idoli* ſignificationem, videbit hoc vocabulum alienum eſſe à Platonis ſenſu, cui interpretando quàm aptiſsimè quadrat nomen *ſimulacri*: & idem tam directè argumentationis Bellarminianæ cuniculis occurrit, ut contrariam planè

[b] Ficinus & Serranus.

* Mendoſè leguntur verba apud Platonem cum nota interrogādi: itáq; interpretes verterunt, *Nónne mulieribus aliquando contingit ut ſimulacra pariant, aliquando veros fœtus? hoc verò haud facilè poſſit dignoſci?*

Nam Plato ſine dubio negàtum voluit hoc contingere: ut docet, quam ſubiungit, diſſimilitudo in fœtibus animorum; & res ipſa probat, teſte Ariſtotele, hiſtor. animal. lib. 10. cap. 7.

con-

concluſionem inferat. Quippe Plato veras opiniones & ſententias appellat veros fœtus : ſimulacra autem, qua voce notat falſas, verorum ait fœtuum ſpeciem referre, nec niſi à peritis internoſci poſſe. Proinde falſas etiam ſententias & errores appellat ἀνεμιαῖα: quo nomine alludit ad ova (qualia volucres nonnullæ interdum edunt) [a] irrita & [b] caſſa, ex quibus [c] pulli non gignuntur, etſi [1] prolificis, ut ita loquar, & fœcundis ovis ſint ſimilia. Adeò evidenter Plato ſimulacra, ſeu, ut Bellarminus vertit, idola, tûm veritati opponit, tanquam nihil utile [2] prolificúmve habentia : tûm verarum rerum ſimilitudines tamen, quod Bellarminus (ſuis metuens idolis) de idolo negat, eſſe pronuntiat. Utrumque explicatiùs iterat in Sophiſta, dicens *ſimulacrum* [3] *id eſſe quod ad veri ſimilitudinem informatum eſt, quum aliud tale ſit* : &, *quoniam aliud eſt à vero, idcirco verum non eſſe; quod autem verum non eſt, id* [4] *vero eſſe contrarium.* Hunc igitur ſophiſtam, qui ex Theæteto Platonis ita diſputat, *Idolum coniungitur cum mendacio, & veritati opponitur; ergo rei veræ ſimilitudo non eſt;* Plato manifeſtiſſimè, cùm in Theæteto, tùm in Sophiſta redarguit ; idolúmq; vero, & ſimile, & contrarium eſſe demonſtrat.

10 Ac utinam ingenui & bonæ ſpei juvenes, noſtrates, exteriq; , quos ſacrilegus iſte impoſtor Romæ, Rhemis, ubicunque gentium ſectatores habet, vel hujus ſophiſmatis conſideratione expergefacti oderint Jeſuiticas fraudes, quarum fuco tegitur impura Babylonicæ meretricis fœditas, & abominatio Romana palliatur. Fraudem quidem ipſam

[a] Plin. nat. hiſt. lib. 10. cap. 58. & 60.
[b] Vt Scaliger reddit ὑπηνέμια (hoc eſt, ἀνεμιαῖα) apud Ariſtot. hiſt. animal. l. 10. c. 6.
[c] Ariſtot. hiſt. animal. lib. 6. c. 2. & l. 10. c. 6.
[1] γονίμοις, quæ vocat Ariſtoteles.
[2] γόνιμον. Plato in Theæt.
[3] τὸ πρὸς τἀληθινὸν ἀφωμοιωμένον ἕτερον τυγχάνον.
[4] ἐναντίον ἀληθές.

ſam non poſſunt non videre, qui ab [a] Homero edocti ſunt, *Vlyſſem* [1] *multa mendacia dixiſſe veris ſimilia*: aut illud ex [b] Satyrico poeta didicerunt, *Fallit enim vitium ſpecie virtutis & umbra*. Nam ex his intelligunt improbè deludi ſe à Jeſuita, qui, quoniam idolo & mendacio veritas, ut vitio virtus, opponitur, propterea negat idolum rei veræ ſpeciem & ſimilitudinem referre. Quòd ſi oculos claudere contra tam perſpicuam lucem perrexerint, & obfirmârint cor ſuum more [c] Judæorum, ne cernant oculis, corde intelligant, convertantúrq; & ſanentur: ſciant ſe illos eſſe, quos Plato, citante Bellarmino, ait pluris facere mendacia & idola quàm veritatem. Et quid aliud ſperent quàm præmium eorum, [d] qui dilexerunt potiùs tenebras quàm lucem: ut cum meretrice, cujus [e] aureo poculo inebriantur, pereant? [f] *Vecors adoleſcens*, pellectus lenociniis adulteræ, *ſequitur eam; tanquam bos ad mactationem abit, & velut compeditus ad eruditionem ſtultorum, donec diſſeceet culter iecur ipſius, quemadmodum feſtinat avis ad laqueum, neſciens contra vitam ſuam illum eſſe.*

[a] Odyſſ. lib. 19.
[1] ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα.
[b] Iuvenal. ſatyr. 14.
[c] Eſai. 6. 10. Matt. 13. 15. Act. 28. 27.
[d] Ioh. 3. 19.
[e] Apoc. 17. 4.
[f] Prov. 7. ver. 7. & 22.

CAP.

CAP. V.

Beati Pauli dictum, Scimus idolum nihil eſſe in mundo, pro Bellarmino nihil facere: nec ſimile ex apocrypha appendice libri Eſther ab Hieronymo citatum.

Bellarminus.

TErtiò, *quia B. Paulus* 1. *Corinth.* 8. *ait*: Scimus, quia nihil eſt idolum in mundo. *Vbi idolum nihil eſſe dicitur, quia licèt ſit aliquid ſecundum materiam, tamen nihil eſt formaliter, cùm id repræſentet quod nihil eſt, & proinde nec verè repræſentet, & conſequenter nec ſit. Cui loco alium ſimilem adducit Hieronymus in caput* 7. *Oſeæ, ad probandum idolum nihil eſſe; nam Heſter* 14. *ſecundum* LXX. *dicitur*: Ne tradas ſceptrum tuum his, qui non ſunt, *id eſt, idolis.*

Rainoldus.

INter varia genera fallaciũ rationum, quibus ſophiſtæ videntur redarguere convinceréq; eos adverſum quos diſputant, revera autem non redarguunt, latiſſimè patentem (ut obſervavit [a] Ariſtoteles) ac principem locum obtinet

[a] De repreheñſ. ſophiſt.

obtinet vocabulorum ambiguitas & multiplex ſignificatio. Veram Ariſtotelis obſervationem ſucoſa Bellarmini ſcripta comprobârunt. Cujus rei nobile documentum præbet, cûm tota quæ in manibus eſt diſceptatio, tûm hic inprimis locus, ubi ſententiam noſtram redarguere videtur dicto Pauli, *Idolum nihil eſt*: ſed in tribus hiſce vocabulis reipſa, per triplicem fallaciam ambiguitatis, affingit alieniſſimum ſenſum Apoſtolo; neque nos redarguit, ſed credulum lectorem circumvenit & ſupplantat. Nam *idoli* nomen quandoque ſignificat ſimulacrum quo numen repræſentatur & colitur; unde memorantur [a] *aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea idola, quæ nec videre poſſunt, nec audire, nec ambulare*: aliquando numen, ſeu ſimulacro effictum & cultum, ut plerunque; ſeu adoratum, ut nonnunquam, abſque ſimulacro; unde [b] *omnes Dii populorum* dicuntur *eſſe idola*, quemadmodum [c] oſtendi. Verbum autem, *eſt*, aliquando notat ſubſtantiam ex materia & forma conſtitutam; ſicut quivis homo eſſe perhibetur; [d] *In Deo enim vivimus, movemur, & ſumus*: interdum ad accidens, quod ſubjecto adjungitur, notandum accommodatur; quo ſenſu Paulus ait, [e] *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei*; ubi verbum, *eſt*, ſignificare non ſubſtantiam, ſed rei ſubſiſtentis vim & efficaciam, declarat ipſe dicens, [f] *In Chriſto Ieſu neque circumciſio quicquam valet, neque præputium, ſed fides per caritatem agens*. Denique particula, *nihil*, modò propriè ſimplicitérq; uſurpatur; ut [g] Chriſtus *nihil in ficu invênit niſi folia*: modò figura-

[a] Apoc. 9, 20.
[b] 1. Chr. 16, 26.
[c] Huius libri cap. 4. §. 4.
[d] Act. 17, 28.
[e] 1. Cor. 7, 19.
[f] Gal. 5, 6.
[g] Marc. 11, 13.

tè per emphaſin quandam & hyperbolen in comparatione ; ut homo arrogans [a] *putat ſe aliquid eſſe quum nihil ſit*, hoc eſt, ſe [b] magni quippiam & columnam eſſe, quum ſit lapillus parvi pretii. Jam verò Bellarminus priorem ex duabus iſtis, quas expoſui, ſignificationibus in ſingulis vocabulis, *Idolum nihil eſt*, arripit : & quoniam *idolum*, pro ſimulacro etiam acceptum, aliquid eſt ſecundum materiam, ait *propterea dici nihil eſſe, quia nihil eſt formaliter, quum forma eius ſit repræſentatio, & id repræſentet quod nihil eſt*. At Paulus poſteriore ſignificatione unumquodque horum vocabulorum accepit : & falſa gentium numina, licèt in natura rerum ſubſiſtant, tamen efficacia quàm minimum valere quæ inter illa plurimum poſſunt, ideóq; Deos non eſſe ſignificavit. Ut ardente & acri emphaſi verborum, *Idolum* [1] *nihil eſt in mundo*, perinde intellectum voluerit; Deos falſos nihil habere numinis divini : atque [c] Euripides ſignificat timidos homulos nihil habere animi virilis, dicens, *Ignavi* [2] *nihil ſunt aſquam*.

[a] Gal. 6. 3.
[b] Gal. 2. ver. 6. & 9.
[1] οὐδὲν ἐν κόσμῳ.
[c] Iphig. Taur.
[2] οὐδὲν ἄσφαρ.

2 Hoc ex Apoſtolici contextus circumſtantiis manifeſtum fit. Etenim, [d] *De eſu*, inquit, *eorum quæ idolis immolantur, ſcimus idolum nihil eſſe in mundo, & nullum eſſe Deum alium niſi unum : nam etiamſi ſint qui dicantur Dii, & in cœlo, & in terra ; (ſicut ſunt Dii multi, & Domini multi ;) nobis tamen unus eſt Deus, Pater ille, à quo omnia, & nos in ipſo ; & unus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*. Ubi principio, *de iis quæ idolis immolabantur* agens, idola ſe declara-

[d] 1. Cor. 8. 4.

clarat appellare numina, non numinum ſimulacra. Nam ſacrificia illis, non his, offerri ſolita, quamvis offerrentur [a] coram his apud gentes quæ numina ſimulacris colebant, veruntamen Soli, Lunæ, Cereri, Baccho, ceteris, quos pro Diis habebant, ac non eorum ſignis, offerri conſueviſſe, docerem ex [b] Perſarum, [c] Afrorum, [d] Romanorum, [e] Græcorum, [f] aliorúmq; inſtitutis & ritibus, niſi [g] Lyſtrenſes ſatis eſſent teſtium: qui, quum Barnabam Jovem, Paulum autem Mercurium eſſe autumarent, tauros immolare ipſis volebant. Tum eodem facit, quòd Paulus ſententiam ſuam ſic exponit: *Scimus idolum nihil eſſe in mundo, & nullum eße Deum alium niſi unum*. Quippe quarum duarum enuntiationum poſterior ad priorem explanandam adhibita oſtendit, ex antitheſi, idolum negari Deum eſſe: præſertim quum dicendo, nullum eſſe Deum alium niſi unum, id innuat quod Moſes, [h] Jehovam unum eſſe Deum; [i] alios autem, Solem, Lunam, & quoſcunque colebant Ethnici, non eſſe. Poſtremò probatio ſententiæ, quæ ſubjicitur, *Nam etſi multi ſint qui dicantur Dii, & in cælo, & in terra, nobis tamen unus eſt Deus, à quo, & per quem omnia*; hæc probatio, inquam, inſinuat cœleſtes & terreſtres Deos, quos vocabant [k] Ethnici, eoſdem eſſe quos idola priùs nominavit, aſſeruítq; nihil eſſe: quaſi diceret, Nos Chriſtiani ſcimus unum tantùm eſſe verum Deum, rerum omnium creatorem; ſcimus ergo idola, utut Dii vocentur tanquam [l] aliquid ſint, reipſa Deos non eſſe, nec quicquam numinis habere.

[a] Vitruv. de architect. l. 4. c. 7. Lucian. de ſacrific.

[b] Xenoph. Cyr. paed. lib. 8. & de Cyri minoris expedit. lib. 4.

[c] Herodot. in Melpomene.

[d] Plutarch. in vita Numæ. Macrob. Saturn. lib. 3. cap. 10.

[e] Heſiod. oper. & dieb. Euſtath. in Homer. Iliad. lib. 1.

[f] Cæſar. comment. de bell. Gall. lib. 6. Tacit. de morib. Germanor. Porphyr. de philoſoph. ex orac. apud Euſeb. præparat. Evang. lib. 4.

[g] Act. 14. 8.

[h] Deut. 6. 4.

[i] Deut. 6. 14. & 17. 3.

[k] Varro apud Auguſtinum de civitate Dei, lib. 7. cap. 18. Cic. de legib. lib. 2.

[l] 1. Cor. 10. 19.

3 Atque hunc verborum sensum, ex totius orationis filo & circumstantiis aptum, defendunt contra sophisma Bellarminianum tractatores plurimi, non antiqui solùm, sed etiam recentes, iíq; Pontificii. Nam etsi non assentiunt plerique [a] Tertulliano, *idoli* vocem usurpatam pro numine censenti, sed ea simulacrum significari volunt: vocabula tamen, *nihil est*, in quibus vis Jesuiticæ rationis consistit, exponunt, non ut Bellarminus, nihil est formaliter, sed, nihil est efficaciter, sive, non est Deus. Sic [b] Chrysostomus ait; *Sunt quidem idola, sed nihil possunt, neque Dij sunt.* Item [c] Augustinus; *Pagani ea colunt quæ sunt, sed pro Dijs colenda non sunt: sunt enim & idola, sed ad salutem nihil sunt.* In eandem sententiam (ne repetendo eadem similiáve singulorum verba tædium pariam) [d] Theophylactus, Beda, Bruno, Hugo Victorinus, Dionysius Carthusianus, Faber Stapulensis, Gagnæius, Guilliaudus, Arias Montanus, [e] Forerius, & [f] Ribera. A quibus ne [g] Genebrardus quidem, etsi ferreus alioqui pravarum interpretationum, quæ superstitionibus Pontificiis favent, patronus ac propugnator, sed nec ille à ceteris hac in re dissidet.

[a] De corona milit. cap. 7.

[b] In epist. 1. ad Cor. hom. 20.

[c] Contr. Faust. Manich. lib. 20. cap. 5.

[d] Comment. & annot. in hunc locum, 1. Cor. 8.

[e] Comment. in Esai. cap. 2.

[f] In Hose. cap. 4. §. 31.

[g] In Psalm. 95. Hebr. 96.

4 Quòd si Pontificii pertinaces erunt in distinctione, *nihil est formaliter*, Paulinis verbis affigenda, quoniam Jesuita, [h] Cardinalem quendam sequutus, eam tradit: videant ne Romanum Pontificem artificio suo transforment in non ens formaliter, & materiam solam Papæ, velut idolo, seu Cardinalitio, seu Jesuitico relinquant. Namque idem Paulus, in eadem epistola, ait [i] *se, si noverit omnia*

[h] Caietan. in hunc locum.

[i] 1. Cor. 13. 2.

omnia mysteria, & habeat omnem fidem, adeò ut montes transferat, caritatem autem non habeat, nihil esse.[a] Bellarminus verò caritatem quibusdam Pontificibus defuisse, satis quidem insulso fundamento nixus, nempe, [b] *Christum orasse, non, ne caritas Petri deficeret, sed, ne fides*; nam Christus hoc de fide justificante, viva, per caritatem agente dixit, ut [c] alibi planum feci: veruntamen caritatem & sanctimoniam vitæ quibusdam Pontificibus Romanis defuisse, exempli causa, [d] Johanni Vicesimo tertio, à [e] Constantiensibus Patribus damnato, utcunque tergiversans, concedit. Ac Papirius Massonus, quanquam in Pontificum Romanorum gratiam de rebus gestis eorum scripserit, [f] laborisq; præmium à Sixto Quinto petierit, *Sanctitatem*,[g] inquit, *in Pontificibus nemo hodie requirit: optimi putantur, si vel leviter boni sunt, vel minùs mali, quàm ceteri mortales esse soleant*. Quum igitur contingat Papam aliquando vel miraculosa fide, vel mortua, si tamen ulla fide præditum, vacare caritate; & Apostolus dicat eum, qui caritatem non habet, nihil esse: concludet distinctio Bellarminiana, Papam, licèt corpus habeat sine dubio, ac proinde aliquid sit secundum materiam, tamen nihil esse formaliter, & anima carere. Ita pejùs cum eo agetur, quàm cum sue; cui, ne putresceret, animam pro sale datam [h] vetus verbum est: nec ampliùs dicendus est Romanus Pontifex *Ecclesiæ caput absque cerebro*, quod de quibusdam ad [i] Krantzii Metropolin annotatur, sed hominis corpus absque anima.

5 Immo ut fingamus omnes Pontifices caritatem

[a] De Rom. Pont. l. 4 c. 5.
[b] Luc. 22. 32.
[c] Colloq. cum Harto, c. 7. §. 1.
[d] Bellarm. de Rom. Pont. l. 4. c. 14.
[e] Synod. Constantiens. sess. 11. & 12.
[f] De Episcop. Vrb. lib 6. in Greg. XIII.
[g] Ibid. in Iulio III.
[h] Varr. de re rust. l. 2. c. 4. Cic. de nat. Deor. lib. 2.
[i] Lib. 2. cap. 22. ad marg. edit. Andr. Wecheli.

habere, non obſtante Chriſti dicto ad Petrum, [a] *Amas me? paſce oves meas*; quod illi per ſe facere jam pridem deſierunt, [b] per vicarios faciunt; tanquam non per ſe, ſed per vicarios Chriſtum ament; nec ſibi, ſed vicariis, [c] coronam gloriæ exoptent; ceterùm ut fingamus omnes demonſtrare plantando, aut rigando, ſe caritatem habere: tamen eandem concluſionem inferet eadem diſtinctio, ex alio Pauli loco in eadem epiſtola; [d] *Neque is qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed Deus, qui dat incrementum.* Ac perſuaſum ſanè voluit [e] Pius Quintus multos ex ipſis, qui manum arvo Dei colendo nunquam admovent, plantatores eſſe; quando nos ad impiam & conſceleratam à Regina noſtra defectionem incitans, de poteſtate Romano Pontifici à Domino commiſſa ſic præfatus eſt: *Hunc unum ſuper omnes gentes & omnia regna Principem conſtituit, qui evellat, deſtruat, diſſipet, diſperdat, plantet, & ædificet.* Iſtis enim verbis, etſi Papam *Principem ſuper omnia regna conſtitutum* memorans, haud ſcio quem ad locum Scripturarum alludat, niſi fortè ad eum in quo diabolus [f] *Princeps mundi huius* dicitur; & [g] *omnia regna* ſe daturum cultori ſuo pollicetur: tamen affirmans Papam *conſtitutum qui evellat, deſtruat, diſſipet, diſperdat, plantet, & ædificet*; idem ſibi munus atque [h] Jeremiæ, ut ex [i] Pontificio jure appâret, à Domino demandatum innuit. At verò Jeremias, ſuper quas gentes & regna conſtitutus eſt, non Princeps, ſed [k] *Propheta*, qui verbi miniſterio evelleret plantaretq.; id eſt, aliis mortem, ruinam, excidium, aliis autem vitam, ſalutem, incolumitatem, quemadmodum à Deo in mandatis habuit, prænunciaret:

illis

[a] Ioh. 21. 17.

[b] Fran. Sanſovin. de gubernat. regnor. & rerumpub. lib. 11.

[c] 1. Pet. 5. 4.

[d] 1. Cor. 3. 7.

[e] Sent. declarat. cõtr. Eliz. Angl. Regin.

[f] Ioh. 12. 31.

[g] Matt. 4. 8.

[h] Ier. 1. 10.

[i] Cap. ſolitæ. Extra de majorit. & obedient.

[k] Ier. 1. 5.

illis pro muneris ſui ratione, ſive evellendis, ſive plantandis, fideliter, conſtanter, & patienter incubuit, teſte univerſa ipſius Prophetiâ. Non ſub poteſtatis Propheticæ umbrâ & prætextu Judæos ad arma contra regem ſuum Joſiam capienda, ut Anglos contra reginam ſuam Elizabetham Pontifex, accendit: nec centum quinquaginta millia aureorum confirmandis animis & armis rebellium, ut [a] Pius Quintus, dedit: nec exterorum militũ copias in Judæam, ut [b] Gregorius Decimus tertius quinque millia Italorum cum aliis nationibus in * Britanniam, miſit: nec Chaldæos novi numinis patrocinio, ut [c] Hiſpanos Sixtus Quintus apotheoſi & canonizatione Didaci Franciſcani, cujus meritis Angliam invadentes confiderent, adjuvit, aut infatuavit. Memorabile tuæ benignitatis & judicii monumentum, ô Deus; qui ſelectiſſimam manus tuæ plantam, ab iſtis omni Satanæ ope impetitam, ita protexiſti, & porrò protegas oramus, ut in ipſa eluceat vis promiſſi tui; [d] *Plantati in domo Iehovæ, in atriis Dei noſtri germina profundent; adhuc abundabunt in canitie, pingues & virentes erunt*: quum interim pſeudoprophetas, prophetarum verbis, ut [e] lupos veſtimentis ovium, amictos, Pium Quintum, & tantam colluviem ſucceſſorum, Gregorium Decimum tertium, Sixtum Quintum, Urbanum Septimum, Gregorium Decimum quartum, & Innocentium Nonum, è terra viventium exſtirpaveris. Sed quoniam

[a] Hieron. Caten. in vita Pii V.

[b] Anton. Ciccarell. in vita Greg. XIII.

* *Britanniæ* nomen uſurpare videtur Ciccarella pro Britannicis inſulis, in quibus Hibernia comprehenditur. Niſi fortè, quod Genebrardus narrat [Chronogr. lib. 4. anno Dom. 1578.] *Marchionem Hiberniæ* (quem vocat) *à Pontifice inſtructum fuiſſe cohortibus Italicis ad Hiberniam occupandam*, inter ea cenſendum eſt de quibus Poſſevinus [Biblioth. ſelect. lib. 2. cap. 26.] ſententiam fert his verbis: *In iis, quæ de rebus huius ſeculi poſtremis Genebrardus adiecit, ad humanam hiſtoriam pertinentibus; non dubito, quin, ſi aliqua liquidiùs cognoviſſet, eadem vir veritatis ſtudioſiſſimus certiùs enarraſſet.*

[c] Galeſin. canoniz. at. S. Didaci part. 3. cap. 5.

[d] Pſal. 92. 14. [e] Matt. 7. 15.

Pontifices, ut revertar ad Bellarminum, dum iſto modo agricolas, vel potiùs ſicarios & parricidas agunt, minus nihilo ſunt; nihil autem erant, ex Paulina phraſi, quum olim ſic plantabant ut [a] Dei adminiſtros decuit; & tamen eos nihil fuiſſe formaliter, abſurdus ſit qui dicat: reſtat Jeſuiticam diſtinctionem nihili ſophiſticum effugium, cûm materialiter, tûm formaliter ſapere: & Paulum affirmare idolum nihil eſſe, quòd efficacitate nihil tale ſit, quale ſtatuebant qui Dei nomen ei dabant.

[a] 1. Cor. 3 9.

6 Haud ſecus, atque mihi dicere liceret, Papam nihil eſſe, ad refellendam [b] gloſſam juris Pontificii, quę appellat eum *Dominum Deum noſtrum*. Quem blaſphemum titulum defendi vetuſtate poſſe non ſum neſcius: & majore quidem vetuſtate, quàm alia Papiſtarum multa. Nam ante annos mille quingentos attributus eſt anteceſſori Papæ, Pontifici Maximo, [c] Domitiano. Tamen, quia [d] Torrentius, Epiſcopus Antuerpienſis, perſtrinxit Martialem tanquam adulatorem ob eum titulum ſuo Pontifici Maximo tributum, [e] *Edictum Domini Deiq; noſtri*: ſperabam Cardinales & ceteros deputatos, quibus demandavit [f] Gregorius Decimus tertius curam revidendi, corrigendi, & expurgandi quæ per errorem ſcripta habebantur in gloſſis notationibúſve inſertis libro Decreti, Decretalium, Sexti, Clementinarum, & Extravagantium, eundem titulum Papæ adſcriptum exploſuros atque deleturos. Et verò, quum nonnulla correxerint minùs tætra horribiliáq.; verbi gratia, [g] rubricam illam Decreti, qua continebatur, *ut qui non habet uxorem, ei pro uxore concubinam habere liceat*: quid tandem fuit cauſæ cur iſtam blaſphemiam

[b] Cap. cùm inter. Extravag. Ioann. XXII.

[c] Sueton. Domit. cap. 13.

[d] Comment. in Sueton. Domit.

[e] Martial. li 5. epigram. 8.

[f] Bulla Greg. XIII. præfixa novæ editioni Decreti Gratiani.

[g] Can. Is qui non habet. diſt. 34.

miam

miam non modò non expungerent, ſed ne leviſſima quidem nota caſtigarent? An quia verebantur ne homines non putarent in Papam convenire id quod de Antichriſto ſcripſit Apoſtolus, [a] *In templo Dei ſedet, præ ſe ferens ſe eſſe Deum*: niſi paterentur locum exſtare, quo diſertè *Dominus Deus* vocaretur, in opere Papiſtico, Papiſtis correctoribus, & Papæ juſſu Romæ edito? Verùm quandoquidem tam obſirmata & immani impudentia ſunt, audiant ſententiam ſententiæ Paulinæ exemplo conformatam. De titulo Domini Dei, qui Papæ attribuitur, ſcimus Papam nihil eſſe in mundo, & nullum eſſe Deum alium niſi unum. Nam etiamſi ſint qui dicantur Dii, & in cœlo, & in terra; ſicut Divorum canonizatio eſt [b] apotheoſis, & quivis Papa eſt Dominus Deus Pontificiis: nobis tamen unus eſt Deus, Pater ille, à quo omnia, & nos in ipſo; & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.

[a] 2. Theſſa 4.

[b] Severin. de vita, mirac. & act. canonizat. S Hyacinthi, præfat. lib. 3. & 4.

7 Quòd ſi *huic loco* Bellarminus verè affirmet *alium ſimilem adduci ab* [c] *Hieronymo, ad probandum idolum nihil eſſe, ex libro Eſther ſecundum Septuaginta*, id eſt, ex lacinioſis verborum ſinibus, quos vocat [d] Hieronymus, aſſutis Græcæ vulgatæ editioni libri Eſther: duo parietes de eadem, quod aiunt, fidelia dealbati ſunt. Etenim, *non eſſe*, in verbis quæ Eſtheræ [e] illic affinguntur, *Ne tradas ſceptrum tuum his qui non ſunt*, ſignificat idem ac nihil eſſe: ſicut in Eſaiæ dicto de Jehova, [f] *Omnes gentes velut nihil ſunt coram eo*, Septuaginta & [g] alii reddunt, [1] *velut nihil*; ubi Eſaias habet ad verbum, [2] *velut non*; & Hieronymus, *quaſi non ſint, ſic*

[c] In caput 7. Oſeæ.

[d] Præfat. in librum Eſther.

[e] Eſth. 14. 11.

[f] Eſai. 40. 17.

[g] Pagnin. Tremell. & Iun.

[1] Gr. ὡς οὐδὲν.

[2] Hebr. כְּאַיִן

ſunt

ſunt coram eo. Nimirum creaturæ cum eo comparatæ, qui [a] Moſi percontanti, quod eſſet nomen ejus, reſpondit, *Sum, qui ſum*; & [b] alibi nuncupatur, *Qui eſt*; revera non ſunt. Unde [c] Auguſtinus obſervat *eum dixiſſe Moſi*, [d] *Dices filiis Iſrael, Qui eſt, miſit me ad vos: tanquam in eius comparatione, qui verè eſt, quia incommutabilis eſt, ea, quæ mutabilia facta ſunt, non ſint*. Quocirca ſi putaſſet Hieronymus verbis illis affirmari idola non eſſe: haud tamen ſequeretur ipſius judicio perhiberi idola non eſſe abſolutè, propriè, formaliter.

[a] Exod. 3. 13.
[b] Apoc. 1. 4.
[c] De civ. Dei, l. 8. c. 11.
[d] Exod. 3. 14.

8 Verùm enimvero totius ſententiæ tenor & contextus, *Ne tradas, Domine, ſceptrum tuum his qui non ſunt, neque rideant de caſu noſtro, ſed converte conſilium eorum in ipſos*, perſpicuè declarat vocabulis, *qui non ſunt*, ſignificari impios & ſceleſtos homines: qui, quo minùs referunt [e] ſimilitudinem & [f] naturam Dei, Jehovæ ab ESSE dicti, quòd ſolus ſit per excellentiam; eo juſtiùs aptiúſq;, præ ceteris mortalibus quaſi peculiariter, dicuntur non eſſe. Et quum [g] Hieronymus verſione ſua locum ſic expreſſerit, *Ne tradas ſceptrum tuum his qui non ſunt, ne rideant ad ruinam noſtram*, ut anſam [h] Dionyſio Carthuſiano dederit eum de hominibus, non de idolis, exponendi: quis credat virum tantum fuiſſe tam incogitantem, ut in commentario pertinere aſſereret haud dubiè ad idola, eáq; lignea & lapidea, ad qualia refert Bellarminus, tanquam ipſa poſſent ridere & lætari hominum ruina? Mihi certè Hieronymi verba expendenti ſubit ſuſpicio, nõ aliter explicatum ab eo eſſe locum, quàm ſententiæ tenor neceſſariò flagitat: & annotationem, de idolis,

[e] Gen. 1. 26. Eph. 4. 24. Col. 3. 10.
[f] 2. Pet. 1. 4.
[g] In ver. vulg. edit. Lat.
[h] In hunc locum.

ab

ab aliquo in margine primùm additam, poſtea in contextum, librarii aut typographi culpa, irrepſiſſe. Nam Hoſeæ vocem de impiis Iſraelitis, [a] *Converſi ſunt in nihilum*, ut [1] Septuaginta reddiderunt, Hieronymi commentarius excuſus ad hæreticos accommodat his verbis. *Reverſi ſunt in nihilum, non quo deſierint eſſe, ſed quoad comparationem eius qui loquitur ad Moſen, Vade, dic populo Iſrael, Qui eſt miſit me, omnes, qui contra Dominum ſapiunt, non eſſe dicuntur: iuxta illud, quod in Eſther legimus, in Septuaginta duntaxat, Ne tradas ſceptrum tuum his qui non ſunt; haud dubium quin idola ſignificet. Si enim Deus eſt veritas, quicquid contrarium veritati eſt, mendacium eſt, & nihil nominatur. Hoc hæreticis convenit*, & quæ ſequuntur. Quibus in ſententiis prima & poſtrema Hieronymi verba, dilucidè aſſerentia *illud libri Eſther, de his qui non ſunt, convenire omnibus qui contra Dominum ſapiunt*, ac nominatim *hæreticis*, probabile mihi faciunt verba interjecta, *Haud dubium quin idola ſignificet*, &c. per vim intruſa eſſe ex alieno gloſſemate, non ſcripta ab Hieronymo. Eodem planè modo, quo in ipſo libro ſecundum Septuaginta, quum [b] Hieronymus reddidiſſet ex [c] Græca editione, [2] *Et mandavit ei ut ingrederetur ad regem*, adſcripſit itidem aliquis (fortaſſe idem) gloſſematarius, *Haud dubium quin Eſther Mardochæus*: quæ verba, in contextum libri pòſt recepta, hanc lectionem pepererunt; *Et mandavit ei (haud dubium quin Eſther Mardochæus) ut ingrederetur ad regem*. Quippe hoc, *haud dubium*, gloſſema haud dubiè eſſe agnovit Sixtus Quintus; ob eámq; cauſam ex authenticis ſuis vulgatæ editionis Bibliis ex-

[a] Hoſ. 7. 16.

[1] Ἀπεστράφησαν εἰς οὐδέν.

[b] Ver. vulg. edit. Eſth. 15. 1.

[c] Eſth. 4. 8.

[2] Καὶ εἶπεν αὐτῷ, ἐπιτάσσεσθαι αὐτῇ εἰσελθεῖν παραστῆσαι τῷ βασιλεῖ.

expunxit: quantumvis, Sixto mortuo, in Bibliis à Clemente Octavo ejus nomine editis reſtitutum ſit; &, ut proficiunt Romæ, factum paulo pejus. Jam enim ita legitur: *Et mandavit ei (haud dubium quin eſſet Mardochæus) ut ingrederetur ad regem.*

9 Ceterùm ſi meæ huic conjecturæ, nec manuſcriptus ullus codex ſuffragabitur, & reclamabunt Pontificii, ne ipſorum fidem ſuſpectam dubiámq; loci haud dubiè interpolati reddant: appâret tamen ea idola, de quibus ſcriptum eſt, Hieronymo interprete, *Ne rideant ad ruinam noſtram*, quocunque demum ſenſu dicantur non eſſe, revera nihilominus eſſe formaliter. Nam, quod pervagato axiomate tritum eſt, Non entis nullæ ſunt qualitates: id innuit omni prorſus ridendi facultate non ens formaliter privari. [a] Franciſcus Samſon, Generalis Fratrum Franciſcanorum, reprehendens ſuos ob improbitatem & inſcitiam, *Fratres*, inquit, *mei dilectiſſimi, à primordio noſtræ Religionis floruit conſcientia; ſed paulatim ſublabente decore, ablata eſt prima ſyllaba, & remanſit ſcientia: nunc verò, noſtris culpis exigentibus, ablata iterum prima ſyllaba, remanſimus puræ entia, & ſtipites, & ſtatuæ.* Ecce, Franciſcani, confeſſione principis præfectorum ſuorum, ſtipites & ſtatuæ, hoc eſt, idola lignea lapideáq; exiſtunt: &, quia conſcientiam ſcientiámq; amiſerunt, aptiſſimè ad eam phraſin, qua de agitur, dicuntur non eſſe. Tamen, quandoquidem Papa Sixtus Quintus, qui Franciſcanus erat, ridebat, ut opinor, cum Cardinalibus ſuis, quo tempore Didacum Hiſpanum canonizabat; (nam [b] Cato mirabatur ſi non rideret

[a] Petr. Rodulph. Toſſinian. hiſtoriar. Seraphicæ religion. lib. 2.

[b] Cic. de divinat. lib. 2.

deret haruſpex, haruſpicem quum vidiſſet;) certè Franciſcanos aliquando ridere innuit [a] Buchananus, hypocriſin eorum notans, *compeſcere riſum Siquis adeſt*; atque, ne riderent ad ruinã noſtram, gratioſa Dei providentia factũ eſt, Hiſpanis fruſtra Angliam, ut [b] Aſſyriis Jeroſolymam ſub Ezekia, invadentibus: vel ex hoc indicio elucet eos eſſe aliquid formaliter, non materialiter tantùm; utcunque agnoſcendi ſint etiam pura entia, ut à Samſone dicti ſunt, &, ut à Buchanano deſcribuntur, impura. Ita dum ſophiſticè conatur Bellarminus oſtendere idolum, quia nihil eſſe aut non eſſe dicitur, idcirco rei veræ imaginem haud referre: oſtendit Fratres ſuos & Papas [c] nihil eſſe, quamvis ſibi grandes columnæ videantur; ac juſtiſſimam præbet Jeſuitis cauſam deflendi argutias ſuas, ut [d] Rachel filios ſuos, excluſa conſolatione, eo quòd non ſunt.

[a] In poemate inſcripto, Franciſcanus.

[b] 2. Reg. 19. 29.

[c] Gal. 6. 3.

[d] Matt. 2. 18.

CAP. VI.

Hieronymum crebra comparatione hæreſis cum idolo non modò non probare Bellarmini ſomnium, ſed etiam refutare.

Bellarminus.

Quartò, quia B. Hieronymus in cap. 2. Habacuch, & in cap. 13. Zachariæ, & alibi paſſim confert hæreſes cum idolis, quia ut idolum eſt falſa imago, ita hæreſis eſt falſa imaginatio.

Rainoldus

Rainoldus.

a 2. Reg. 6. 14.

OVum à rege Syriæ, bellum gerente contra Iſraelitas, tam[a] numeroſæ copiæ, equi, & currus ad obſidendam urbem, in qua Eliſæus degebat, miſſi eſſent, ut puer ejus, ubi primùm vidiſſet, ei diceret, *Eheu, domine mi, quo modo faciemus? Ne metuito*, inquit Eliſæus; *nam plures ſunt qui nobiſcum quàm qui cum illis ſunt*. Omnino Bellarminus, armis ſuſceptis contra veritatem, ita multis rationibus è Scripturis, Patribus, exteriſq; autoribus oppugnat orthodoxam ſententiam, quam tuemur, ut imperitiores ſubire poſſit timor ne conclamatum ſit. Mihi verò major eos confirmandi ſuppetit occaſio, quàm Eliſæo ſuppetebat, quia non ſolùm plures ſunt nobiſcum quàm cum Bellarmino: verùm etiam illi, quorum Bellarminus nomina oſtentat ut ſuis partibus faventium, revera non ab ipſo ſed à nobis ſtant. Hoc tria ſuperiora probationum capita fecerunt manifeſtum in Scripturis veteris & novi Teſtamenti, canonicis & apocryphis, Hieronymo ſemel & iterum, ac Platone. Idem patefaciunt tria, quæ ſuperſunt, in Hieronymo rurſum, Tertulliano, Euſtathio, Homero, Luciano, Latino Scripturarum interprete, Auguſtino, Hieronymo quartùm, Lucretio, & Virgilio. Duntaxat Eliſæi exemplum imitandum eſt in precibus Deo adhibendis: *ô Iehova, aperi quæſo oculos*

los eorum ut videant. Ita illustrati mirandam & miserandam putabunt cæcitatem Syrorum sub Papatu: quorum oculis tanta offunditur caligo, ut pro Bellarmino propugnare autument illos à quibus confoditur atque trucidatur.

2 Et quidem Hieronymus (quo admirabilior est Jesuitæ impudentia) pro nobis contra eum facit, tûm in iis ipsis locis quos citat: tûm in ea ipsa comparatione hæresis cum idolo, qua commentum suum probari asseverat. Namque [a] primò in Habacuc, *Dicitur*, inquit, *de Nabuchodonosor, quòd fabricatus sit statuam idoli Bel, & posuerit eam in campo Dura*. Sive autem istud ex sententia sua scripserit Hieronymus; sive eam potiùs opinionem amplexus sit, qua [b] tradit, in Danielem, *iussisse Nabuchodonosor statuam sibi fieri, ut ipse in illa coleretur: idoli* certè nomine [1] imaginem utrobique & similitudinem rei veræ denotat. Nec enim vel de Belo dubitari potest quin esset res subsistens Hieronymo judice: [c] qui modò eum facit Saturnum; (utrùm vulgari Latinorum sensu? an ut [d] Saturnus idem est cum Sole Assyriis?) [e] modò Nini patrem, à filio consecratum & pro Deo habitum. Deinde, in Zachariam, [f] affirmans *Christi adventu omnia idola de terra ablatum iri*, quorum nonnulla effigies *bestiarum* fuisse [g] alibi observat: denuo simulacra rerum subsistentium in idolis numerat. Quod & porrò asserit, addens, *de idolis à Psalmista dici, Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum*. Hæc enim è [h] sequentibus Psalmi verbis patet imagines ac statuas hominûm fuisse, ut [i] suprà declaravi. Denique (ne plures in re tam manifesta probationes congeram ex locis ad quos digitum in-

[a] Hieron. in Habac. cap. 2.

[b] In Dan. ca. 3.

[1] Chald. צלם Gr. εἰκόνα. Dan. 3. 1.

[c] In Esai. cap. 46.

[d] Servius in Virg. Æneid. lib. 1.

[e] Hieron. in Hos. cap. 2.

[f] Idem in Zachar. cap. 13.

[g] Idem in Esai. cap. 46.

[h] Psal. 115. 5.

[i] Huius libri cap. 2. § 4.

intendit Bellarminus) de filiis Iſraelis, quibus per Amos prophetam Dominus ait, [a] *Portaſtis tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem* [1] *idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis*, [b] Hieronymus ita ſcribit. *Moloch regis ſui portaverunt tabernacula, & imaginem idolorum ſuorum ſtatuarúmq; venerati ſunt: & quæ ſit ipſa imago, vel idolum, ſequenti ſermone demonſtrat; Sidus Dei veſtri; quod Hebraicè dicitur* כוכב, *id eſt lucifer, quem Saraceni nunc uſque venerantur.* Ubi, quando copulat voces *idolorum*, atque *ſtatuarum*, ut idem ſignificantes; & eodem modo in ſimulacro ſideris, quod Iſraelitæ colebant, ait *demonſtrari quæ ſit imago, vel idolum*: nónne citra omnem dubitationem idolum eſſe rei verè ſubſiſtentis ſimilitudinem pronuntiat? Profectò, niſi ſtellas, beſtias, hominéſq; non ſolùm mortuos, ſed & vivos, Bellarminus ſua diſtinctione nihili eximet è numero entium formaliter, idolum Hieronymo imaginem & ſimulacrum eſſe rei verę, idq; illis ipſis in locis quos deſignat, concedat eſt neceſſe.

[a] Amos 5.26. ex vulg.edit.
[1] Heb. צלמים Gr. τύπους, apud Septuagint. & Act.7.43.
[b] In Amos cap.5.

3 Neque verò poterit effugere quin agnoſcat Hieronymum etiam comparatione hæreſis cum idolo, quam ibidem inſtituit, idem comprobare. Nam poſteaquam in Habacuc [c] dixerat, *idola tropologicè dogmata eſſe perverſa, quæ ab his à quibus ficta ſunt adorantur; ut Arius ſculpſit ſibi idolum creaturæ*, (id eſt, [d] falſò aſſeruit Chriſtum Dei filium creaturam eſſe,) *& adoravit quod ſculpſit; ut Eunomius conflavit imaginem falſam*, (id eſt, [e] Filium Patri diſſimilem eſſe blaſphemavit,) *& conflationi ſuæ curvavit cervicem:* addit, *univerſa hæreticorum idola, & diaboli figmenta, imaginem divinitatis et pulchritudinem dogmatum præferre*

[c] Hieron. in Habac. cap.2.
[d] Idem adverſ. Lucifer. cap.1. & 4.
[e] Idem in epiſt. ad Epheſ. cap.4. Baſil. adverſ. Eunom. lib.1.

ferre videri, quum in illis nihil ſpirans ſit & vitale. Quo quid potuit quiſquam proloqui apertius, ut oſtenderet, hæreſin, etſi diabolicum, turpe, falſum dogma ſit; imaginem tamen pulchri, divini, veri præ ſe ferre? Jam in Zachariam, citatis Pauli verbis, quibus hæreſes nuncupantur [a] *doctrinæ dæmoniorum, per hypocriſin falſiloquorum*; [b] *Sicut enim*, inquit, *idola fiunt manu artificis, ita hæreticorum perverſa doctrina, quodcunque ſimulaverit, vertit in idolum, & facit pro Chriſto adorari antichriſtum.* Cujus ad loci illuſtrationem ſi adjungamus quod in Amos de hæreticis [c] ſcribit; *Sub nomine Chriſti prava ſibi dogmata confingunt, nec unum colunt idolum, ſed pro varietate doctrinæ diverſos adorant Deos, & ſidus Dei ſui; qui quum ſit angelus Satanæ* [d] *tranſfiguratur in angelum lucis, &* [e] *cadit de cœlo quaſi fulgur, & imitatur Chriſtum antichriſtus*: rurſum veritatis ſimilitudinem & imaginem in hæreſi apparere ex Hieronymi ſententia perſpiciemus. Hoc enim tùm hypocriſis & ſimulatio inſinuat, quæ [f] formam habet pietatis: tùm figura angeli lucis, qua ſe induit angelus tenebrarum: tùm fulguris commemoratio, cujus quaſi ſplendor in Satanæ lapſu emicat, ut in [g] adventu Chriſti: tùm Chriſti imitatio tributa [h] antichriſto, quia, licèt Chriſtum exprimat hæreticus, non veris fidei dotibus fructibúſq; , ut [i] Paulus, ſed ficta geſtuum ſpecie, ut [k] hiſtrio ſolet regem, aut [l] cercopithecus ſimiáve hominem; aſſimilatur tamen Chriſto quodammodo, ſicut [m] Ennius cecinit,

Simia quàm ſimilis, turpiſſima beſtia, nobis?

4 Exemplorum appoſitio rem faciet planiorem.

[a] 1. Tim. 4. 1.
[b] Hieron. in Zachar. c. 13.
[c] Idem in Amos cap. 5.
[d] 2. Cor. 11. 14.
[e] Luc. 10. 18.
[f] 2. Tim. 3. 5.
[g] Luc. 17. 24.
[h] 1. Ioh. 2. 18.
[i] 1. Cor. 11. 1.
[k] Macrob. Saturn. l. 2. c. 7.
[l] Strab. lib. 15.
[m] Apud Cicer. lib. 1. de nat. Deor.

[a] 1.Reg.13.19. [a] Propheta habitans Bethele, qui viro Dei è Judæa ad Jeroboamum miſſo perſuaſit ut mandatum Dei violaret, dixit *angelum ex verbo Iehovæ id ſibi præcepiſſe*: falſò per hypocriſin de angelo affirmans, quod [b] Jacob & [c] Zacharias verè ſinceréq;. [d] Sedekias pſeudopropheta, quum ab Achabo conſuleretur de ſucceſſu belli adverſus Syros ſuſcipiendi, fecit ſibi cornua ferrea, & dixit; *Sic ait Iehova, his feries Syros, adeò ut conſumas eos*. In quo externum ſignum verbo adjecit verorum prophetarum more: ut [e] Eſaias juſſus eſt incedere nudus & diſcalceatus; ac [f] Jeremias vincula & lora indere collo ſuo. [g] Pſeudapoſtoli, jugum Legis Chriſtianis obtrudere conantes, aſſerebant *eos ſervari non poſſe, niſi ritu Moſis circumciderentur*. Et [h] imitationem Chriſti ſic urgebant, ut [i] Chriſtiani quidam ad noſtra uſque tempora circumciſionis ritum retinuerint: iſtam ſui facti reddentes rationem, *quòd Chriſtus circumciſus ſit*. Quid? In aliorum quoque hęreticorum idolis & figmentis, nónne *diabolus res ipſas divinorum ſacramentorum imitatus eſt*, ut obſervat [k] Tertullianus? Arius item, & Eunomius, ab Hieronymo pro inſignibus Satanæ inſtrumentis & errorum [l] verbo Dei adverſantium facibus nominati, voluerunt Apoſtolis, [m] *Patres* [n] *Scripturáſq;* & [o] *fidem electorum Dei* citantibus, ſimiles videri: [p] ille, dum *ſe dogma ſuum ab electis Dei ſecundum fidem, ſanctis, rectigradis, Dei diſcipulis, per omnia ſapientibus, accepiſſe* ſcribit: [q] hic, dum pro *ſuo gnomone* proponit *traditionem Patrum, & fidem quæ iam inde à ſuperioribus ſeculis obtinuit*; [r] *ſeq; non multorum incertas opiniones ſequi, ſed Sanctorum in omnibus doctrinam tueri* profitetur. Quapropter Hieronymus dogmata perverſa,

[b] Gen.31.11.
[c] Zac. 1. 9.
[d] 1.Reg.22.11.
[e] Eſai. 20.2.
[f] Ier. 27. 2.
[g] Act. 15. 1. Gal. 5. 2.
[h] Epiphan. hær.30.contr. Ebionæos.
[i] Bern. Breidenb. peregrinat. Ieroſolymit.part. 2.ca. de Abyſſinis. Fran. Alvarez deſcript. Æthiop.cap. 96.
[k] De præſcript. adverſ. hæret. cap. 40.
[l] Ioh.1. 1. Heb. 1.3. Apoc. 1.8.
[m] Act.26.6. Iac.2. 21.
[n] Rom. 1. 2. 2. Pet. 1.19.
[o] Tit. 1. 1. Iud. verſ.3.
[p] Arius, apud Athanaſium, orat.2.contr. Arianos.
[q] Eunomius, apud Baſilium, adverſ. Eunom. lib.1.
[r] Ibid. lib.3.

in

in quibus dæmones falsa loquuntur per hypocrisin, & Satanas se in angelum lucis transfigurat, Christúmq; imitantur hæretici & antichristi, imaginem sine dubio rerum verarum gerere declarat.

5 Et quid si Bellarminus ipse hoc agnoscat? Quid si non ex verbis Hieronymi solùm, sed aliis etiam documentis, inferri posse sciat; immo inferat, & concludat? Taménne pergent Pontificii fidem ei habere? ac se in errorem induci, non à cæco, [a] cujus prolapsio excusabilior esset, sed à vidente, patientur? Sanè, si nihil asseruisset ampliùs, quàm paulo antè [b] asseruit, *imaginem esse veræ rei similitudinem, quoniam imago ab imitando dicta est*: tamen Hieronymus, de antichristo Christum imitante loquens, ostenderet se putare hæresin similitudinem esse rei veræ. Verùm Bellarminus, [c] alibi verba faciens de Adami & Evæ infidelitate, postquam laudasset [d] Tertulliani dictum, *Quis dubitabit ipsum illud Adæ delictum hæresin pronuntiare, quod per electionẽ suæ potiùs quàm divinæ sententiæ admisit?* atq; subjecisset, *id, quo* [e] *serpens Evam seduxit, verisimile videri debuisse; quia seducitur quis, quum ei persuadetur aliquid falsum sub specie veri: Exemplum*, inquit, *habemus in hæreticis, qui Satanam in seducendis fidelibus studiosè imitantur; neque enim Calviniani dicunt mentitum esse Christum quum pane in manibus sumto ait, Hoc est corpus meum; si enim hoc dicerent, neminem seducerent; sed ab omnibus ut blasphemi & impij repellerentur; sed dicunt à Catholicis non rectè intelligi verba Christi, & per tropum accipienda quæ à Catholicis sine tropo accipiuntur: & similiter faciunt omnes alij hæretici, qui non Deum mendacem, sed Catholicos imperitos esse contendunt, &*

[a] Ioh.9.41.

[b] Bellarm.de eccles.triũph. lib.2.cap.5.

[c] De amiss. grat.& statu pecc.l.3.c.6.

[d] Adver.Marcion.l.2.c.2.

[e] Gen.3.1.

hac ratione multis imponunt. Ita evidenter fatetur & confirmat ab hæreticis omnibus, velut astuti serpentis imitatoribus, falsum veri specie & similitudine fucatum hominibus propinari.

6 Quam ad rem ineptum quidem exemplum Calvinianorum, nisi fortè Augustinus, immo & Apostolus Calvinianus fuit, adhibet. Nam Apostolus docens loquutum esse Christum de [a] *corpore suo fracto*, [b] hoc est, crucifixo & mactato; eúmq; [c] *semel tantùm mortuum fuisse*, [d] *nec amplius mori posse*; concludit necessariò, [e] panem, cujus [f] fractio toties iteratur, quoties celebratur mysterium cœnę Domini, non propriè, sed per tropum corpus Christi dici. [g] Augustinus autem disertis verbis ait, *loquutionem de corpore Christi manducando, & sanguine bibendo, figuratam esse: qua iubeamur scilicet passioni Christi communicare, & suaviter atque utiliter recondere in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit*. Sed aptissimum contrà exemplum habet Bellarminus, si locum hunc in nova editione operis (qua se adjuncturum [h] promittit quæ nonnullis desiderari videntur) emendare volet, aptissimum, inquam, habet exemplum in Papistis: qui affirmant verba, *Hoc est corpus meum*, accipienda sine tropo; & ab [i] orthodoxis, per tropum ea exponentibus, non rectè intelligi. Quantam enim veri speciem è verborum Christi quasi cortice pro monstrosæ suæ [k] transubstantiationis hæresi obtendant, docere poterit multis similibus exemplis: primò, Judæorum; qui, quod Christus tropicè de corpore suo dixit, [l] *Destruite templum hoc, & intra triduum excitabo illud*; id acceperunt absque tropo: secundò, Nicodemi; qui, quod Christus tropicè de

[a] 1.Cor.11.24.
[b] Esai.53.5. Luc.22.19. Ioh.6.51.
[c] Heb.9. ver. 26.& 28.
[d] Rom.6.9.
[e] 1.Cor.11.26.
[f] Act.20.7. 1.Cor.10.6.
[g] De doctr. Christian.l.3. c.16.
[h] Tom.3.præfat.ad lectorem.
[i] Consens. orthodox. sacræ Scriptur. & vet.Eccles.de sentent.& verit. verbor. cœnę Domini.
[k] Conc. Trident.sess.13. cap.4.
[l] Ioh.2.19.

de renovatione humani animi dixit, [a] *Nisi quis genitus sit denuo, non potest videre regnum Dei*; id absque tropo accepit: tertiò, Samaritanæ; quæ, quod Christus tropicè de Spiritu sancto dixit, [b] *Qui squis biberit ex aqua illa quam ego ei dabo, non sitiet in æternum*; id absque tropo accepit: quartò, ipsorum discipulorum Christi; qui, quod Christus tropicè de exequenda Patris voluntate dixit, [c] *Ego cibum habeo quo vescar, quem vos nescitis*; id acceperunt absque tropo: & eorundē quintò, qui absque tropo acceperunt, quod per tropum dixit Christus de doctrina, [d] *Cavete à fermento Pharisæorum*: & eorundem sextò, qui absque tropo acceperunt, quod per tropum dixit Christus de morte, [e] *Lazarus amicus noster dormit*: & eorundem septimò, qui, quod figuratè loquutus est Christus, ut pacem, in qua diu vixerant, jam cessare, & bellum acerrimum imminere scirent, [f] *Nunc qui non habet, vendat pallium suum, & emat gladium*; ad illud tanquam propriè dictum responderunt, *Ecce duo gladij hîc*. Quinetiam, ut ex pluribus Scripturarum locis, eadem verisimilitudine perperam acceptis, similia commento transubstantiatorum portēta nata esse pateat, licebit ei, octavò, adjungere fabulā apocryphā; qua, quod Paulus tropicè dixit de hominibus feris absurdísq;, [g] *se adversus bestias pugnavisse Ephesi*, ut rectè post [h] Tertullianū & [i] Theophylactū exponunt [k] Beza & [l] Baronius; ex eo quidam, quos [m] Nicephorus citat & sequitur, fecerūt absque tropo Paulum leonibus Ephesi objectum: nonò, Judaicum deliramentum; quo, sententiam tropicè enunciatam ab Esaia, [n] *Tempore illo erit Iehovæ* [1] *altare in media terra Ægypti*, ubi Christi adventu Deum à Gentibus [o] in spiritu ac veritate

[a] Ioh. 3. 3.
[b] Ioh. 4. 14.
[c] Ioh. 4. 32.
[d] Matt. 16. 6.
[e] Ioh. 11. 11.
[f] Luc. 22. 36.
[g] 1. Cor. 15. 32.
[h] De resurrect. carn. cap. 48.
[i] In hunc locū.
[k] Annot. maiorib. in eund.
[l] Annal. eccl. tom. 1. anno Dom. 55.
[m] Hist. eccles. l. 2. c. 25.
[n] Esai. 19 19.
[1] Heb. מזבח
[o] Ioh. 4. 23.

ritate adoratum iri ſignificatur umbris figuríſq; Legis, ut alibi [a] ſuffimentum & [x] munus purum in omni loco nomini Dei oblatum iri ſcriptum eſt, & [b] feſtum tabernaculorum Jeroſolymis celebratum, [z] ſacrificiáq; immolatum iri; [c] Onias propriè accepit, & altare ac templum Jeroſolymitano ſimile in Ægypto exſtruxit: decimò, & undecimò, duos graviores complurium Judæorum errores; quorum altero tropicum [d] Malachiæ dictum de [e] *Iohanne Baptiſta* [f] *Chriſtum prædeſſuro cum ſpiritu & virtute Eliæ*, tûm [g] Scribæ acceperunt olim abſque tropo, tûm recentioribus ſeculis [h] Talmudici doctores & [i] Rabbini; altero figuratos ſermones [k] Prophetarum de *ſpirituali regno Meſsiæ* [l] iidem [m] aliíq; acceperunt propriè: duodecimò, ex eadem ſtirpe fruticantem hæreſin [n] Chiliaſtarum; qui, quod de beato ſtatu fidelium poſt reſurrectionem in [o] Apocalypſi tropicè effertur ſub typo *novæ Ieruſalem è cælo deſcendentis*; [p] id abſque tropo acceperunt: decimotertiò, hæreſin Anthropomorphitarum; [q] qui abſque tropo acceperunt quæ de [r] *oculis*, [s] *facie*, [t] *manibúſq; Dei* per tropum ſcripta ſunt, & humanam ei formam affinxerunt: poſtremò denique hæreſin [u] Seleuci & Hermię, [x] Nubianis, Jamenis, [y] Abyſſinis probatam; qui in ſacramento item baptiſmi, ſimillimè ac Papiſtæ in ſacramento cœnæ Domini, quod tropicè de Spiritus ſancti efficacia Johannes Baptiſta dixit, [z] *Chriſtum ſuos*

[a] Mal.1.11.
[x] Heb. מנחה
[b] Zac.14. ver. 16. & ſequent.
[z] Heb. חגת Zac.14.21.
[c] Ioſeph. antiquit. Iud. lib. 13. cap. 6.
[d] Mal.3.23.
[e] Matt.11.14.
[f] Luc.1.17.
[g] Matt.17.10. Eccl. 48.10.
[h] Tract. Irubin, cap 4. & tract. Edaioth, ca. 8.
[i] Seder olam rabb cap.17. Aben Ezra & David Kimhi in Mal.4.
[k] Ier.23.5. Ezek.37.24. Zac.9.10.
[l] Moſes Maimon. Miſnaioth lib. 14. tract. de regibus & bellis, cap.11. & 12.
[m] Matt.20.21. Luc.24.21. Act.1.6.
[n] Auguſtin. de hæreſib. cap.8.
[o] Apoc.21.ver. 2.10. & ſequent.
[p] Iren. adverſ. hær. lib. 5. cap. 35. Hieron. præfat. lib. 18. comment. in Eſai. & in Ezekiel. cap.36.
[q] Caſſian. collat. 10. cap. 1. & 2. Sozomen. hiſt. eccleſ. lib. 8. cap. 11.
[r] Pſal.34.16.
[s] Pſal.27.8.
[t] Pſal.8.7.
[u] Philaſtr. de hæreſib. cap. 45. Alfonſ. Caſtr. adverſ. hær. lib. 3. verbo, Baptiſmus. hær. 1.
[x] Borchard. deſcript. terr. ſanct. part. 2. cap. 2. §. 7.
[y] Breidenb. peregrinat. Ieroſ. part. 2. cap. de Abyſſinis. Petr. Bellon. obſervat. lib. 2. cap. 85.
[z] Mat.3.11.

ſigne

igne baptizaturum esse; id absque tropo accipiunt; & ignito ferro infantibus suis imprimunt, plerique triplex signum crucis, alii unum, in frontibus, genis, aut super nasum. Atque adeò istud exemplum Papistarum, tanta similium exemplorum copia facilè illustrandum, Bellarminus eo aptiùs substitueret, quia [a] Hieronymo quoque ad hæreticos accommodanti illud Amos prophetę, [b] *Portastis tabernaculum Moloch*, præclaram lucem afferret. Namque Pontificii, quasi Israelitas hac idololatriæ specie ad vivum exprimere statuissent, *sanctifici crustuli*, ut appellat [c] Philander, id est, Moloch sui * *tabernaculum* [d] *in processionibus* bajulant: & bajulationem suam, tanquam scorta, libidinum vestigiis ac notis ostentandis nequissimè sibi placentia, pictura execrabilis & sacrilegæ pompæ, in reformatis suis Romanis [e] Missalibus, subjiciunt sub aspectu.

[a] In Amos c. 5.
[b] Amos. 5. 26.
[c] Annot. in Vitruv. l. 4. c. 8.
* Durand. rational. divin. offic. lib. 4. cap. 1. §. 15.
Pontifical. Rom. part 2. cap. *de benedictione tabernaculi, sive vasculi pro Eucharistia conservanda.*
[d] Conc. Trid. sess. 13. cap. 5.
[e] In festo Corporis Christi.

7 Ceterùm etsi Jesuita, opinionis suæ præjudicio cæcatus, pro tam vero & apto exemplo ineptissimum falsissimúmq; ponit: tamen & perspicit, & ex perspectis probat, hęreticorum dogmata nequaquam seductura homines fuisse, nisi veri speciem & similitudinem haberent. Quare quum discipulis suis mandatum de Pharisęis Christus dederit, [f] *Omittite illos; duces sunt cæci cæcorum: quòd si cæcus cæcum per viam duxerit, ambo in foveam cadent*: quam ei rationem reddent Christiani in Seminariis & Ecclesiis Papisticis educati, si perseverabunt istum sectari; qui, cognoscens hęreses verisimiles, & esse, & Hieronymo videri, concludit Ecclesiasticos scriptores inficiari idolum similitudinem esse rei veræ, quòd Hieronymus hæreses cum idolis conferat?

[f] Matt. 15. 14.

CAP. VII.

Propriam & primariam ſignificationem Græcæ vocis, εἴδωλον, à Bellarmino perverſiſſimè ad commenti ſui defenſionem torqueri.

Bellarminus.

Vintò, ex ipſa vocis proprietate; nam (ut Tertullianus docet libro de idololatria) idolum eſt diminutivum ab εἶδος, id eſt, forma, & ſignificat formam parvam, non quantitate ſola, ſed perfectione. Eſt enim propriè idolum (ut exponit Euſtathius in libro II. *Odyſſeæ) imago inanis, qualis eſt, quæ cernitur in umbra hominis, & qualia ſunt phantaſmata, id eſt, imagines quas imaginatione fabricamus, quibus ſæpe nihil reſpondet in re; & qualia denique ſunt ſpectra & umbræ mortuorum, quæ videntur quidem eſſe aliquid ſolidum, ſed inanes ſunt. Vnde Homerus in* II. *Odyſſeæ, & Lucianus in Dialogo de mortuis, animas mortuorum vocant εἴδωλα. & Virgilius in ſexto libro Æneidos videtur idipſum explicare voluiſſe, cùm ait:*

Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum
Æneas, ſtrictámq; aciem venientibus offert:
Et, ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare cava ſub imagine formæ;
Irruat, & fruſtra ferro diverberet umbras.

Vbi quod Homerus, et Lucianus vocant εἴδωλα, vocat ipſe umbras, & cavas imagines, id eſt, vanas & inanes.

Quoniam

Quoniam ergo idolum propria & primaria ſignificatione deſignat imaginem inanem, inde ſcriptores ſacri, & Eccleſiaſtici Doctores vocaverunt idola ſtatuas falſorum Deorum, licèt ſolidæ ſint quoad materiam, quia inanes ſunt quoad formam, id eſt, quoad repræſentationem. Hæc de nomine idoli.

Rainoldus.

Quantum eſt in rebus inane? inquit [a] Perſius. Quantum? Immane quantum ſine dubio, ſiqua ex parte referant iſtam Bellarmini diſputationem: in qua de *inani imagine* ſic agit, ut ſophiſmata ſua ſimplicitatis & veritatis inaniſſima eſſe doceat. Ratiocinatur enim hunc in modum. *Idolum propria & primaria ſignificatione deſignat imaginem inanem: ſcriptores autem Eccleſiaſtici ex propria et primaria ſignificatione vocaverunt idola ſtatuas falſorum Deorum: idolum ergo apud ſcriptores Eccleſiaſticos dicitur imago inanis quoad formam, id eſt, quoad repræſentationem.* Quo in ſyllogiſmo eundem nobis fucum facere conatur ex ambiguitate vocabuli, *inanis*: quem antè ex fallacia ſimili in verbis, *Idolum nihil eſt.* Nam inane dici aliud ſimpliciter, aliud ſecundum quid; & rurſum, inter ea quæ ſecundum quid, aliud alio reſpectu, pro varietate rerum quibus inane aut plenum eſſe ſolet ſubjectum de quo agitur; appâret ex ſententia illa [b] M. Tullii: *Quũ vas inane dicimus, non ità loquimur ut phyſici, quibus inane eſſe nihil placet; ſed ita, ut, verbi cauſa, ſine aqua, ſine vino, ſine oleo vas eſſe dicamus.* Quippe natu-

[a] Satyr. 1.

[b] Lib. de fato.

[a] naturalis philoſophiæ magiſtri, negantes quicquam eſſe inane aut vacuum, loquuntur de inani ſimpliciter, quod nihil prorſus continet. Popularis autem ſermonis conſuetudo ea inania ſecundum quid appellat, quę nihil habent ſolidi alicujus corporis, aut, etſi alicujus, non tamen certi cujuſdam; ut [b] *cenotaphium* dicitur, ſeu *tumulus inanis*, qui licèt aere plenus ſit, aut terra forſitan, aquáve, tamen eo corpore, cujus memoriæ conſecratur, vacat.

[a] Ariſtot. phyſicor. l. 4. c. 8. & 9. Plutarch. de placit. philoſ. l. 1. c. 18.

[b] L. 6. D. de diviſ. rer. & qualit.

[c] *Solennes tum fortè dapes & triſtia dona*
Ante urbem in luco, falſi Simoentis ad undam,
Libabat cineri Andromache, manesq; vocabat
Hectoreum ad tumulũ: viridi quem ceſpite inanem,
Et geminas, cauſam lacrymis, ſacraverat aras.

[c] Virg. Æneid. lib. 3.

Jam verò Bellarminus inani ſolidum ſic opponit in eo, quod probandæ propoſitioni adhibet ex Euſtathio de *umbris mortuorum, quæ videntur quidem eſſe ſolida corpora, ſed inanes ſunt*; tanquam inanem imaginem eam diceret, quæ ſit inanis rei ipſius quam repræſentat, quòd corpus, cujus ſpeciem præ ſe fert, non habeat. Quo ſenſu ſi aſſereret in propoſitione, *idolum propria & primaria ſignificatione inanem imaginem deſignare*: tum in concluſione ſola peccaret, ubi diverſo vocis ſenſu infert, quod ex propoſitione ſic intellecta non ſequitur, *idolum eſſe imaginem inanem repræſentationis*, id eſt, quæ nihil repræſentet. Nam εἴδωλον, quod [d] Homerus ſuppoſitum pro Ænea fingit, repræſentabat aliquid, videlicet Æneam: & tamen erat imago inanis rei repræſentatæ, quòd Æneæ corpus, cujus præ ſe formam ferebat, non haberet. Unde & Juno [e] Virgiliana dicit Veneri:

[d] Iliad. lib. 5.

[e] Æneid. li. 10.

Tu potes Æneam manibus ſubducere Graiũm,

Proq

Proq; viro nebulam & ventos obtendere inanes.

Similiter in illis [a] Ovidii verſibus de Baccho,

[a] Metam. li. 3.

Quem circa tigres, ſimulacraq; inania lyncum,
Pictarumq; iacent fera corpora pantherarum,

traduntur ſimulacra repræſentaſſe aliquid, nempe lynces feras: & tamen rei repræſentatæ inania dicuntur, quòd neutiquam continerent animantes vivas, quarum ſpeciem referebant. Ceterùm Bellarminus, quum in concluſione imaginem inanem dicit, non quæ ſit inanis reſpectu rei repræſentatæ, ſed reſpectu repræſentationis, accommodatè loquitur ad aſſertionem quam confirmare inſtituit, idolum ſcilicet falſam eſſe ſimilitudinem & repræſentantem id quod non eſt. Quapropter, ex præceptis artis differendi, in propoſitione eodem ſenſu dicere debuit idolum propria & primaria ſignificatione imaginem eſſe inanem. Quod videtur item accipi voluiſſe ex altero Euſtathiano exemplo de *phantaſmatis, quibus ſæpe nihil reſpondet in re*. Itaque revocata voce multiplicis ſenſus ad ſimplicem, quem Bellarmini inſtitutum ratióq; flagitat, argumentatio ejus hunc in modum habet. Idolum propria & primaria ſignificatione deſignat imaginem repræſentantem id quod non eſt: ſcriptores autem Eccleſiaſtici tribuerunt nomen idoli propria & primaria ſignificatione falſorum Deorum ſtatuis: idolum ergo apud ſcriptores Eccleſiaſticos deſignat imaginem repræſentantem id quod non eſt. Cujus ſyllogiſmi propoſitionem quàm vanis fallacium rationum ſpectris communiat ex Tertulliano, Euſtathio, Homero, Luciano, & Virgilio: jam poſt diſſipatum ambigui vocabuli, inanis, fumum & caliginem clariùs elucebit.

2 *Nam (ut Tertullianus docet libro de idololatria) idolum eſt diminutivum ab* εἶδος, *id eſt, forma, & ſignificat formam parvam, non quantitate ſola, ſed perfectione.* En prima ratio Bellarmini, à Tertulliani teſtimonio, vel potiùs nudo nomine, haud abſque ſingulari artificio ducta. Etenim hanc totam enunciationem, idolum diminutivum eſſe ab εἶδος, & ſignificare formam tùm quantitate parvam, tùm perfectione, quis non ex Bellarmini verbis colligeret doceri à Tertulliano? Atqui Tertullianus veſtigium nullum habet clauſulæ poſtremæ, de perfectionis parvitate. Formam autem parvam idolo propriè ſignificari, ac non item magnam, tantum abeſt ut doceat, ullóve argumento probet, ut ne dicat quidem: immo etiam negat. Et quia verè negat idolum ſignificare propriè parvam formam; quippe quod ad omnem formam jure extendit: propterea, licèt εἴδωλον diminutivum eſſe dicat, id tamen à ſe falſò dici commonſtrat. Hæc enim [a] ejus verba ſunt. Εἶδος *Græcè formam ſonat: ab eo per diminutionem* εἴδωλον *deductum, æquè apud nos formulam fecit. Igitur omnis forma vel formula idolum ſe dici expoſcit.* Quarum ſententiarum poſterior contradicit priori. Namque ſi εἴδωλον diminutivum eſſet, ſignificaret omnem formulam duntaxat. Quòd ſi omnem etiam formam ſignificet, diminutivum non eſt. ut ἰχθὺς, verbi gratia, quod Græcè *piſcem* ſonat, diminutivum non eſt, quia omnis piſcis ſe ἰχθῶ dici expoſcit. Contrà ἰχθύδιον, quod *piſciculum* ſonat, nequaquam de omni piſce dicitur, quia diminutivum eſt. Siquidem, quum [b] Johannes memorat *rete plenum centum quinquaginta tribus magnis piſcibus*, Græcè, ἰχθύων: potuiſſet pro ἰχθύων dicere ἰχθυδίων, voce apud

[a] De idololat. cap. 3.

[b] Ioh. 21. 11.

apud [a] alios Evangeliſtas uſitata, ſi ἰχθύδιον omni piſci conveniret. Atqui, ſi iſta voce uſus eſſet, dixiſſet rete plenum fuiſſe magnis piſciculis, ſeu, magnis parvis piſcibus: quo quid abſurdius? Quocirca Tertullianus, aſſerens omnem formam idolum dici debere, inficiatur εἴδωλον diminutivum eſſe. Porrò idolum ſignificare omnem, non modò formulam, ſed & formam, conſtanter meritóq; pronuntiat. Etenim tûm in genere [b] infert è veſtigio, *Inde idololatria omnis circa omne idolum famulatus & ſervitus*; ac rurſum, [c] *Omnia colit humanus error, præter ipſum omnium conditorem; eorum imagines idola, imaginum conſecratio idololatria:* tùm verò [d] ſpeciatim in *idolis* numerat *imaginem à rege Nabuchodonoſor factam*; quæ, [e] ſexaginta cubitorum altitudinem habens, icuncula aut formula profectò non fuit.

[a] Matt. 15. 36. Marc. 8. 7.

[b] De idololatr. cap. eod.

[c] Ibid. cap. 4.

[d] Ibid. cap. 15.

[e] Dan. 3. 1.

3 Atque ita latè patêre Græcæ vocis ſignificationem, ex omnium Græcorum autorum conſenſione judicióq; liquet. [f] Homerus canit Apollinem, poſteaquam Æneam è periculo pugnę in tutum locum ſubduxiſſet, fabricaſſe εἴδωλον ſimile Æneæ. Quod ut à [g] Virgilio, Homerum imitante, redditur imago; *At primas læta ante acies exultat imago*: ita, ad Æneæ ſpeciem in prælio Græcis & Trojanis repræſentandam factum, reſpondiſſe ei fingitur magnitudine. Ac [h] Euſtathius, fabulam ex ſententia veterum exponens allegoricè, ait univerſum mundum eſſe magnum εἴδωλον Dei. Inſulsè, ſi εἴδωλον ſignificaret formam parvam. [i] Herodotus inter ſtatuas à Crœſo Delphis donatas commemorat mulieris εἴδωλον tricubitale, quod piſtricis Crœſi imaginem eſſe dicebant. Quum autem juſta viri ſtatura quatuor cubitorum ſit, ut ex [k] Vitruvio patet:

[f] Iliad. lib. 5.

[g] Æneid. li. 10.

[h] In Homer. Iliad. lib. 5.

[i] In Clione.

[k] De architect. lib. 3. cap. 1.

tet: videtur hæc imago mulieri, quæ viro minor eſſe ſolet, magnitudine par fuiſſe. Spartani ſaltem, quos [a] Herodotus narrat regis ſui, in bello mortui, εἴδωλον ad ſepulturam extuliſſe toro bene ſtrato, non imagunculam, ſed imaginem ejus formabant: ſicut [b] Romani Imperatoris ſui, quē Diis adſcribere ſtatuerant, imaginem, defuncto uſquequaque ſimilem, effingere ſolebant. [c] Steſichorus, & [d] Euripides, negantes Helenam unquam Trojam perveniſſe, (quippe quam in Ægypto retentam à rege Proteo [e] Ægyptii ſacerdotes dixerint,) affirmant εἴδωλον ejus fuiſſe de quo Troiæ dimicatum ſit. In quo faciunt εἴδωλον effigiem æquè magnam, atque Helenam ipſam: quemadmodum & [f] Trojani, Helenam eam eſſe exiſtimantes; & [g] Teucer, veram Helenam (quam in Ægypto vidit) eandem ratus, arguunt. [h] Anaxagoras, Mauſoli ſepulcrum conſpicatus, *Sepulcrum*, inquit, *ſumtuoſum eſt* εἴδωλον *divitiarum in lapides converſarum*. Ubi quàm ridiculum ſit interpretari εἴδωλον formam parvam, facilè agnoſcent qui conſiderabunt [i] ſepulcrum illud centum quadraginta pedum altitudine fuiſſe, circuitu quadringentorum undecim. Polycletus ſtatuarius atque Zeuxis pictor, quorum peritia in formandis εἰδώλοις laudatur apud [k] Xenophontem, fecerunt ſimulacra rebus vel omnino, vel propè, æqualia: ut illius ſtatuæ [l] majores, & [m] minores; [n] hujus autem uvæ, puer, aliæq; picturæ planum faciunt. [o] Ariſtoteles refert cuidam imbecillo admodum aſpectu & languidè, non acutè, cernenti contigiſſe, ut, dū ambularet, ſemper εἴδωλον eum præcedere videretur, aſpiciens ipſum ex adverſo. Cujus rei cauſam quū hanc fuiſſe tradat, quòd ſpeculi vicem illi prȩſtaret propinquus aer, haud ſecus

[a] In Eratone.
[b] Herodian. lib. 4.
[c] Apud Platonem, de repub. lib. 9. & in Phædro.
[d] In Helena.
[e] Herodot. in Euterpe.
[f] Homer. Iliad. lib. 3.
[g] Euripid. in Helena.
[h] Diog. Laert. in Anaxag.
[i] Plin. nat. hiſt. l. 36. c. 5.
[k] De fact. & dict. Socrat. lib. 1.
[l] Pauſan. in Corinth. Plin. nat. hiſt. li. 34. cap. 8.
[m] Cic. accuſat. in Verr. lib. 4.
[n] Plin. nat. hiſt. l. 35. c. 9. & 10.
[o] Meteor. lib. 3. cap. 4.

secus atque Soli ex nube rorante accidit, quando fit iris: εἴδωλον pro magno ejus simulacro, quale vel è grandi & plano speculo redditur, vel ex aqua redditum Narcisso canit[a] Ovidius, nõ pro forma parva, qualis in pupilla humani oculi cernitur, usurpari patet. [b] Aratus duodecim signa Zodiaci, & alia quæ in cœlo appârẽt, vocat εἴδωλα: nũ quòd parvas formas ea reputaret, quorum minimum orbe terrarum majus esse sciret? [c] Diodorus Siculus autor est Semiramin reginam Assyriorum, quum bello contra Indiæ regem susceptο egeret elephantis quibus ille instructus erat, feciſſe elephantorũ εἴδωλα ex boum coriis consutis ac repletis fœno; camelis scitè subditis, & viris, qui camelis insiderẽt, ad ea gestanda curandáq;: elephantis omni ex parte tam similia, ut magnũ è longinquo terrorẽ hostibus incussserint; equitatui hostiũ, etiã ex propinquo; factura idẽ regi & toti exercitui, nisi res per transfugas prodita fuisset. [d] Dionysius Afer scribit iaspidis gẽmę quoddã genus (ex magicis cõmentis, de quibus [e] Plinius, & [f] Proclus) amuletũ esse efficax arcendis Empusis & aliis εἰδώλοις. In εἰδώλοις igitur quũ numeret Empusas, hoc est, dæmonia, ut [g] Eustathius exponit, seu dæmoniaca spectra, ut [h] Aristophanis scholiastes, quæ formas variorũ animalium induunt, mulorũ, boum, canum, pulcherrimarũ fœminarũ, ut post Aristophanem [i] Philostratus, autor quidẽ poetarũ satis similis & mendax, vulgares tamen referens opiniones, tradit; sed quũ [k] Christũ super mare ambulantẽ vidẽtes discipuli putârint spectrũ esse; & ipse [l] illis iterũ idem cogitãtibus dixerit, *Contrectate me, et videte, quia spiritus carnẽ et ossa non habet, prout me conspicitis habere*; quę sententia Christi ab [m] alio scriptore expressa est his verbis; *Contrectate me,*

[a] Metam. lib. 3.
[b] In phænom.
[c] Lib. 2.
[d] Descript. orb.
[e] Natur. hist. lib. 37. cap. 9.
[f] De sacrific. & magia.
[g] Comment. in eum locum Dionysii.
[h] In ranis.
[i] De vita Apollon. l. 2. c. 2. & l. 4. c. 8.
[k] Matt. 14. 26.
[l] Luc. 24. 37.
[m] Ignat. epist. ad Smyrn.

&

& videte, quia non ſum dæmonium incorporeum; quum, inquam, talia ſpectra, quale ſe diſcipuli videre autumabant, Dionyſius Afer εἴδωλα appellet: ſimulacris homines magnitudine quoque, non modò ſpecie, referentibus appellationem iſtam ab eo tribui manifeſtum eſt. [z] Dionyſius Halicarnaſſeus narrat proceriſſimos duos adoleſcentes, qui victos ad Regillum lacum Latinos Romanis nunciaverant, quum nuſquam poſtea comparêrent, exiſtimatos eſſe ſpectra ſive εἴδωλα Caſtoris & Pollucis. Quorum inanima item ſimulacra, inter quæ [b] Caligula medium ſe adorandum adeuntibus exhibebat, nec diſpari ſtatura fuiſſe inſinuat idem [c] Dionyſius, quando ſimulacra Romana [d] Græcis comparat: & εἴδωλα rectè nuncupari, ſe judice, oſtendit; utpote [e] qui Deorum penatium imagines eodem quaſi titulo inſignit & honorat. [f] Artemidorus ait Ægyptios coluiſſe feras & ſerpentes ut εἴδωλα Deorum: non magis parvum à magno diſtinguens voce εἰδώλῳ, quàm [g] Strabo voce εἴδες, quando Moſen contrà prædicat ſtatuiſſe colendum Deum εἴδες χωεὶς, quo innuit, abſque ulla imagine, magna, aut parva. Et quid commemorem plures? Namque ſi adjungerem [h] Democritum, [i] Euclidem, [k] Platonem, [l] Bacchylidem, [m] Lycophronem, [n] Philonem, [o] Joſephum, [p] Arrianum, Diones duos, [q] Chryſoſtomum & [r] Caſſium, [s] Plutarchum, [t] Diogenianum, [u] Stephanum Byzantium, [x] Sextum Empiricum, [y] Polyænum, [z] Philippum, [a] Maximum Tyrium, [b] Galenum, [c] Horapollinem,

[a] Antiq. Rom. lib. 6.
[b] Sueton. Calig. cap. 22.
[c] Antiq. Rom. lib. 7.
[d] Pauſan. in Attic. Arc ad. &c. paſſim.
[e] Antiq. Rom. lib. 1.
[f] De ſomnior. interpr. l. 1. c. 9.
[g] Lib. 16.
[h] Apud Sextum Empir. comment. l. 8. c. de Diis.
[i] In catoptricis, theorem. 19. & 21.
[k] De rep. l. 10.
[l] Apud Suidã, in verbo, εἴδωλον.
[m] In Caſſandra.
[n] De Ioſeph.
[o] De bello Iud. l. 7. c. ult.
[p] Comment. in Epictet. l. 1. c. 29.
[q] Dio Chryſoſt. orat. 37.
[r] Dio Caſſ. hiſt. Rom. l. 51.
[s] De facie in orbe Lunæ.
[t] Apud Euſeb. præpar. Evãg. lib. 6. [u] De urbibus, in voce, Ἰκόνιον. [x] De philoſophia, lib. 1. [y] Stratagem. lib. 7. in Cyro, & lib. 8. in Tito. [z] Epigramm. Græcor. lib. 4. cap. 9. in imaginem Medeæ. [a] Serm. 26. [b] De ſymptom. cauſ. l. 1. c. 2. Hieron. Mercurial. variar. lect. l. 5. c. 7. [c] Hierogl. l. 1. c. 39.

Aph-

[a]Aphthoniũ, [b]Dionysium Longinum, [c]Lucianũ, [d]Eunapium, [e] Synesium, [f] Xiphilinũ, [g] Nicephorum Gregoram, [h] Nicetã, & varios [i] Scholiastas: similitudo, quà rationum, quà sententiarũ, quibus ostenderem εἴδωλον perinde ad imaginem quamvis, absque magni & parvi discrimine, notandam ab his adhibitum esse ac à superioribus, vereor ne fastidium lectori excitaret.

4 Cui si minùs certa inde videatur mea de Græcorum omnium autorum consensu enunciatio, quòd nec Hesychius, nec Suidas, nec autor Etymologici, nec Glossarium vetus, nec [k] Manuel Moschopulus, nec Phavorinus Camers, nec (quoniam Henrici Stephani Thesaurus parum gratiosus est apud Bellarminum) Lexici Regiis Bibliis adjecti concinnator, unico, aut exemplo, aut verbo doceat contrarium: at probabitur, spero, ex confessione Molani, censoris Pontificii; vel potiùs ex Valentiani Jesuitæ oraculo; vel saltem Bellarmini ipsius documentis, quibus veritatem, dum convellit, roborat. Nam [l] ubi Hadriani Junii Nomenclator observaverat εἴδωλον idem significare, non quod imaguncula, icuncula, sigillum, oscillum, εἰκόνιον, sive ἀγαλμάτιον, sed quod imago, icon, signum, sculptile, statua, simulacrum, εἶδος, ἄγαλμα, ξόανον, βρέτας, ἀνδριὰς, & ἴδος; Molanus ei capiti apposuit hanc censuram: *Non malè nomenclator imaginem, statuam, sculptile, simulacrum, idolum, & cetera pro iisdem habet; meminerit tamen lector quædam usu Scripturæ & Scriptorum Ecclesiæ in malam partem capi.* [m] Valentianus autem dicens, *Neque absurdè profectò putaveris, B. Petrum insinuavisse cultum aliquem simulacrorum (nempe sacrarum imaginum) rectum esse, quum fideles nominatim ab*[n] *illicitis idolorum cultibus deterrere*

[a] Progymnasm. in ἠθοποιΐα.
[b] De sublimi gen. orat.
[c] Dialog. mort. Diog. & Herc.
[d] De vitis sophistar. in Ædesio.
[e] De insomn.
[f] Epit. Dion. in Tito & Severo.
[g] Hist. lib. 8.
[h] Thesaur. orthodox. fid. l. 2. c. 80. & lib. 4. hær. 31.
[i] In Euripidis Hecubam, Æschyli Persas, Sophoclis Aiacem, & Pindari Olymp. od. 8.
[k] Præfat. in Euripid. Hecub. περὶ εἰδώλ.
[l] Cap. de instrumentis & suppellect. eccles. fast.
[m] De idololatr. l. 2. c. 5.
[n] 1. Pet. 4. 3.

voluit, hoc ipſo confitetur * idoli vocabulum in magnam æquè ac parvam imaginem convenire. Siquidem permultæ ex ſacris Papiſtarum imaginibus magnæ ſunt; nonnullæ maximæ: ut, exempli gratia, [a] Chriſtophorus, qui Lutetiæ in ſummo templo eſt, non hamaxiæus, aut coloſſæus, ſed monti juſto par. Ac nónne Bellarminus demum idem innuit, quando pronuntiat *idolum eſſe propriè imaginem inanem, qualis eſt quæ cernitur in umbra hominis; & qualia ſunt phantaſmata, id eſt, imagines quas imaginatione fabricamus, quibus ſæpe nihil reſpondet in re; & qualia denique ſunt ſpectra & umbræ mortuorum?* Imago enim, quæ in hominis umbra conſpicitur, ſtaturam ejus æquat plerunque, interdum ſuperat:

[b] *Et iam ſumma procul villarum culmina fumant,*
Maioréſq; cadunt altis de montibus umbræ.

Phantaſmata verò, & imagines quas imaginatione fabricamus, repræſentare ſolent ſpeciem magnitudine rei reſpondentem, ut [c] Penelopes ſoror, & [d] Alcyones maritus, ipſis per ſomnium apparentes, indicant. Ac [e] Plinius de phantaſmatis, quæ vigilantes vident, quæſtionem movens, utrùm ſint aliquid & habeant propriam figuram, an inanem & vanam ex metu noſtro imaginem accipiant, pro exemplis ponit figuram mulieris, humana grandiorem, oblatam Curtio Rufo; & idolon ſenis Athenodoro conſpectum, quod promiſſa barba ceteráq; ſpecie juſtam viri macie & ſqualore confecti ſtaturam exhibebat. Certè quum Æneæ, apud [f] Virgilium, eo in loco quem Bellarminus citat, occurriſſe ferantur *Centauri*, & *Scyllæ*,

Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horren-

* εἴδωλα Græcè apud Petrum, in compoſita voce, εἰδωλολατρεία.

[a] Eraſm. colloq. Naufrag. & Peregrinat. relig. ergò.

[b] Virg. eclog. 1.

[c] Homer. Odyſſ. lib. 4.

[d] Ovid. Metam. lib. 11.

[e] Epiſtolar. lib. 7. ep. 27. ad Suram.

[f] Æneid. lib. 6.

Horrendum ſtridens, flammíſq; armata Chimæra,
Gorgones, Harpyiæq;, et forma tricorporis umbræ;

phantaſmata, quibus nihil reſpondere in re fatebitur, opinor: etiam in hujuſmodi viſis magnas formas agnoſcat eſt neceſſe; niſi Briareum, centum manibus præditum, capitibus quinquaginta, cujus magnitudinem mirantur [a] Heſiodus & [b] Apollodorus, puſionem fuiſſe dicet. Mortuorum denique ſpectra & umbras, aut pares, aut majores corporibus, quorum ſpeciem referunt, apparere, teſtatur apud eundem [c] Virgilium Æneas:

Infelix ſimulacrum, atque ipſius umbra Creuſæ
Viſa mihi ante oculos, & nota maior imago.

Quemadmodum & Ulyſſes apud [d] Homerum deſcribit Achillis umbram [1] ingenti paſſu gradientem: & Apollonius Tyaneus eandem, è tumulo (ut ſcribit [e] Philoſtratus) excitatam, ait ſibi viſam ſtatura, primò quinque, poſtea duodecim quaſi cubitorum. Quamobrem ex tanto cûm Græcorum autorum conſenſu, tûm Latinorum, in quibus & eorum quos pro ſe producit acerrimus adverſarius, patet formam omnem idolo ſignificari: ac proinde εἴδωλον neutiquam deduci per diminutionem à vocabulo εἶδος. Nimirum derivatur à verbo εἴδω, quod ſonat *videri*, aut *aſſimilari*; ut ἔωλος ab ἔω, φειδωλὸς à φείδω, εὐχωλὴ ab εὔχω: ſicut [f] diligentiſsimus etymologiarum Græcarum obſervator ex recepta εἰδώλου ſignificatione [2] colligit, ſimiliúmq; vocum analogia firmat. Itaque ut idem ſignificant εὐχωλὴ & εὐχὴ, παυζωλὴ & παῦζις, φειδωλὸς & φειδὼς; nec alterum alterius diminutivum eſt, ſed ambo ſunt ex eodem fonte, εὔχεσθαι, παύεσθαι, φείδεσθαι: ſic εἴδωλον & εἶδος,

[a] In theogon.
[b] De orig. Deor. lib. 1.
[c] Æneid. lib. 2.
[d] Odyſſ. lib. 11.
[1] φοίτα μακρὰ βιβᾶσα.
[e] De vita Apollon. lib. 4. cap. 5.
[f] Etymologic. mag. in vocabulis, εἴδωλον, ἔωλος, & εὐχωλὴ.
[2] Γίνεται δὲ παρὰ τὸ εἴδω τὸ φαίνομαι, ἢ παρὰ τὸ εἴδω τὸ ὁμοιῶ.

ab εἴδω deducta, ſignificationem habent communem; nec diſcriminantur in exiguitatis & granditatis notione.

5 Bellarminus autem eo turpiùs peccat afferendo tanquam ex Tertulliano *idolum ſignificare propriè formam parvam*, quia, etiamſi hoc concederetur, non concluderet tamen idolum eſſe imaginem repræſentantem id quod non eſt. Nam Tiberii Cæſaris imago in [a] numiſmate, in [b] anulo inſculpta, erat forma parva. Tamen repræſentabat rem verè ſubſiſtentem. Tydeus ab [c] Homero, *parvus quidem corpore, ſed bellicoſus fuiſſe* dicitur. Et bellicoſos aliquid eſſe ſenſit [d] ille, qui dixit ignavos nihil eſſe. *Terra malos homines nunc educat atque puſillos*, inquit [e] Juvenalis. Num ergo Juvenali homines non ſunt entia? An potiùs Bellarminus imponere nobis ſtudet eo errore, ex quo ſæpe magnas in rerumpublicarum adminiſtratione mutationes naſci obſervat [f] Ariſtoteles, *dum homines id quod parvum eſt, & quod nullum, pro eodem ducunt: quemadmodum Ambraciæ cenſus erat parvus eorum qui reipublicæ præerant; ad extremum autem nullius cenſus homines ad magiſtratus provehebantur; quaſi parvum à nullo parum aut nihil diſcreparet.* Atque tales crebræ fallaciæ Bellarmini lectorem expergefacere & excitare debent, ut accuratè notet quid ei ſit probandum, & oculos ſemper in ſcopo habeat. Cujus rei incuria facilè hoc loco circumveniri poſſent, qui non animadverterent, hæc illius verba, *Idolum ſignificat formam parvam*, perinde concipi acſi diceret, Idolum ſignificat propriè formam parvam. Nam εἴδωλα, quę [g] Theophraſtus ſcribit ſuo tempore fieri ex palma

[a] Matt. 22. 19.
[b] Senec. de benefic. l. 3. c. 26.
[c] Iliad. lib. 5.
[d] Euripid. Iphig. Taur.
[e] Satyr. 15.
[f] Politicor. l. 5. c. 3.
[g] Hiſt. ſtirp. l. 5. c. 4.

palma arbore consueviſſe, quum antea ex ſubere fabricari ſolerent, videntur fuiſſe *ligneolæ hominum figuræ*, quas vocat [a] Apuleius, & cujuſmodi memorat [b] Herodotus *cubitales*: id eſt, imagunculæ, quarum capita, oculi, manus, alia membra, vel ſingula, vel univerſa, nervis aut fidiculis in hanc illámve partem à circulatoribus movebantur. Iſtiuſmodi certè fuerunt quæ [c] Galenus appellat ξύλινα *lignea*. Et εἴδωλα virorum, quæ in Tiberim jacta quotannis à Romanis tradunt [d] Dionyſius Halicarnaſſeus & [e] Plutarchus, oſtendit [f] Macrobius parva exſtitiſſe. Videlicet, quum εἴδωλον ſignificet omnem formam, ſignificat parvam item formam neceſſariò: ut εἰκὼν, quia notat *imaginem* quamcunque, propterea & parvam [g] imaginem Cæſaris in denario, & magnam ad honorem funeris è [h] cera fictam deſignat. Verùm Bellarminus, dicens *idolum diminutivum eſſe & ſignificare formam parvam*, innuit ſignificare formam parvam propriè. Quod liquidò appâret, tùm ex inſtituto, expreſſo verbis præcedentibus; *Probatur ex ipſa vocis proprietate*: tùm ex ſequente ratione; *Eſt enim propriè idolum imago inanis*: tùm ex concluſione & ſumma probationum; *Quoniam ergo idolum propria & primaria ſignificatione deſignat imaginem inanem*. Itaque primum argumentum, è loco Tertulliani, Jeſuiticam potiùs technam patefacit, quàm propoſitionem roborat.

[a] De mundo.
[b] In Euterpe.
[c] De uſu part. corp. hum. lib. 3. cap. ult.
[d] Antiq. Rom. lib. 1.
[e] Capitulor. Romanor. deſcript. quæſt. 32.
[f] Saturn. lib. 1. cap. 7.
[g] Mat. 22. 20.
[h] Dio, hiſt. Rom. lib. 56. Herodian. l. 4.

6 Secundum, ab *Euſtathii* autoritate ductum, eandem lucernam olet. Is enim ad [i] Homeri verba, quibus hominum mortuorum animę, per necromantiam ab inferis excitatæ, eadem ſpecie Ulyſſi viſæ perhibentur, quam, dum in vivis agerent, habebant

[i] Odyſſ. lib. 11.

homines ipſi; *Sciendum eſt*, inquit, [1] *phantaſma fuiſſe hæc Vlyſſi: quandoquidem genus erat divinationis Ethnicis uſitatum, quo videbant hominum mortuorum* εἴδωλα [2] *obſcura & evanida, ex aere formata, atque* [3] *adimaginum, quibus prima rei quaſi lineamenta & umbræ exprimuntur, morem ſic effecta, ut qua quiſque corporis, ætatis, conditionis, habitus, aliorúmq; adiunctorum ſpecie vivus apparuerat, eadem repræſentaretur; quemadmodum & in ſomnijs ſcilicet uſu venit. Idcirco anima quoque matris Vlyſſis, quum manus eius in amplexum ruentis effugeret, avolaſſe dicitur* [4] *ſimilis umbræ aut ſomnio*. Hæc Euſtathius, convenienter ſententiæ Homeri: qui Elpenoris animam Vlyſſi ita apparentem εἴδωλον appellat. Ac rurſum, ubi Vlyſſes, animam matris fruſtra conatus comprehendere, dubitat utrùm anima ea ſit, an εἴδωλον; ibi Euſtathius: Εἴδωλον, inquit, *& umbram & ſomnium Homerus pro eodem habet,* [5] *quod ad evanidæ rei rationem attinet; & animam aliud ab his tribus eſſe ducit.* Quibus è duobus locis Bellarminus ſuam, quam Euſtathio tribuit, idoli interpretationem edolat: nec minorem fraudem adhibet in eo, quàm in Tertulliano adhibuit. Nam quod ab Euſtathio planiſſimè explicatur, εἴδωλον eſſe imaginem mortui, vivo ſimilem, & repræſentantem id quod eſt: hoc ipſe non ſophiſtæ ſolùm artificio, ſed etiam falſarii diſtorquet ut perſuadeat, idolum eſſe imaginem repræſentantem id quod non eſt. Namque ſi duntaxat ſophiſticè intuliſſet, vel inferendum potiùs lectori reliquiſſet enuntiatum ſuum: faciliùs patuiſſet dolus. Etenim fallaciam hujus captiunculæ; *Idolum eſt imago obſcura & evanida, qualis umbra eſt hominis vivi, aut ſpectrum*

1 φάντασμα.

2 σκιώδη καὶ ἀμυδρὰ.

3 ὡς ἔστιν ἐν σκιαγραφίᾳ εἰπεῖν.

4 σκιᾷ ἰκέλου.

5 κατὰ γε τὸ ἀμυδρὸν.

ctrum mortui; igitur idolum est imago rei minimè subsistentis; quis non perspexisset? Præsertim qui ad illud [a] Pauli attenderet, legales ceremonias umbram fuisse, cujus corpus Christus est: aut [b] picturam sciret primò inventam esse umbra hominis lineis circumducta: aut [c] legisset piscium formas tam obscuras in Acheronte fluvio à Polygnoto pictas, ut umbræ potiùs piscium quàm pisces viderentur: aut [d] Pythagorêum somnium audivisset, animam ejectam in terram, in aere vagari similem corpori: aut à [e] Platone accepisset, quarundam animarum spectra, umbræ similia, apparuisse circa tumulos & sepulcra: aut denique [f] Virgilium nosset illustrasse umbram seu imaginem, quam Juno in Æneæ faciem effinxit, hac similitudine; *Morte obita quales fama est volitare figuras*. Siquidem ex horum unoquovis patet, umbram, cui εἴδωλον confertur ab Eustathio, imaginem esse rei veræ.

[a] Col. 2. 17.
[b] Plin. nat. hist. l. 35. c. 3.
[c] Pausan. in Phocicis.
[d] Diog. Laert. in Pythag.
[e] In Phædone.
[f] Æneid. l. 10.

7 Propterea Bellarminus, ut sophisma suum alia fraude aptius ad seducendum lectorem redderet, interpolat primam vocem Eustathii, nempe, *phantasma hæc fuisse Vlyssi*, ac ex ea istam conflat sententiam: *Idolum est propriè (ut exponit Eustathius) imago inanis, qualia sunt phantasmata, id est, imagines quas imaginatione fabricamus, quibus sæpe nihil respondet in re*. In quo perinde facit, ac si quispiam nostrum, redarguere volens ipsius testimonio impuram Pontificum Romanorum vitam, ita loqueretur: Pontifex Romanus appellatur propriè (ut explicat [g] Bellarminus) *Papa*, id est, pater qui liberos genuit ex muliere, qualis sæpe scortator est. Nam utrumque membrum postremæ partis hujus

[g] De Rom. Pont. l. 2. c. 31.

enuntiati verum eſt; tùm carnis patrem Græcè dici *Papam* ſeu [1] *Pappam*, quod etiam Bellarminus docet: tùm ſcortatorem eſſe talem ſæpenumero, ut indicat Guicciardinus, quando [a] ſcribit Pappam Alexandrum Sextum ([b] qui ex mulieribus filios nothos quatuor & duas filias tulit) primum omnium Pontificum vocaſſe filios *filios*, quos alii, ad tegendum ex parte ſuum dedecus, *nepotes* vocare ſoliti ſunt. Ceterùm Bellarminus priorem tantùm partem enuntiati aſſerit, eámq; alio ſenſu: videlicet Romano Pontifici nomen Papæ ab Eccleſiaſticis tribui, ut ſpirituali patri. Similiter verum eſt phantaſmata eſſe imagines quas imaginatione fabricamus, quibus ſæpe nihil reſpondet in re: ſed Euſtathius alio ſenſu ait εἴδωλα fuiſſe phantaſma Ulyſſi; quòd ſcilicet aſpectui ejus repræſentarent vivorum hominum ſpeciem. Iſtiuſmodi autem phantaſmata eſſe imagines habentes aliquid ſibi reſpondens in re, quid opus eſt vel dicere, nedum docere, præſertim contra Bellarminum? Nam [c] palliatum ſenẽ à Pythoniſſa evocatum, quem [d] Auguſtinus *imaginem Samuelis* vocat, [e] Tertullianus verò & [f] Hieronymus *phantaſma*, dæmonem fuiſſe in Samuelis forma, non verè Samuelem, ex eo [g] colligunt bene multi, quòd anima viri ſancti haudquaquam ſit in manu Pythoniſſæ aut Satanæ, neque potuerit vi magicæ artis evocari. Hoc argumentum infringere ſtudens [h] Bellarminus affirmat Samuelem non veniſſe Pythoniſſæ juſſu, ſed Dei; contrarióq; modo aſcendiſſe ac alii ſoleant, qui per incantationem excitantur; & hanc eſſe cauſam cur Pythoniſſa turbata fuerit, & ſibi impoſitum diceret: *ſi enim verum eſt*, inquit, *quod Rabbini ſcribunt*,

[1] Πάππα φίλε, inquit Nauſicaa Alcinoo. Homer. Odyſſ. lib. 6.
[a] Fran. Guicciardin. hiſt. lib. 1.
[b] Onuphr. append. ad Platin. in vita Alex. VI.
[c] 1. Sam. 28. 14.
[d] De doctr. Chr. l. 2. c. 23.
[e] De anima, cap. 57.
[f] Comment. in Matth. c. 6.
[g] Terrull. de anim. cap. 57. Philaſtr. catalog. hæreſ. cap. 26. Cyrill. de adorat. in ſpir. & verit. lib. 6. Autor quæſtion. vet. & nov. Teſt. quæſt. 27. apud Auguſt. append. tom. 4. Raban. de magorũ præſtigiis, ex Auguſtino. c. nec mirũ. 26. q. 5.
[h] De purgator. l. 2. c. 6.

† haec ſententia paſſima eſt; quod evinco 6. argumentis (in nobis mirib an ſtat. lib. 1. Samuelis, Bibl. notond (vulgatond) umbræ

umbræ mortuorum, quæ vi magicæ artis evocantur, capite deorsum verso ascendunt; Samuel autem recta figura ascendit, ita ut primùm caput, deinde pectus, postremò pedes è terra emergere visi sint. Egregiè quidem ille pro Sanctorum gloria (quam à se magnificè contra nos defendi [a] jactat) propugnans, dum mendacem facit beatum Samuelem, [b] dicentem *se à Saule commotum & suscitatum*; quod falsum est, si Dei, non Pythonissæ, jussu venerit: & præclaro astu Rabbinos citans, absque nomine, veluti negantes Samuelem vi magicæ artis evocatum, quem ejus vi evocatum [c] asserunt; nec dicunt umbras capite deorsum verso ascendere, quæ cuilibet evocantur, sed quæ inferioris conditionis hominibus; contrà, quæ regi; ac Pythonissam inde Saulem agnovisse, & conturbatam esse. Sed interim affirmando Samuelem contrario modo ascendisse atque alii soleant qui per incantationem excitantur, quòd recta figurâ ascenderit, agnoscit excitatos per incantationem, & à [d] necromantibus vi magicæ artis evocatos, figuram hominis præ se ferre. Calumniosè igitur depravat verba Eustathii hoc additamento; *phantasmata, id est, imagines, quas imaginatione fabricamus, quibus sæpe nihil respondet in re:* quum Eustathius phantasmatis appellatione significet imagines aspectui obversantes, quibus aliquid respondere in re, fatetur ipse.

[a] De eccles. triumph. in præfat.

[b] 1. Sam. 28. 15. ubi Hebraicè habetur ad verbum, *Quare commovisti me, faciendo me ascendere?*

[c] Rabbi Salomo Iarhi, R. David Kimhi, R. Levi ben Gerson, & R. Esaias, in 1. Sam. 28.

[d] Deut. 18. 11.

8 Quid, quòd rursum etiam committit crimen falsi addendo vocem, *propriè*: dicens, *idolum esse propriè (ut exponit Eustathius) talem imaginem*. Eustathius enim duas habet duntaxat significationes εἰδώλου attributas: alteram generalem, *imaginis & simulacri*, qua

qua *mortuorum umbras* εἴδωλα ψυχῶν καὶ εἰδώλους vocat; namque otioſa eſſent hæc epitheta, niſi εἴδωλον generatim pro ſimulacro uſurparet: alteram ſpecialem, *obſcuræ tenuiſq; imaginis*, qua dicit εἴδωλον, *umbram, & ſomnium pro eodem ab Homero haberi, quod ad evanidæ rei rationem attinet.* Atque harum quidem prior videtur ſignificatio propria, poſterior figurata: ut vocabulum, *animal*, ſignificat propriè corpus animatum ſentiens; figuratè verò à genere ad ſpeciem transfertur per ſynecdochen, quando [a] Ciceroni beſtiam deſignat. Sed etſi poſteriorem cenſeatur Euſtathius tanquam ex Homero exponere ut propriam; idq; haud abſurdè, quoniam ab [b] Herodoto, [c] Platone, [d] Maximo Tyrio, & aliis, uſurpatur εἴδωλον, abſque epitheto, pro tenui ſimulacro & umbra; quanquam etymologia εἰδώλου ab [1] εἴδεσθαι, eadem quæ vocabuli [2] εἰκὼν ab εἴκειν, & frequentior forſitan uſus autorum, generalem potiùs ſignificationem primariam ac propriam eſſe inſinuat; verùm utramcunque cenſeatur Euſtathius propriam judicaſſe: εἴδωλον, ex ejus expoſitione, eſt propriè imago & ſimilitudo rei veræ; qualis eſt umbra, ſpectrum, phantaſma corporis humani. Quapropter utrùm ſophiſtæ an falſarii partes inſigniùs agat Bellarminus, dum Euſtathium citat, ut ſuadeat idolum propria & primaria ſignificatione deſignare imaginem repræſentantem id quod non eſt: judicet primarius & proprius Eccleſiæ Pontificiæ judex, Pappa Romanus.

[a] In Piſon.

[b] In Terpſichore.
[c] In Phędone.
[d] Serm. I. & 26.

[1] εἴδεσθαι & εἰκεῖν, aſſimilari, ſimilem eſſe.
[2] εἴδωλον & εἰκὼν, ſimulacrum, imago.

9 Jam in reliquis tribus ſophiſma ejus idem eſt quod in Euſtathio. *Homerus* enim, undecimo libro Odyſſeæ, mortuorum animas εἴδωλα appellat, quòd in necromantia (quam ab Ulyſſe adhibitam ad Tireſiam

am vatem consulendum fingit) anima repræsentet speciem hominis vivi. Id quamvis sit planissimum ex Homero ipso, qui εἴδωλα nomen itidem animę mortui, ut vivo per somnium apparenti tribuit; & viventis εἴδωλον in somnio simile [a] facit ipsi viventi: tamen obstinati adversarii causa, ne [b] Eustathium suum solum ipsi regeram, probetur ex duobus antiquioribus testibus, Marco Tullio, & Maximo Tyrio. Quorum [c] hic, *Ad lacum*, inquit, *Avernum, in ea parte Italiæ quæ magna Græcia dicitur, vaticinum antrum fuit, & sacerdotes antri, animarum evocatores ex re nominati. Ibi, qui vaticinii petendi causa venerat, precatus, cæsis victimis, & fusis libaminibus, evocabat animam cuiuslibet maiorum aut amicorum suorum: eíq; occurrebat* εἴδωλον, *obscurum quidem, ac propemodum effugiens aciem oculorum, sed tamen præditum vi loquendi & vaticinandi; quod, posteaquam ad ea, de quibus consulebatur, respondisset, abibat. Hunc vaticinum locum videtur mihi Homerus, quum cognitum haberet, & profectionem ab Vlysse illuc susceptam amplificaret, poeticè admodum in longinquam oram extra nostrum mare summovisse.* [d] Marcus autem Tullius, reprehendens poetas, quòd mortuorum corpora cremata quum scirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quæ sine corporibus nec fieri possent, nec intelligi; animos enim per se ipsos viventes non poterant mente complecti, formam aliquam figurámq; quærebant; *Inde*, inquit, *Homeri tota* νεκυία: *inde ea quæ meus amicus Appius* νεκρομαντεῖα *faciebat: inde in vicinia nostra Averni lacus,*

Vnde animæ excitantur obscura umbra, aperto ostio
Alti Acherontis, falso sanguine imagines mortuorum.

[a] Odyss. lib. 4.

[b] In Odyss. lib. 4. & 11.

[c] Maxim. Tyr. serm. 26.

[d] Tusc. quæst. lib. 1.

Hæ

Has tamen imagines loqui volunt: quod fieri nec ſine lingua, nec ſine palato, nec ſine faucium, laterum, pulmonum vi & figura poteſt. Nihil enim animo videre poterant: ad oculos omnia referebant. Itaque Homerus graviſſimo Ciceronis & aliorum teſtimonio, non ſolùm in undecimo libro Odyſſeæ, verùm etiam [a] ultimo, quem haud ſcio an * Cicero potiùs reſpexerit, quanquam & undecimi argumentum voce νεκύιας [b] ſunt qui notent, ſed εἴδωλα Homerus utrobique animas mortuorum vocat, quòd eas aut figuram ſemper gerere corporum, quæ habebant vivi, aut in forma talium apparuiſſe ratus ſit.

10 [c] *Lucianus* verò inducit Diogenis Herculiſq; animas, ſub εἰδώλων item nomine, colloquentes, Homeri (ut profitetur) irridendi gratia: [d] qui nugetur Herculem ipſum cum Diis verſari, & pulchra Hebe frui; Herculis autem εἴδωλον arcu, & aliis rebus, quibus ipſe vivus claruit, inſtructum apud inferos eſſe. Eadem ergo ratione εἰδώλα nomen animæ tribuit, qua Homerus; quippe quam εἰκόνα item perſonæ repræſentatæ nuncupat: & Diogenem facit de Herculis anima dicentem, *Nónne hic eſt Hercules? haudquaquam hercle alius; arcus, clava, leonis pellis, magnitudo, totus Hercules eſt.*

11 Denique *Virgilius* adeò cum Homero hac in re conſentit, ut Homericis verſibus eleganter expreſſis Æneam [e] bis deluſum umbrarum, tanquam corporum, ſimilitudine canat:

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucríq; ſimillima ſomno.

Quin & *cavæ* epitheton, *imagini* adjectum, unde Bellarminus

* Odyſſ. li. 24.
* Ut flagitioſum Cæſaris comitatum νεκύιαν videtur nominare, velut turbam ſtridulis mortuorum Penelopes procorum umbris ſimilem: epiſtolarum ad Atticũ li. 9. Et Euſtathius iſtum Homeri librum apud veteres νεκύιαν inſcribi tradit: in Odyſſ. lib. ult.
[b] Plutarch. ne iucundè quidem poſſe vivere, qui ſectam ſequatur Epicuri. Plin. nat. hiſt. lib. 35. cap. 11. Euſtath. in Odyſſ. lib. 11.
[c] Dialog. mort. Diog. & Herc.
[d] Odyſſ. lib. 11.
[e] Æneid. lib. 2. & 6.

larminus ſophiſma ſuum exſculpit, [a] Virgilius in ſimillima rei veræ forma effigiéq; adhibet: [a] Æneid. li. 10.

Tum Dea nube cava tenuem ſine viribus umbram
In faciem Æneæ (viſu mirabile monſtrum)
Dardanijs ornat telis, clypeúmq;, iubaſq;
Divini aßimulat capitis: dat inania verba,
Dat ſine mente ſonum, greſſuſq; effingit euntis.

ubi *cava nubes*, utcunque ex Bellarmini expoſitione ſit vana & inanis, nihilo magis probat Æneæ imaginem fuiſſe rei minimè ſubſiſtentis formam: quàm imagines ligneæ in templis [b] Ethnicis & Papiſticis, [b] Baruc. 6. 29.
cavæ, quum à muribus (ut [c] ſimulacrum Serapidis [c] Theodoret. hiſt. eccleſ. l. 5. c. 22.
Alexandriæ) incoluntur, oſtendunt eas hominum effigies non eſſe. Immo etiamſi notaſſet Bellarminus Briareum & Chimæram, non veras res, ſed fictas, quas imaginatio poetica fabricavit, appellari *cavas imagines* à Virgilio: nequaquam tamen eviciſſet Virgilium, aut de illis, ut fictis, loquutum eſſe; aut, ſi hoc quoque daretur, loquutum eſſe propriè. Nam [d] propria ſunt verba, quum id ſignificant, in quod primùm denominata ſunt: unde *propriam & primariam ſignificationem* conjungit Bellarminus. *Imago* autem *dicta eſt ab imitando*, ut Bellarminus item aſſerit, & veram ſimilitudinem rei propriè ſonat. Quare ſi Virgilius hanc appellationem accommodaſſet rei fictæ, idq; ut fictæ: feciſſet figurata ſignificatione, vel Bellarmino judice; ſive καταχρήσει cum [e] Quintiliano adſcribet, [e] Lib. 8. cap. 2. & 6.
ſive alii cui tropo; ſed figurata & ſecundaria ſignificatione vocem uſurpaſſet. Ne dicam tales quoque fictarum rerum formas, quas imaginatio fabricat, ex aliqua verarum rerum ſimilitudine fingi conſueviſſe: ſicut [f] Ariſtoteles docet in phantaſmatis viſiſq; ſomni- [f] De inſomniis, cap. 3.

antium

antium apparere tenuem ſimilitudinem rerum, quæ vigilantium ſenſibus obverſatæ ſunt. Itaque non video quo pacto vel ex umbris imaginibúſq; Virgilii, licèt cavis, vel ex Tertulliani, Euſtathii, Homeri, & Luciani idolis propoſitionem ſyllogiſmi ſui confirmet Bellarminus. Niſi fortè quicquam rationis inſit in iſta ratione: Idolum eſt propriè imago rei veræ; ut patet ex Tertulliano, Euſtathio, Homero, Luciano, & Virgilio: ergo propria & primaria ſignificatione deſignat imaginem repræſentantem id quod non eſt. Propoſitione verò non ſolùm non corroborata, ſed etiam diruta & everſa, neceſſe eſt concluſio, quæ incumbit ei, cadat corruátq;: & deteriore conditione ſit, quàm ii de quibus [a] Juvenalis;

[a] Satyr. 8.

Miſerum eſt aliorum incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.

12 Ceterùm contraria concluſio longè firmiùs correctæ Bellarmini propoſitioni ſuperſtruetur hunc in modum. Idolum uſitata ſignificatione deſignat imaginem rei veræ: ſcriptores autem Eccleſiaſtici tribuerũt nomen idoli uſitata ſignificatione ſimulacris quę colebantur: idolum igitur apud ſcriptores Eccleſiaſticos deſignat imaginem rei veræ. Nam hujus ſyllogiſmi propoſitio probata eſt contra Bellarminum, non modò ex eorum quos ipſe teſtes citat, ſed etiam aliorum, atque adeò ſuo conſenſu. Aſſumtio videtur à Bellarmino concedi: & recepto viris doctis gravibuſq; axiomate firmatur; [b] *res nominibus ijs, quæ vulgo uſitata ſunt, appellandas eſſe*. Concluſionem igitur concedat, velit nolit, Bellarminus oportet: ſeq; hac tota diſputatione de nomine idoli adverſus veritatem pugnaſſe fateatur. Quod eo magis debet, quia ex certiſſi-

[b] Ariſtot. topicor. l. 2. c. 2. Quintilian. l. 1 c. 10. A. Gell. l. 1. c. 10.

mis

mis ipsius enuntiatis res ita porrò liquet, ut qui eam neget, is negare possit meridie lucere. [a] Bellarminus enim ipse affirmat εἰκόνα significare imaginem rei veræ. At [b] Septuaginta interpretes eadem simulacra Baalis, quæ [c] εἰκόνας in libris Regũ vocant, in libris Chronicorum [d] εἴδωλα appellant. Neque solùm eandem Hebræam vocem יצלם, tùm his, tùm aliis locis, modò [e] εἰκόνα reddunt, modò [f] εἴδωλον: verùm etiam פסל, quod in lege [g] Mosis εἴδωλον verterunt, in [h] Esaia vertunt εἰκόνα. Proinde Septuaginta interpretibus εἴδωλον imago est rei veræ, ex Bellarmini sententia. Catholica porrò Ecclesia (ut [i] Bellarminus item asserit) multis seculis sequuta est versionem Septuaginta interpretum. Unde & autor [k] libri Sapientiæ, beatus [l] Paulus, [m] Theophilus, [n] Eusebius, [o] aliíq;, eodem sensu voces εἰκόνος & εἰδώλου promiscuè usurpant. Idoli ergo nomine apud Ecclesiasticos scriptores designari imaginem rei veræ, concludunt vera Bellarmini ipsius pronuntiata. Hæc de Jesuitæ cavillationibus, sophismatis, & mendaciis in nomine idoli.

[a] De eccl. triumph. l. 2. c. 6.
[b] Ex editione Sixti V.
[c] 2. Reg. 11. 18.
[d] 2. Chr. 23. 17.
[e] Ezek. 7. 20. & 16. 17.
[f] Num. 33. 52.
[g] Exod. 20. 2.
[h] Esai. 40. 19.
[i] De verbo Dei. l. 2. c. 6.
[k] Sap. 14. ver. 11. 12. 15. 17. & sequentib.
[l] Rom. 1. 23. Rom 2. 22. 1. Cor. 12. 2.
[m] Ab Autolyc. lib. 2.
[n] Evang. præparat. lib. 2.
[o] Athenagor. apolog. pro Christian. Clem. Alexandr. orat. ad hort. ad Gent. Epiphan. hær. 3. & 21.

CAP. VIII.

Latinum simulacri nomen imaginibus pari fraude & falsitate à Bellarmino denegari, atque Græcum εἰδώλου.

Bellarminus.

NOmen *simulacri est quidem paulò communius; nam Lactantius libro sexto de vero cultu, cap.* 10. *&* 13. *vocat hominem Dei simulacrum; & libro secundo de origine erroris, cap.* 2. *dicit simulacrum dici à similitudine, & proinde omnem veram*

veram imaginem poſſe dici ſimulacrum. Verius tamen eſt, quod alii dicunt, ſimulacrum dici à ſimulando, non à ſimilitudine; nam in Scripturis ſimulacra ubique ponuntur pro idolis. Semper enim ubi Latinus interpres poſuit ſimulacra, ut Act. 15. Pſal. 113. 1. Ioan. ult. & alibi, ſemper in Græco eſt εἴδωλα. & B. Auguſtinus in Pſal. 135. dicit, Latinos ea ſimulacra vocare, quæ à Græcis dicuntur idola. Hieronymus quoque in cap. 7. Oſeæ dicit, ſic opponi ſimulacrum Deo, ſicut opponitur mendacium veritati, quia ſimulacrum Deum falſum refert.

Denique, ſicut Homerus, & Lucianus vocant idola umbras mortuorum, quæ videntur ſolida corpora quædam, & non ſunt; ita etiam Lucretius libro 4. & Virgilius libro quarto Georgicorum, & lib. 6. Æneidos, eaſdem mortuorum umbras paſsim appellant ſimulacra.

Rainoldus.

HActenus in imagines Dei & Sanctorum contendit Bellarminus appellationem idoli non cadere: ne Romana Eccleſia, quę latriam & cultum divinum illis exhibet, damnetur idololatriæ. Jam eodem prorſus conſilio & fine cavillatur eas ne ſimulacra quidem nominari poſſe. Nam Latina vetus Bibliorum verſio, quæ à [a] Pontificiis habenda neceſſariò eſt pro authentica, *idolum* ſæpe exprimit *ſimulacri* nomine. Unde Iſraelitæ dicuntur [b] *feciſſe vitu-*

[a] Conc. Trid. ſeſſ. 4.

[b] Act. 7. 41.

vitulum, atque obtuliſſe hoſtiam ſimulacrô: & [a] Corinthii admonentur *ſe, quum Gentes eſſent, ad ſimulacra muta iviſſe*: & Chriſtianis præcipitur, ut [b] *abſtineant à ſimulacrorum contaminationibus*, & [c] *à ſimulacris ſeſe cuſtodiant*. Quocirca quia periret omne Bellarmini oleum & opera in imaginibus ab idoli nomine vindicandis, ſi nomen ſimulacri, quod idem valet, iis conveniat: concludit ſuperiorem delirationem iſta appendice, cujus ſummam [d] capite ſequente ſubjicit, his verbis; *Conſtat, ut iam oſtendimus, imagines non rectè vocari ſimulacra*. Verùm iſtuc ipſum, quod ſe affirmat oſtendiſſe, adeò veteratoriè rurſum contra omnium autorum judicium, etiam eorum quos producit ipſe, etiam Papiſtarum Jeſuitarúmq; , etiam Pontificum ſuorum, etiam ſuum, perſuadere nititur: ut imagines rectè vocari ſimulacra mihi magis conſtet, quia conſtat iſtum, quum ſummè cuperet id infringere, nullo argumento aut teſte potuiſſe.

[a] 1. Cor. 12. 2.
[b] Act. 15. 20.
[c] 1. Ioh. 5. 21.
[d] De eccleſ. triumph. l. 2. c. 6.

2 Etenim contra veram ſignificationem, quà loquendi uſu, quà vocis etymologia probatam ex *Lactantio*; hoc quoque ſatis vafrè, quòd ex Lactantio uno; quaſi non & [e] Cicero, [f] Varro, [g] Cyprianus, [h] Arnobius, [i] ceteríq; , tûm exteri ſcriptores, tûm Eccleſiaſtici idem ſimulacri voce quod imaginis ſignificari oſtenderent: ceterùm Bellarminus, ad refutandam hanc ſententiam, Lactantiano exemplo & ratione probatam, ait; *Verius tamen eſt, quod alij dicunt, ſimulacrum dici à ſimulando, non à ſimilitudine*.

[e] De invent. lib. 2.
[f] De ling. Latin. lib. 6.
[g] De idolor. vanit.
[h] Adverſ. Gēt. lib. 6.
[i] Ovid. phænom. apud Lactant. lib. 2. cap. 5. Vitruv. de architect. l. 1. c. 1. Senec. natur. quæſt. l. 1. c. 5. Plin. nat. hiſt. l. 34. c. 7. & 8. Tacit. in vita Agricolæ. Sueton. in Iul. Cæſ. cap. 76. & 88.

Macrob. Saturn. l. 1. c. 21. & 23. A. Gell. l. 10. c. 12. Tertull. de idololatr. c. 3. & 5. Minutius Felix in Octavio. Hilar. de Trinit. lib. 1. Philaſtr. hæreſ. catalog. c. 23. Hieron. in pſalm. 113. Rufin. in Oſe. lib. 3. Ambroſ. in epiſt. ad Rom. cap. 1. Sulp. Sev. hiſt. ſacr. lib. 2. Nazar. panegyric. Conſtantin. Valent. Theod. & Arcad. l. un. C. de his qui ad ſtatuas confugiunt. Et quis non?

ne. Quod alii dicunt, Bellarmine? Quinam ſunt hi alii? Quin tu eos nominas? An potiùs nemo erat, quem nominare poſſes? Quis enim tuam aſtutiam putet citaturam fuiſſe Lactantium, Latinitatis autorem optimum, à quo oppugnareris; ejúſq; librum item & caput indicaturam: aliorum verò, qui tuæ etymologiæ adverſus eum ſubſcriberent, non modò non annotaturam caput aut librum, ſed ne nomen quidem? Itaque vidêris imitatus eſſe ſtratagema regis Daciæ, [a] Decebali: qui veritus ne Romani, à quibus prælio victus erat, in regiam ſuam impetum facerent, cædendas curavit arbores regię propinquas, earúmq; truncos armis induendos, ut hoſtes militarium copiarum ſpecie expavefacti recederent. Niſi fortè verius ſit autores quidem enuntiati tui à te citari potuiſſe: ſed quorum loca aut nomina ſi commemoraſſes, perſpexiſſemus fraudem tuam. Nam, exempli gratia, quum [b] Fauſtus Manichęus, alludens ad Apoſtoli verba de Chriſto [c] imagine Dei inviſibilis, & [d] characterе perſonæ Patris, appellaret *Chriſtum ſimulacrum vivum vivæ maieſtatis*; ſic tamen ut eundem itidem agnoſcens [e] Dei virtutem & Dei ſapientiam, in Sole diceret habitare, quatenus virtus eſſet; in Luna, quatenus ſapientia; pluráq; ejuſdemmodi phantaſmatum monſtra funderet: [f] Auguſtinus, ei reſpondens, ait *Chriſtum iſtum Manichæorum eſſe phantaſmaticum; & ſimulacrum vocari poſſe non à ſimilitudine, ſed à ſimulatione*. Quæ verba ſpeciem quandam Bellarminianæ ſententiæ prę ſe ferunt: quum reipſa tamen doceant contrarium. Quippe Auguſtinus illis ſignificat, ſimulacrum propriè à ſimilitudine dici; itáq; vero Chriſto, ut Patris

[a] Xiphilin. Dionis epit. in Domitiano.

[b] Apud Aug. contr. Fauſt. Man. lib. 20. cap. 2. & 3.
[c] Col. 1. 15.
[d] Heb. 1. 3.
[e] 1. Cor. 1. 24.

[f] Eod. lib. cõtr. Fauſt. cap. 15.

Patris imagini, nomen convenire: ſed quo pacto Chriſtum ſuum Manichæi ſimulacrum vocant, ita novum etymon à ſimulatione voci tribuendum. Mihi autem eo minùs veriſimile fit à quoquam dici, quod Bellarminus aſſerit, quia [a] Iſidorus, etymologiarum diligentiſſimus conquiſitor, *ſimulacra* tradit *à ſimilitudine nuncupata, eo quòd manu artificis ex lapide aliáve materia eorum vultus imitantur, in quorum honorem finguntur.*

[a] Origin. lib. 8. cap. 11.

3 Præterea, licèt alii ſcripſiſſent ſimulacrum à ſimulando dici, non à ſimilitudine: Bellarminus tamen, affirmans *hoc eſſe verius*, perperam innuiſſet id, quod è Lactantio recenſuit, falſum eſſe. Nam & Iſidorus ſuperiori ſententiæ hanc confeſtim addit; *Ergo ſimulacra, vel pro eo quòd ſunt ſimilia, vel pro eo quòd ſimulata atque conficta*; quibus verbis, ut ſibi conſtet, cenſendus eſt dixiſſe, ſimulacrum à voce ſimulandi potiùs quàm ſimilitudinis forſitan deduci; ſed, quod ad rem attinet, à ſimilitudine nuncupari, quia vultum ejus imitando ſimulat, in cujus honorem fingitur: & [b] Antonius Fonſeca, dicens *ſimulacrum à ſimulando nomen accepiſſe*, reipſa idem tradit cum ſuo Divo [c] Thoma, cui *ſimulacrum* dicitur, *quod ad ſimilitudinem alicuius rei naturalis fit*. Nimirum ita [d] Cicero Minervam, quam [e] Homerus inducit Μέντορι εἰδομένην, *Mentori ſimulatam* ſcribit: & [f] Macrobius narrat *oſcilla ad humanã effigiem arte ſimulata*, quę [g] Dionyſius Halicarnaſſeus μορφαῖς ἀνθρώπων εἰκασμένα nominat: & *parvam Troiam Pergamáq; magnis ſimulata* appellat [h] Virgilius, quæ ad effigiem Trojæ ab Heleno ſtructa erant: & [i] Horatius denique, tùm pictori dicit, *Fortaſſe cupreſſum Scis ſimulare*; tùm de ſtatuariis, [k] *Alexandrũ*

[b] Annot. ad Caietani cõment. in Deuteron. cap. 4.
[c] Aquin. in 1. ad Corinth. cap. 8. lect. 1.
[d] Ad Attic. lib. 9. epiſt. 7.
[e] Odyſſ. lib. 2.
[f] Saturn. lib. 1. cap. 7.
[g] Antiq. Rom. lib. 1.
[h] Æneid. lib. 3.
[i] De arte poet.
[k] Lib. 2. ep. 1.

Magnum edicto vetuiſſe, ne quiſquam præter Lyſippum duceret æra Fortis Alexandri vultum ſimulantia. Quid, quòd incertum eſt an verbum, *ſimulo*, à voce *ſimilis* ortum ſit, mutata una litera ex more in [a] hujuſmodi deductionibus uſitato: quandoquidem *aſſimulo*, compoſitum ejus, idem eſt cum *aſſimilo*, non ſolùm ſignificatione, ſed etiam varietate lectionis ſæpe. Quo enim ſenſu [b] Tacitus negat *Germanis ex magnitudine cœleſtium viſum eſſe, Deos in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare*: eodem [c] Plinius ait, *Hyæna traditur ſermonem humanum aſſimulare*; eodem [d] Virgilius, *Clypeúmq; iubáſq; Divini aſſimulat capitis*; eodem [e] Cicero, *Literæ lituræq; omnes aſſimulatæ & expreſſæ*; quibus item locis nonnulli codices pro *aſſimulat*, legunt, *aſſimilat*. Bellarminus certè adeò pro eiſdem omnino iſta habet, ut, quod apud Eſaiam Judæis dicit Dominus, [f] *Cui aſſimilaſtis me?* hac voce [g] primùm recitet; [h] deinde autem altera, *Cui aſſimulaſtis me?* & utrobique agnoſcat idem deſignari, *Cui ſimilem me feciſtis?* Quũ igitur Lactantius hanc vocũ affinitatẽ, naturámq; rei notatã vocibus, ſic ſpectârit, ut *ſimulacrũ* etiam [i] dicat *ſimulari* ac *imitatione mẽtiri veritatem*: utrumque fieri poteſt, ut & à ſimulando ſimulacrum dictum eſſe judicârit, & à ſimilitudine nomen accepiſſe tamen verè aſſerat.

[a] Scalig. de cauſ. ling. Latin. cap. 29.

[b] De morib. German.

[c] Natur. hiſt. l. 8. c. 30.

[d] Æneid. li. 10.

[e] Accuſat. in Verr. lib. 2.

[f] Eſai. 40. 25. & 46. 5.

[g] De eccleſ. triumph. lib. 2. cap. 8. §. Vt ergo.

[h] Ibid. §. Ex his ad argumẽta.

[i] Lib. 2. cap. 18.

4 Poſtremò, ſi erratum fuiſſet in etymologia, de qua viri docti frequenter ſic diſſentiunt, ut [k] Quintiliano nec Varro nec alii ſatisfaciant: tamen alia fraude peccaſſet Bellarminus, quòd inde colligat concludátq;, *imagines non rectè vocari ſimulacra*. Vocatur enim quidque rectè eo nomine, quo ſignificatur: & ſignificatio vocis congruit ſæpenumero, cui etymologia ejus non cõgruit. Exempli cauſa, *cælibes* dictos *veluti*

[k] Lib. 1. cap. 10.

cælites,

cælites, etymologia [a] vetus est: à [b] Festo, an à Paulo Diacono tradita? his verbis; *Cælibem dictum existimant, quòd dignam cælo vitam agat*. Quam etymologiam [c] Josephus Scaliger castigans, quia *cælebs* Græcam habet originem, κοίλη, inquit, *est Carens concubitu:* atque hanc esse veram etymologiam ex Græco fonte docet. Utramcunque autem probabit Bellarminus, non evincet eam quadrasse in [d] Rodericum Borgiam Cardinalem, qui cum meretrice Romana Vannocia, nec ea sola, consuevit. Quadravit tamen Cardinali significatio *cælibis*; quippe, tanquam homini minimè conjugato: alioqui creari non potuisset Papa Alexander Sextus. *Monachus* accepit nomen à solitudine; ut [e] Hieronymus censet, dicens Heliodoro: *Interpretare vocabulum monachi, hoc est nomen tuum; quid facis in turba, qui solus es?* [f] Bellarminus contrà, quia cœnobitas in monachis numerat [g] Hieronymus, vult *Monachos* inde dictos, *quòd sese à coniugijs, parentibus, mundo, divisibilibúsq; rebus secernant, ut Monadi, id est soli Divinitati, seu Deo, per contemplationem inhæreant*. Hoc speciosius etymon; illud probabilius: sed neutrum convenit Franciscanis, aut Dominicanis, quod Bellarminus etiam notat. Et tamen Dominicanum illum, qui nefarias regi suo, Henrico Tertio, manus intulit, *Monachum* appellant, ex recepta vocis significatione, non modò [h] Pontificii, sed etiam [i] Pontifex Sixtus Quintus. Proinde [k] Campianus, sophismata, quæ Jesuitis domi nascuntur, in nobis carpens, ait: *Acutè D. Thomas, ut omnia, In vocibus, inquit, videndum, non tam ex quo, quàm ad quid, sumantur*. Non omnia quidem satis acutè D. Thomas. Nec enim in hoc ipso, de quo

[a] C. Gran. apud Quintilian. ibid.
[b] De verbor. significatione.
[c] Castigationib. in Festũ.
[d] Onuphr. & Papir. Masson. in vita Alexand. VI.
[e] Epist. 1. ca. 4.
[f] De monachis, cap. 1.
[g] Epist. 22. cap. 15. ad Eustochium.
[h] Cicarell. in vita Sixti V. Mercur. Gallobelg. lib. 2.
[i] Serm. de Henrici III. morte, Romæ in Consist. patrum habit.
[k] Rat. 9. Possevin. biblioth. select. l. 7. c. 25.

jam agimus, idolum & simulacrum rectè distinguit; quum [a] *simulacrum dici* tradit, *quod fit ad similitudinem rei alicuius naturalis; idolum autem, ad nullius rei similitudinem, ut si corpori humano addatur caput equinum.* Quod & ipse [b] alibi vidit correxitq; : scribens, *quarundam imaginum cultores idololatras dictos esse, quia latriæ cultum idolis, id est, imaginibus impendebant.* Verùm illud meliùs [c] Thomas quàm multa, qui tamen multa bene: aliud esse vocis significationem, aliud etymologiam; nec utramque semper eidem rei convenire. Quapropter etiamsi etymologiam simulacri in imaginem haud quadrare concederemus: sophisticè tamen Bellarminus inde concluſiſſet imagines non rectè vocari simulacra. Testes Isidorus & Paulus Diaconus: autores eo judicio versati in scrutandis vocum etymologiis & significationibus, ut Bellarmini somnium videantur facilè fuisse amplexuri, siquis veterum ansam idoneam suppeditasset. [d] Isidorus enim, utut in tradenda etymologia fluctuet; ac *simulacra dicta, vel quòd sunt similia, vel quòd simulata & conficta,* scribat: significari tamen imaginem simulacro agnoscit absque omni controversia, dicens; *Fuerunt quidam viri fortes, aut urbium conditores, quibus mortuis homines, qui eos dilexerunt, simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium*: item; *Gentiles primum Prometheum simulacra hominum de luto finxisse perhibent, ab eóq; natam esse artem simulacra & statuas fingendi; unde & poetæ ab eo homines primùm factos esse confingunt figuratè propter effigies.* [e] Paulus autem Diaconus *effigies viriles & muliebres ex lana Compitalibus Romæ suspensas in compitis, ad placandos Lares, simulacra* nuncupat. Quin etiam

[a] Tho. Aquin. in 1. ad Cor. cap. 8. lect. 1.

[b] Summ. contr. Gent. lib. 3. cap. 120.

[c] In 2. 2æ. quæst. 92. art. 1. Quæst. disput. de potentia Dei, quæst. 9. art. 3.

[d] Origin. lib. 8. cap. 11.

[e] In Festo: verbo, Pilæ.

etiam Latinus Scripturarum interpres, Auguſtinus, Hieronymus, Lucretius, & Virgilius, hoc eſt, illi ipſi, ex quibus veram ſimulacri ſignificationem ſub etymologiæ ſpecie oppugnat Bellarminus, fortaſſe nec etymologiam Lactantianam improbant, ſignificationem quidem certè confirmant.

5 Nam, ut de ſingulis ordine agamus, *in Scripturis*, inquit, *ſimulacra ubique ponuntur pro idolis: ſemper enim ubi Latinus interpres poſuit ſimulacra, ut Actorum decimo quinto, Pſalmo centeſimo decimo tertio, primæ Iohannis ultimo, & alibi, ſemper in Græco eſt* εἴδωλα. In quibus Bellarmini verbis hoc primò inſignitè falſum eſt, quod tam fidenter aſſerit iterato *ſemper*, *ſemper ubi Latinus interpres poſuit ſimulacra, in Græco eſſe* εἴδωλα. Nam Latinus interpres poſuit *ſimulacra* [a] Actorum decimo ſeptimo, ubi in Græco eſt, non εἴδωλα, ſed σεβάσ-ματα. Latinus interpres poſuit *ſimulacra* [b] Exodi triceſimo quarto, ubi in Græco eſt, non εἴδωλα, ſed θεοὶ. Latinus interpres poſuit *ſimulacra* [c] Levitici viceſimo ſexto, ubi in Græco eſt, non εἴδωλα, ſed χειροποίητα. Latinus interpres poſuit *ſimulacrum* [d] Numerorum viceſimo tertio, ubi in Græco eſt, non εἴδωλον, ſed πόνος. Latinus interpres poſuit *ſimulacra* in libris [e] Samuelis, [f] Regum, & [g] Chronicorum, ubi Græcè habetur, non εἴδωλα, ſed κατοπτρία, καταδύσεις, ὑψηλὰ. Latinus interpres poſuit *ſimulacra* in [h] Eſaia, [i] Ezekiele, [k] Hoſea, & [l] Zacharia, ubi Græcè habetur, non εἴδωλα, ſed γλυπτὰ, εἰκόνες, πλανῶντες, τερέντη, βδελύγματα, σῦλαι, ἀποφθεγγόμενοι. Denique Latinus interpres poſuit *ſimulacra* [m] ſecundo Maccabæorum,

[a] Act.17.23.
[b] Exod.34.15.
[c] Lev.26.30.
[d] Num.23.21.
[e] 1.Sam.19.16.
[f] 1.Reg.15.13.
[g] 2.Chr.34.4.
[h] Eſai.10.10. & 40.20. & 41.29.
[i] Ezek.6.4. & 30.13.
[k] Hoſ.10.1.
[l] Zac.10.2.
[m] 2.Macc.2.2.

bæorum, (quem Bellarminus Scripturarum nomine comprehendit,) ubi in Græco eſt, non εἴδωλα, ſed ἀγάλματα. Ac nonnulla horum [a] compluribus in locis toties occurrunt, ut mira videatur audacia Jeſuitæ: qui, quod frequentiùs ſecus quàm ſic ſe habet, id *ſemper ſemper q.* ſic ſe habere pronuntiat.

[a] 2. Chr. 31. 1. & 33. 15. & 34. 3. Eſai. 2. 20. & 19. ver. 1. & 3. Eſai. 46. 1. Ezek. 7. 20. Hoſ. 10. 2.

6 Deinde ſimili vitio laborat, etſi minùs turpiter, quod ait *ſimulacra ubique poni pro idolis*. Eodem vitio, dicerem, ſi putarem *idola* in hoc enuntiato pro ipſa Græca voce (quod ratio ſubdita videri poſſet innuere) ab eo uſurpari. Sed *idola* hîc dici, ex Eccleſiaſtico vocis uſu, imagines divino honore cultas, oſtendit Bellarmini ſodalis & ſectator, Autor [b] epitomes controverſiarum: affirmans *ſimulacrum in malam partem ſemper ſumi*. Simulacrum autem non ita pro idolo ubique poni in Scripturis, teſtatur decimum nonum primi Samuelis: ubi [c] *ſimulacrum* à Davidis uxore in lecto collocatum eſſe memoratur, quò viri ægrotantis & decumbentis ſpecie ad tempus Saulem falleret nuntióſq; Saulis, ne eum fugientem perſequerentur & comprehenderent. Nam imaginem iſtam idolum non fuiſſe confirmat ſingularis pietas Davidis, [d] viri ſecundum cor Dei. Quis enim arbitretur eum idola in ædibus ſuis habuiſſe, quem Dominus elegit regem loco Saulis dejecti regia dignitate? Præſertim quum peccatum, ob quod Saul dejectus eſt, his verbis amplificetur: [e] *Quia ſicut peccatum divinationis eſt rebellio, & ſicut ſuperſtitio & idola eſt repugnantia*. Itaque [f] Ribera, doctor magni nominis inter Jeſuitas, in commentariis ſummo ſtudio elaboratis, & Superiorum cum approbatione Romæ excuſis, enarrans qualis ſtatua hoc ſimulacrum fuerit, quod

[b] Part. 1. cap. 3. quæſt. 5. §. 1.

[c] 1. Sam. 19. 16.

[d] 1. Sam. 13. 14.

[e] 1. Sam. 15. 23.

[f] Comment. in Hoſeam, c. 3. §. 21.

Davidis

Davidis uxor posuit super lectum, *Quam*, inquit, *statuam posuit? certè non idoli alicuius; neque enim idola erant in domo Davidis: sed neque alterius modi statuæ essent apud Davidem; non imagines astronomicæ, ut quidam putant; non imagines factæ ad suscipiendam virtutem superiorum, quod R.* [a] *Abraham magis huic loco consentaneum esse dixit; quæ omnia Iudæi detestabantur. Sed fecit Michol ex variis hinc inde rebus statuam homini similem, quales tauris obiici solent in circo, aut in hortis poni ad aves terrendas; vestibus scilicet virilibus, aut palea, aut ligno, aut pannis oppletis, & humani corporis membra simulantibus; aut certè quales tumulis imponi solent, quum absentium funera fiunt: unde addit;* [b] *pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, videlicet ut rufos Davidis capillos imitaretur.* Probabiliter quidem Ribera, simulacrum Davidis ab uxore factum tale fuisse, qualia *homines fæneos* à [c] Cicerone dicta observat [d] Asconius Pedianus: scribens *simulacra effigiésq; hominum ex fæno fieri consuevisse, quibus obiectis ad spectaculum præbendum tauri irritarentur.* Cetèrum sive tale, sive qualia tumulis, quando celebrantur funera absentium, imponi solita sunt; quod forsitan Septuaginta interpretibus visum, qui κενοτάφια reddiderunt: Romana Jesuitæ ac Superiorum doctrina traditur pro certo, quod certum item esse ex historiæ sacræ circumstantiis liquet, simulacrum alicubi vulgari imaginis significatione in Scripturis poni; eóq; Bellarminum, aut falli, aut fallere conari.

[a] Aben Ezra, in Genes. c. 31.

[b] 1. Sam. 19. 13.

[c] Orat. 1. pro Cornelio.

[d] In Ciceron. orat. 1. pro Corn.

7 Atque hinc postremò appâret rationem, ex duobus istis enuntiatis textam, utrinque claudicare: non

non modò ut attingit ſignificatum vocis, in quo eſt caput controverſiæ, verùm etiam ut etymologiam. Etenim, qui effigiem, Davidi adeò ſimilem ex omni parte factam ut [a] rufos etiam ejus capillos imitaretur, *ſimulacrum* vocare maluit quàm imaginem, etſi [b] imago ab imitando dicta ſit: egregios ſanè judices è Papiſtis nactus eſt, ſi videatur illis propterea non putaſſe ſimulacrum dictum à ſimilitudine. Quin immo, quum [c] εἴδωλον eodem modo Græcè deducatur ab εἴδω, quo *ſimulacrum* Latinè à *ſimulo*; & εἰδώλευτον [d] Cicero reddat *ſimulatum*, in Minerva [e] Homerica [1] *ſimulata Mentori*, quod [f] Virgilius rectè expreſſit uoce [2] *ſimilis*, in Homerici loci imitatione: nónne ſimulacrum à ſimilitudine nomen accepiſſe fit eo probabilius, quòd Latinus interpres ſæpe id poſuerit, ubi Græcè eſt εἴδωλον? Significari autem imaginem ſimulacro, quæ poteſt probatio firmior requiri contra Bellarminum, quàm Bellarminiana ratio caſtigata? Nam [g] Eſaiæ quadrageſimo, ubi Latinus interpres poſuit *ſimulacrum*, habetur εἰκὼν Græcè. At εἰκὼν, [h] Bellarmino fatente, eſt *imago*. Simulacrum igitur, ex Bellarmini argumento, imago rectè dicitur. Porrò Hebræam dictionem צלמים, in eadem hiſtoria, [i] *imagines* modò reddit Latinus interpres, modò [k] *ſimulacra*: & idem pro Hebræo סמל [l] alibi habet *imaginem*, ut & Græci εἰκόνα, [m] alibi *ſimulacrum*. Simulacri igitur nomen non rectè tribui imagini, tantum abeſt ut doceat primus ac præcipuus Bellarmini teſtis; ut ipſum, qui hoc aſſerit, erroris & mendacii potiùs convincat.

8 Quid ceteri? Num diſſimiles? Illi verò, & ejuſdem argutiolæ ſpecie à Bellarmino fucantur: & deterſo

[a] 1. Sam. 17. 42.
[b] Feſt. & Nicæn. Synod. II. act. 6. tom. 6.
[c] Etymologic. magn. linguæ Græcæ.
[d] Ad Attic. lib. 9. epiſt. 7.
[e] Odyſſ. lib. 2. [1] Μίντωρι εἰδομένῃ, ἠμὲν δὲ μάκρης, ἠδὲ καὶ αὐδὴν.
[f] Æneid. lib. 9. [2] *Omnia longævo ſimilis, vocemq; coloremq;*
[g] Eſai. 40. 20.
[h] De eccleſ. triumph. l. 2. c. 6.
[i] 2. Reg. 11. 18.
[k] 2. Chr. 23. 17.
[l] Deut. 4. 16.
[m] 2. Chr. 33. 15.

terso fuco similiter eum fraudis, erroris, mendacíve arguunt. Nam *B. Augustinus in Psalm.* 135. *dicit, Latinos ea simulacra vocare, quæ à Græcis dicuntur idola.* Bene sanè. Et in eundem Psalmum idem dicit, *simulacra oculos habere, & non videre,* & cetera: quibus imagines humana specie factas Scriptura delineat. Et [a] in Psalm. 113. idem dicit, *adorari potiùs debere vivas bestias, quàm hominum simulacra vita sensúq; carentia.* Et [b] contra Faustum idem dicit, *ex desiderio mortuorum constitutas imagines, unde simulacrorum usus exortus est.* Et [c] in Exodum idem dicit, *præceptum esse* [d] *Legis, Non facies ullum simulacrum*; ita reddit Græcum vocabulum ὁμοίωμα: quod ipsum [e] alio loco vertens, *similitudinem*, ostendit quanto propior sit Lactantiano, cûm etymo, tûm significatui, quàm Bellarminiano.

[a] Concion. 2.
[b] Lib. 22. cap. 17.
[c] Quæst. 71.
[d] Exod. 20. 4.
[e] Super Deuteronom. quæst. 4.

9 At *Hieronymus quoque*, ut Bellarminus addit, *in cap. 7. Oseæ dicit, sic opponi simulacrum Deo, sicut opponitur mendacium veritati, quia simulacrum Deum falsum refert.* At Bellarminus Hieronymum ex parte ementitur, subjiciendo hanc clausulam, *quia simulacrum Deum falsum refert*: tanquam [f] simulacrum, quod Deum verum referat, non item Deo contrarium censeret Hieronymus. In eo verò quod [g] dicit, *mendacium contrarium esse veritati, sicut simulacrum contrarium est Deo, ac propterea idolum vocari mendacium ab Hosea*; idolum quidem seu simulacrum doctorem esse falsi perhibet, sic tamen ut & imago sit: unde *imaginem* quoque *falsam* [h] alibi vocat. Neque hoc negare poterit Bellarminus, nisi negabit imaginis nomen rectè tribui bestiarum & hominum imaginibus, quæ [i] Hieronymo *simulacra* sunt.

[f] Esai. 40. 20. Hieron. in Esaiæ cap. 40.
[g] Loco citato à Bellarmino.
[h] In Habac. cap. 2.
[i] In Esai. c. 48.

10 *Lucretius*

10 *Lucretius* autem & *Virgilius* ſatis luculentum teſtimonium dicerent contra Bellarminum, licèt ſimulacri vocabulum nullas alias ad res accommodarent, quàm ad quas ipſe citat. Præſertim quum [a] Virgilius, *mortuorum umbras* non modò ſimiles faciat vivis hominibus, ſed & *imagines* appellet: ac [b] Lucretius, εἴδωλα [c] Epicuri explicans, *ſimulacra* nuncupet formas quaſdam tenues, figura ſimili prædita atque ſolida corpora, à quibus eas vult defluere. Sed Lucretius inſuper *ſimulacrum* & *imaginem* [d] conjungit tanquam voces idem ſignificantes, promiſcuéq; uſurpat [e] paſſim: & hominum effigies *ſimulacra* nominat, [f] dicens jucundam vitam agi poſſe,

Si non aurea ſunt iuvenum ſimulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.

Nec aliter [g] Virgilius *pugnæ ſimulacra* appellat in Trojanis, quæ in Macedonibus ſub Perſeo & Demetrio, ut *ſimulacrum*, ſic *imaginem pugnæ* vocat [h] Livius: & de equi effigie, cujus inſidiis Trojani capti eſſe memorantur, [i] ait;

Ducendum ad ſedes ſimulacrum, orandáq; Divæ
Numina conclamant.

Adeò evidenter univerſi teſtes, quos Bellarminus citat adverſus veram ſimulacri ſignificationem ſub falſæ etymologiæ oppugnandæ ſpecie; tùm etymon ab ipſo improbatum probant, vim etymi quidem certè; tùm ſimulacrum & imaginem pro vocabulis idem ſignificantibus habent.

11 Quæ quum ita ſint, appâret Pontificiam idololatriam multo impudentiùs, calumnioſiùs, nequiùs ab iſto Jeſuita, quàm ab aliis ſuis amaſiis defendi.

Nam

[a] Æneid. lib. 2. & 6.
[b] Lib. 4.
[c] Diog. Laërt. in Epicuro.
[d] Lib. 2.
[e] Lib. 4. & 6.
[f] Lib. 2.
[g] Æneid. lib. 5.
[h] Lib. 40.
[i] Æneid. lib. 2.

Nam quia Gulielmus Xylander in [a] Cedreni hiſtoria de Conſtantino, Leonis filio, juramentum ab omnibus ſuo imperio ſubjectis exigente, εἰκόνι μὴ προσκυνῆσαί τινὶ, Latinè hæc vertit, *nulli ſe ſimulacro ſupplicaturos*; [b] Sanderus deſiderans non doctrinam modò, ſed etiam fidem in Xylandro, ait *ſe non ſatis probare quòd ſimulacrum dixit, ubi ipſi imaginem potiùs dicere ſolent: peius verò eſſe, quòd pro προσκυνῆσαι ſupplicare interpretatus eſt, quum in eo loco ſignificet potiùs adorare, & genua flectere*. Deſiderandum quidem aliquid in ſeipſo docens Sanderus, qui neſciebat *ſupplicare*, ut genu flexionem etymologia exprimit, ſic [c] idem ſignificare cum verbis [d] προσκυνεῖν & *adorare* interdum; quod ex [e] Forerio ſuo didiciſſe poterat: ſed moderatiùs tamen pronuntians ſe non ſatis probare quòd Xylander *ſimulacrum* dixiſſet, ubi Pontificii libentiùs dicunt *imaginem*. [f] Bellarminus verò, tanquam Sanderanam cenſuram nimis lenem & languidam putaret, Xylandrum acriore ſententia perſtringit; nempe, *Conſtat imagines non rectè vocari ſimulacra*: eámq; exacuit hoc epiphonemate; *Sed nimirum qui fidem Deo non habet, nihil mirum ſi etiam fidem non ſervet in libris tranſferendis*. Et iſtæccine dicta Reverendi Patris Roberti Bellarmini probavit [g] Albertus Hungerus, Procancellarius Academiæ Ingolſtadienſis, velut *orthodoxa, erudita, ſolida, & cum primis digna quæ ad plurimorum utilitatem multo maximam typis procuderentur?* Ergo fidem in libris tranſferendis nec [h] Cicero ſervavit inter veteres, qui, Platonis Timæum Latinitate donans, εἰκόνα *ſimulacrum* & *ſimulacra* reddidit: nec [i] Jacobus Billius inter recentiores, qui, Moſis decalogum à Nazianzeno carmine expreſſum

[a] Hiſtoriar. cõpend. in Conſtant. Copron.

[b] De imag. adorat. l. 1. c. 10.

[c] Sueton. in Auguſt. ca. 93.

[d] Act. 8. 27.

[e] In Eſai. cap. 2. verſ. 8.

[f] De eccleſ. triumph. lib. 2. cap. 6.

[g] Cenſura præfixa tom. 1. diſputat. Bellarmini.

[h] De univerſ.

[i] Gregor. Naz. carm. de Moſis decalog.

expreſſum interpretans, ἄπνοον εἰκὼ vertit *mortua ſimulacra?* Aut fidem Deo non habuit Petrus Lombardus? non Cardinalis Caietanus? non Marſilius Ficinus? non Faber Stapulenſis? non Viguerius? non Naclantus? non Catharinus? non Oſorius? non Cornelius Muſſus? qui, quod [a] Paulus nomine εἰκόνος ſignificavit, id [b] omnes *ſimulacri* voce exponunt. Etiámne perperam *ſimulacrum æneæ bovis* commemorat [c] Cæſar Baronius; ac nobiliſſimas ſtatuas, Conſtantinopolin à Conſtantino tranſlatas appellat *ſimulacra* perperam? Et perperam [d] Benedictus Pererius legem Dei, qua *Iudæis vetitum fuiſſe quarumlibet imaginum cultum* aſſerit, ſic repetit ut affirmet *illos ſæpe animo conſtanti mortem millies ſubire potiùs voluiſſe, quàm contra patrias leges ulla ſimulacra venerari?* Et perperam [e] Ribera ſententiam [f] Hieronymi, dicentis *Aquilam interpretari* תרפים μορφώματα, *id eſt, figuras vel imagines*, explicat ponendo pro *imaginibus ſimulacra?* Et perperam [g] Philander, [h] Germonius, [i] Pereſius, [k] Onuphrius, [l] Angelus Roccha, Divorum Divarúmq; imagines *ſimulacra* vocant: nec laudat Roccha Sixtum Quintum, à quo *ſimulacra Sanctorum Petri & Pauli in columnis Traiani & Antonini poſita* narrat: & infamat Romam Onuphrius, in cujus ſacris monumentis non horum modò, & aliorum, verùm etiam *Beatæ Virginis ſimulacra* celebrat: Pereſius autem *Chriſti* quoque *ſimulacro* [m] hiſtoriam Tripartitam inquinat? Et perperā [n] Borrhomæus, cum univerſa Synodo Mediolanenſi, *pictas imagines fictáq; ſimulacra* in Pontificiis templis collocat? Etiam [o] Pius Secundus *ſimulacra* in ludis ſuis Megalenſibus, Viterbii feſto Corporis Chriſti celebra-

[a] Rom.1.23.
[b] Comment.in epiſt.ad Rom. cap.1.
[c] Annal.eccleſ. tom.3.anno Dom.330.
[d] Comment. in Dan.lib.3.
[e] In Hoſ.ca.3. §.20.& 22.
[f] Tradit. Hebr. in Gen.ca.31.
[g] In Vitruv. de architect. l.4.c.8.
[h] De ſacror. immunitatib. li.3.ca.1.§.18.
[i] De traditionib.part.3.
[k] De ſeptem urb.eccleſ. cap.de baſilica Lateran.
[l] Comment. de Biblioth. Vatican.
[m] Lib.6.cap.41.
[n] Concil. Mediolan.I. part.1.
[o] Comment. Pii II.lib.8.

bratis, perperam dilaudat: & *ſimulacrũ ſepulcri Chriſti* malè nominat, in quo reſurrectio ab hiſtrione repræſentata eſt? Quid? Et [a] Pius Quintus denique dicit perperam; *In Scripturis, iuſſu Dei, ſimulacra & imagines effectas legimus, Cherubim, ſerpentis ænei?* quum tamen hoc non dicat ut privatus doctor, ſed ut magiſter orbis terrarũ in Catechiſmo Romano Synodi Tridẽtinę? Immo hîc profectò, quicquid Hungero viſum ſit, Bellarminus ipſe, ex laudibus, quas iſti Catechiſmo [b] tribuit, erratum ſuum tacitè quodãmodo confitetur.

[a] In explicat. decalog. præcept. 1.

[b] De ſacrament. Euchariſt. l. 1. c. 5.

12 Cujus adhuc quoque culpa eo major eſt, quòd tûm ſciebat, tûm [c] docuerat, imaginem, quæ Davidis loco in lecto poſita eſt, & hominem referebat, *ſimulacrum* à [d] Latino interprete dictam eſſe. Et adhuc iterum major majorq́; , quòd contra conſcientiam pugnavit in hac tota diſputatione, qua perſuadere nititur idolum ſic diſtingui apud Eccleſiaſticos ſcriptores ab imagine, ut nulla imago, nedum Dei, Chriſti, Sanctorúmve, idolum dici poſſit. Nam [e] paulo pòſt, *Sine dubio*, inquit, *non prohibetur in decalogo omnis imago, ſed ſolùm illa, quæ dici potẽt idolum, id eſt, imago, quæ habetur pro Deo, vel quæ repræſentat tanquam Deum eam rem, quæ non eſt Deus.* [f] Item; *Si imagini exhibetur cultus latriæ propter ſe, hæc vera eſt idololatria.* Ac [g] rurſum; *Si imagini exhibetur cultus idem qui Deo, æquè colitur creatura, atque ipſe Deus; quæ certè idololatria eſt: nam idololatria non ſolùm eſt, quum adoratur idolum relicto Deo, ſed etiam quum adoratur idolum ſimul cum Deo. Exod. 20. Deos aureos & Deos argenteos non facietis mecum.* Quibus cunctis liquidò agnoſcit Bellarminus idoli nomen Eccleſiaſtico ſenſu rectè

[c] De verbo Dei, l. 1. c. 13.

[d] 1. Sam. 9. 16.

[e] De eccl. triumph. l. 2. c. 7.

[f] Lib. eod. cap. 24.

[g] Ibidem.

rectè tribui cuicunque imagini, etiam ipſius Chriſti & Dei, quæ divino honore colitur. Quapropter, an Jeſuita iſte ſit hæreticus [a] ſuopte judicio condemnatus, declarabit tandem juſtus ille [b] judex, cujus ſocietatis & nominis ſplendore perfidiam ſuam fucat. Interim fallaciam, qua per cuniculos definitionem idololatriæ oppugnat, inanem eſſe patet: ac ſimulacra, ſeu Crucis ſint, ſeu Crucifixi, ſeu agni, ſeu columbæ, ſeu hominis, ſeu angeli, ſeu cujuſcunque demum rei aut perſonæ, idola, ſi colantur, ex Eccleſiaſtica loquendi conſuetudine nominari conſtat.

[a] Tit. 3. 11.
[b] Act. 17. 31.

CAP. IX.

Valentianum ex clauſula ad idololatriæ definitionem adjecta putidè argutari, non omnes eſſe idololatras qui divinum cultum creaturæ exhibent.

VAlentianus autem, qui Bellarminiana latebra neglecta imagines Chriſti Sanctorúmq; non modò *ſimulacra*, ſed etiam *idola* [c] vocat, effugium quærit turpius: atque de calcaria in carbonariam pervenit, ut loquitur [d] Tertullianus; vel potiùs fumum fugiens, quod aiunt, in ignem incidit. Non vult enim eam de idololatria opinionem haberi, ut idololatræ cenſeantur quicunque creaturæ divinum cultum exhibent: nam iſto modo ſeipſum & Catholicos ſuos fore idololatras;

[c] De idololatr. l. 2. c. 7.
[d] De carne Chriſti, cap. 6.

tras; quod invitus audit; quantumvis licèt idola à se & suis coli haud negandum putet. Quid igitur? Ita tractat definitionem idololatriæ, ut Pontificios, nisi velint se idololatras profiteri, à reatu liberet. Nam etsi [a] principio *idololatriam* rectè definiat *impium esse cultum, quo creaturæ divinus honor exhibetur*: tamen [b] post adjungit ad definitionem istam, *sicut Deo*; & asserit *genuinam hanc esse rationem idololatriæ, creaturæ divinum habere honorem sicut Deo*. Quæ clausula inanis duntaxat esset repetitio rei significatæ vocabulo *divinum*, si id simpliciter vellet, quod verba usitatè sonant. Idem enim est, honorem creaturæ habere sicut Deo, & divinum honorem creaturæ habere. Unde [c] Thomas Aquinas, definiens *idololatriam esse superstitionem, qua creaturæ divinus cultus exhibetur*, confirmat verbis [d] Augustini, dicentis *creaturam in ea coli sicut Deum*. Et [e] Catechismus Tridentinus verbis idem sonantibus, modò, *si idola colantur tanquam Deus*, modò, *si creatæ rei tribuatur honor Deo debitus, idololatriam committi* docet. Itaque si receptus verborum sensus obtineret in Valentiani definitione, qua divinum honorem sicut Deo copulat: perinde esset acsi diceret, idololatriam esse superstitionem, qua honoratur creatura sicut Deus sicut Deus. Sed Valentianus astutè aliud agit; &, ne definitio idololatriæ in Pontificios cadat, qui divinum honorem variis creaturis, puta imaginibus Christi & Crucis, exhibent, *necesse esse* [f] ait *duo concurrant, ut idololatriæ crimen admittatur: unum, ut quod honoris vel cultus creaturæ tribuitur, id soli Deo debitum sit; alterum, ut hoc, quicquid est honoris divini, ita verè impendatur creaturæ, sicut Deo impendi oportebat.*

[a] De idololatr. lib. 1. cap. 1.
[b] Lib. 2. cap. 1.
[c] In 2. 2æ. q. 94. art. 1.
[d] De doctr. Chr. l. 2. c. 20.
[e] In explicat. præcept. 1.
[f] Lib. 1. cap. 1.

bat. Eum autem dicit *verè cenſeri divinum cultum creaturæ conferre tanquam Deo, qui eam divino cultu ſic proſequitur, ut eo, quantum in ſe eſt, velit illi opinionem conciliare talem, qualis revera in ſolam Dei maieſtatem competit.* Ita ex vocabulis, *ſicut Deo,* [a] aſſutis definitioni ad intentionem iſtam denotandam, ſine qua neminem vult idololatram eſſe, [b] concludit *Pontificios idololatriam minimè committere in imaginibus venerandis, quoniam in cultu,* inquit, *Chriſti imaginum, atque adeò etiam Crucis, honorem quidem uſurpant divinum; ſed non illum imaginibus ipſis deferunt, ſicut Chriſto Deo ac Domino noſtro: nam ad Chriſtum is honor pertinet, quatenus illi conciliat exiſtimationem Deo ſoli debitam; ad imagines verò, ut coram illis eiuſmodi exiſtimatio conciliatur Chriſto.*

[a] Lib. 2. cap. 1. & 3.

[b] Ibid. cap. 7.

2 Ex qua defenſione Papiſticæ idololatriæ in mentem mihi venit, quanto & antiquas lupas Romanas Romana meretrix hodie impudentia ſuperet; & priſcis cauſidicis oratoribúſq; recentes Jeſuitæ ingenio antecellant. Etenim [c] Juvenalis, oſtendens quemadmodum Romanæ nuptæ olim, quum in adulterio deprehenderentur, ſe defenderint, ait:

[c] Satyr. 6.

Sed iacet in ſervi complexibus, aut Equitis. dic,
Dic aliquem ſodes hîc Quintiliane colorem.
Hæremus. dic ipſa. olim convenerat, inquit,
Vt faceres tu quod velles; nec non ego poſſem
Indulgere mihi: clames licèt, & mare cælo
Confundas, homo ſum. nihil eſt audacius illis
Deprenſis. iram atque animos à crimine ſumunt.

Jam verò Eccleſia Romana, ſponſa Chriſti, jacens

cens in complexibus imaginis Christi aut Crucis, se spirituali adulterio polluit, dum alteri obsequium conjugale præstat, & creaturæ tribuit honorem soli Deo debitum. Quòd nisi frontem multo duriorem haberet, quàm Romanæ mœchæ Juvenalis tempore, quibus tamen ille putavit nihil audacius: saltem diceret, *Homo sum, errare possum.* Sed ipsa ne Ecclesiam quidem urbis Romæ errare posse confitetur: immo [a] Petrum quendam Oxomensem damnavit, qui id asseruerat. Et ad cujus causæ defensionem nullus videbatur color excogitari posse vel à Quintiliano, acutissimo rhetore: ejus germanam defendit facilè Valentianus, dicendo *genuinam hanc esse rationem idololatriæ, creaturæ divinum habere honorem sicut Deo.* Infelicia veterum patronorum ingenia: quorum hæsitantia non vidit pro uxore in alieni viri complexibus jacente responderi posse, hanc esse genuinam rationem adulterii, obsequium conjugale præstare alteri sicut conjugi. Quippe si negasset illa se obsequium conjugale alteri hac mente præstitisse, ut pro marito eum haberet; dixissétq; suam intentionem fuisse, ut ex ipso memoriam mariti renovaret, aut liberos susciperet in mariti grátiam; quemadmodum viro talem conjugem habenti quidam apud eundem [b] Juvenalem dicit,

[a] Carranz. summa Concilior. in Sixto IV. Melch. Can. de locis theolog. lib. 6. cap. 7.

[b] Satyr. 9.

Nullum ergo meritum est ingrate, ac perfide, nullum,
Quòd tibi filiolus, vel filia nascitur ex me?

firmissimo argumento absterssisset sibi & alteri eam labem, quam utrique immeritò aspergit Juvenalis, dum hunc *adulteri* nomine traducit, illam *mœ-*

chæ; & omnem obtrectandi calumniandíq; anſam accuſatoribus præcidiſſet. Nam [a] Valentianus *inſcitiam, impietatem, impudentiam* noſtram, qui *Eccleſiam Catholicam* (ut ait) *idololatriæ inſimulamus, iſta ratione argui* pronuntiat. Et quia nos miſellos, quos affirmat eſſe *Theologos ſanè ſimplices*, veretur *nihil ampliùs de idololatriæ ratione concepturos, quàm ad eius crimen duo, quæ præmiſit, concurrere oportere*; nempe, *ut creaturæ divinus honor habeatur, & habeatur ei divinus honor ſicut Deo*: idcirco horum utrumque, verboſè inculcatum, [b] includit repetitę *definitioni*; quam non ſolùm *ex ſacris literis & Patribus confirmari* ait, ſed etiam *adeò pervulgatam perſpicuámq; eſſe, ut ne pueri quidem definitionem huiuſmodi ignorent*. Ego verò fateor, qua ſum ſimplicitate, videri mihi alterum duorum, quæ commemorat, ſatis eſſe ad ſcortum Romanum adulterii ſpiritualis convincendum: ideóq; alterum redundare ut ſtrumam, qua execta corpus definitionis relinquatur integrum. Quamcunque autem talium definitionum cognitionem habeant Pontificii pueri, ſub tenebris Papatus, in cæcis Jeſuitarum & Seminariorum ſpeluncis educati: noſtri ſic inſtructi ſunt, Deo gratia, ut ſive quis adulteram defendat, cavillando, eam conjugali amore morigerari alieno viro, ſed non ſicut conjugi, dicturi ſint hoc perinde eſſe acſi aſſerat, eam alienum virum amare ſicut conjugem, ſed non ſicut conjugem; ſive idololatra garriat ſe divinum honorem exhibere imagini Chriſti aut Crucis, ſed non ſicut Deo, helleborum ei optaturi ſint ut parum ſano, qui dicat ſe imaginem colere ſicut Deum, ſed non ſicut Deum.

[a] De idololatr. l. 1. c. 1.

[b] Lib. 2. c. 1.

3 Quòd

3 Quòd utinam[a] puerorum, non intelligentia, ſed malitia ſimilior eſſet Valentianus: [b] ſimplicéſq; viros religioſè in rebus tractandis imitari, quàm Theologos ſimplices contumelioſè ſubſannare mallet. Tum verecundaretur pro bicipitis ſuæ definitionis confirmatione citare tam audacter ſacras literas & Patres, qui duorum capitum alterum duntaxat in illa ponunt comprobántq;. Nam de adverſario negante ipſum teſtimoniis Scripturæ eam confirmaſſe, *Si diligenter*, [c] inquit, *inſpexerit Scripturæ* [d] *locos, in quibus mentio veræ ac propriè dictæ idololatriæ ſit, reperiet profectò hanc illius eſſe genuinam rationem, Creaturæ divinum habere honorem ſicut Deo. Niſi fortè adeò ineptus erit, ut ex Scriptura Dialecticam faciat, & locum poſtulet in quo ſic legatur: Idololatriæ definitio hæc eſt; Creaturæ divinos honores tribuere ſicut Deo. Quanquam ne differt quidem ab hac dicendi forma multum, quod Sapiens, de origine & ratione veræ idololatriæ ex inſtituto diſſerens, ſic pronuntiat;* [e] *Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui aut regibus deſervientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt: & quod Apoſtolus,* [f] *veriſsimos idololatras deſcribens, ait; Coluerunt & ſervierunt creaturæ potiùs quàm creatori.* Hæc Valentianus. In quibus quod profectò reperturum aſſerit, ſi quis diligenter inſpexerit Scripturæ locos ab ipſo in margine notatos: id, ut ipſe *divinum* & *ſicut Deo* diſtinguit, profectò, licèt omnes Scripturæ locos diligentiſſimè inſpexerit, nunquam reperiet. Indicio eſſe poſſunt ii duo, quos è ceteris ſelectos, ut præcipuos, & ipſa quoque forma dicendi propemodum, non modò vi ſententiæ,

[a] 1.Cor.14.20.
[b] Matt.10.16. Rom.16.19. Cic.de offic. lib.1.
[c] De idololatr. l.2.c.1.
[d] Præſertim pſal.105.Sap. 13.14.15.Ierem.2.Ad Rom.1. & ubicũque cultus veri Dei per antitheſin opponitur cultui idolorum vel Deorum alienorum: ut Gen. 35.Exod.23. Levit.19. Deut.7.31.32. Ioſ.23.Iud.2. 1.Reg.7.& 3.Reg.18. 2.Paralip.7. Pſal.80.& 96. Iudith.8. Eſai.44. Ierem.35. Dan.13. 1.Theſſ.1.
[e] Sapient.14.
[f] Ad Rom.1.

cum ſtrumoſa ſua definitione congruentes, recitat.
[a] Sap. 14. 21. Neque enim amplius vel [a] liber Sapientiæ dicit, vel
[b] Rom. 1. 25. [b] Apoſtolus, de crimine idololatrarum, quàm eos imaginibus ſeu creaturæ tribuere honorem uni Deo debitum.

[c] In epiſt. ad Epheſ. cap. 5. 4 Quid, quòd ejuſdemmodi prorſus eſt [c] Ambroſii etiam ſententia, quam in primis urget Valentianus: *Idololatria Dei honorificentiam uſurpat & vendicat creaturæ*. Quid, quòd & [d] Auguſtini, à quo eandem ait definitionem tradi cum Ambroſio: *Idololatræ dicuntur, qui ſimulacris eam ſervitutem exhibent quæ debetur Deo.* Quid, quòd & [e] Bedæ, quem Auguſtino copulat: *Idololatræ nuncupantur hi, qui vota, preces, & ſacrificia, quæ uni Deo debuerant, idolis impendunt.* Quid, quòd & Tertulliani, Cypriani, Lactantii, ceterorum Patrum, quos cum Ambroſio, Auguſtino, & Beda, quod ad rem quidem, conſentire perhibet. Nam rationem propriam idololatriæ [f] Tertullianus his verbis explicat: *Idololatria Deo fraudem facit, honores illi ſuos denegans, & conferens alijs, ut fraudi etiam contumeliam coniungat*. [g] Cyprianus, opponens idololatriæ *quòd Deus ſolus colendus ſit*, oſtendit eam committi ſi divinus cultus cuiquam alteri deferatur. [h] Lactantius negat creaturas cum Deo coli poſſe, quia, *ſi honos idem tribuitur alijs, ipſe omnino non colitur, cuius religio eſt, illum eſſe unum ac ſolum Deum credere*. [i] Gregorius Nyſſenus, quoniam Ariani Chriſtum creaturam eſſe contendebant, quem colebant tamen, ait *eos latenter idololatriam reduxiſſe*. [k] Gregorius Nazianzenus *idololatriam* exponit, *adorationis à creatore ad creaturas tranſlationem*. Item [l] Epiphanius, ſcribens *Perſicos Maguſæos idola quidem abomi-*

[d] Lib. 1. de Trinit. cap. 6.
[e] Comment. in Luc. cap. 4.
[f] De idololatr. cap. 1.
[g] Ad Fortunat. de exhort. marr. cap. 2.
[h] Lib. 1. cap. 19.
[i] Orat. in laud. Baſil. Magn.
[k] Orat. in Chriſti nativit.
[l] Compend. ver. doctrin. de fide cathol. & apoſt. eccl.

abominari, idola tamen adorare, ignem, Lunam, & Solem, idololatriam in adoratione creaturæ ponit. Idolorum enim nomen priore loco uſurpat ſpeciatim ac propriè pro ſimulacris, quæ Maguſæi & [a] Magi Perſarum condemnabant: poſteriore verò generatim ac figuratè per ſynecdochen pro creaturis, quibus divinus honor tribuitur. [b] Hieronymus quoque talem cultum ulli, præterquam uni Deo, exhibitum adſcribit idololatriæ: quum *idololatram factum eſſe* affirmat, *ſi quis tres Deos credit*. Ac [c] Synodus Laodicena *idololatriam* dat vitio *Chriſtianis Angelos invocantibus*: quo docet hanc videri ſibi genuinam ejus rationem, Creaturæ divinum honorem tribuere. Denique [d] Thomas Aquinas, qui omnium Patrum inſtar eſt Valentiano, ita rem definit: *Idololatria eſt quando honor ſoli Deo debitus impenditur creaturæ*. Valentianenſem igitur definitionem, auctam appendice verborum, *Sicut Deo*; non modò non commendant Patres & Scripturæ tanquam à labe maculáq; puram: ſed etiam aliquid monſtri alere convincunt, & ſimilem eſſe fœminarum duplices pupillas in ſingulis oculis habentium, quas ubique viſu nocere tradit [e] Cicero.

[a] Diog. Laert. proœm. libr. de vit. philoſ.

[b] Adverſ. Luciferian. cap. 5.

[c] Can. 35. Theodoret. in epiſt. ad Coloſſ. cap. 2.

[d] In epiſt. ad Epheſ. cap. 5. lect. 3.

[e] Apud Plinium, nat. hiſt. lib. 7. cap. 2.

5 Quanquam ego nimiùm remiſſè & molliter Jeſuitam tracto, quum pupillas duplices, bicipitíſve monſtri formam, aut ſtrumam, definitioni ejus objicio. Siquidem [f] Vatinius, non obſtante ſtruma, fuit verus homo: & [g] vitulus biceps, Saturæ natus, verus vitulus: & fœminæ, duplicibus pupillis prædítæ, veræ fœminæ. Definitio autem Valentiani haudquaquam vera eſt definitio: quia, ut ipſius appendice augetur, non omni definito convenit. Nam idololatria in

[f] Cic. ad Attic. lib. 2 ep. 10.

[g] Iul. Obſequ. de prodigiis.

imaginum cultu à multis eſt commiſſa, qui divinum tamen honorem non tribuerunt imagini ea mente, ut imagini ipſi exiſtimationem conciliarent talem, qualis in ſolum Deum competit, ſed ut rei per imaginem repræſentatæ: ſive creaturæ, de qua talis opinio excitanda non eſt; ſive creatori, qui eam excitari de ſe hoc modo [a] non vult. Judæi, qui non ſolùm [b] genu flectebant, ſed etiam [c] adolebant * Baalis imagini ſtatuæve, patrabant [d] idololatriam. At divinitatis exiſtimationem conciliare nolebant imagini ſtatuæve Baalis, ſed Baali, [e] Sidoniorum Deo, cœli Domino, id eſt Soli, [f] cui deſtinabant eum cultum, & [g] quem invocabant. Itidem [h] ſerviebant exercitui cœli, quando [i] tabernaculum Molochi bajulabant, & baſin imaginum ſuarum, ſidus Dei ſui. Tamen [k] adorandis figuris, quas fecerant, in idololatriæ crimen incurrebant. [l] Alexander Severus in larario ſuo, in quo tûm Divos Principes, ſed optimos electos, tûm animas ſanctiores, Apollonium, Abraham, Orpheum, & hujuſmodi Deos habebat, ac majorum effigies, rem divinam faciebat. Qua in re quis dubitet, quin colendis talium virorum ſimulacris idololatriam commiſerit? Nec tamen opinionem ſoli majeſtati divinæ convenientem excitare volebat de imaginibus ipſis, ſed de Principibus optimis, puta, Divo Auguſto, Divo Nerva, Divo Trajano, & de viris ſanctis, Abrahamo, Orpheo, Apollonióq;, quorum memoriam imaginibus honorabat.

6 Rurſum Judæi, [m] ſacrificantes aureo vitulo in deſerto, erant [n] idololatræ. Num quia opinionem ſolo Deo dignam conciliare volebant ſimulacro ipſi? Immo hanc profeſſi ſunt ſe velle excitatã de vero Deo, Jehova,

[a] Deut. 4. 15.
[b] 1. Reg. 19. 18.
[c] Ierem. 7. 9.
* Τῇ Βάαλ, ut ad Rom. 11. 4. ſcriptum eſt: ſive ſubaudiatur εἰκόνι, quod probabile, ex 2. Reg. 11. 18. ſive σάλῃ, quod Gregorius Martinus [detect. ſuæ ca. 3.] ſubaudiendũ contendit; vitilitigator, fruſtra altercans, quum res eodem recidat.
[d] Ier. 44. 3.
[e] 1. Reg. 16. 33.
[f] Ier. 7. 18. & 8. 2.
[g] 1. Reg. 18. 26.
[h] Act. 7. 42.
[i] Amos. 5. 26.
[k] Act. 7. 43.
[l] Lamprid. in Alexandro Sev.
[m] Exod. 32. 8.
[n] 1. Cor. 10. 7.

Jehova, qui ipsos eduxerat ex Ægypto, ut [a] suprà explicavi. ubi Jeroboamum idem voluisse, quum ad illius vituli exemplum suos fabricavit & divino cultui consecravit, docui. Quem [b] Scriptura tamen condemnat idololatriæ, quia [c] vitulis aureis Bethele & Dane sacrificavit. Dio Chrysostomus atque Maximus Tyrius, Ethnici ex eorum sapientum numero, quos [d] Scriptura narrat, quum Deum cognovissent, non tamen glorificasse ut Deum, sed ipsius gloriam in efformatam hominis imaginem mutasse, [e] asseverant *summum, primum, maximum Deum, creatorem omnium & conservatorem, à se in simulacris ex auro & argento & ebore factis coli.* Ergo illi sua Jovis Olympici à Phidia efficti veneratione volebant Deo, in quo vivimus, movemur, & sumus, existimationem divinam conciliare, non Phidiacæ statuæ. Sed num eo minùs [f] idololattriæ, ut Athenienses, [g] aureis, argenteis, lapideis simulacris, quanquam [h] verum Deum colentes, damnabuntur? Certè Alexandrum Severum [i] Bellarminus accenset idololatris, quoniam divino honore prosequutus est imaginem Christi. Et tamen Alexander, non de Christi imagine, sed de Christo ipso, ut [k] anima sanctiore, & cui templum facere, eúmq; inter Deos recipere cogitavit, existimationem soli Deo debitam excitare voluit. Valentianus igitur idololatriam definit nihilo veriùs, quàm siquis hominem diceret animal rationale corruptum à Jesuitis. Quod in hominibus quidem nimiùm multis verum est: sed tamen, quia non omnes à Jesuitis sunt corrupti, nequaquam est hæc vera definitio hominis. Aufer voces ultimas, corruptum à Jesuitis: relinques veram

[a] Huius libri cap. 3. §. 5. & sequentib.

[b] 1. Reg. 14. 9.

[c] 1. Reg. 12. 32.

[d] Rom. 1. 21.

[e] Dio Chrysost. orat. 12. de prima Dei notitia. Maxim. Tyr. serm. 38.

[f] Act. 17. ver. 16.

[g] ver. 29.

[h] ver. 23.

[i] De eccl. triumph. l. 2. c. 11.

[k] Lamprid. in Alex. Sev.

veram ejus definitionem, animal rationale. Ita veram habes definitionem idololatriæ, *Creaturæ divinum honorem tribuere*: ſi Valentianenſem appendicem auferas, *Sicut Deo.*

7 Atque hinc appâret quàm præclaro & ſolido firmamento nixus iſte Jeſuita petulantibus ſuis cachinnis & maledictis bacchetur in Calvinum.[a] Cujus ſententiam hanc, quam orthodoxam eſſe demonſtravi, ſcilicet, Judęos & Ethnicos Deum verum repræſentaviſſe quibuſdam ſimulacris, quorum tamen cultu commiſerint idololatriam, quia creaturæ divinum honorem tribuerunt,[b] Valētianus appellat *iocum*. Et, *Poteſt*, inquit, *hic fortaſsis Calvini iocus vanis ac imperitis hominibus (qualis ille fuit) eſſe plauſibilis: iis verò, qui & idololatriæ rationem ſuprà explicatam tenent, & in Scripturis ac Patribus ſunt vel mediocriter verſati, planè eſt perridiculus.* Ubi nec mirandum videri nobis debet, orthodoxam Spiritus ſancti doctrinam ſcurriliter, velut jocum, à Jeſuita irrideri: nec moleſtum eſſe, quòd ipſi, cum Calvino, imperiti ac vani homines ab homine ejuſmodi vocemur. Nam[c] quando Epicurei & Stoici philoſophi Athenis cum Paulo conflictabantur, quidam dicebant, *Quid vult garrulus iſte dicere?* alii verò, *Peregrinorum Deorum videtur annunciator eſſe*, quoniam Jeſum & reſurrectionem ipſis annunciabat. Doctrina, quam tradimus de idololatria, ex eodem fonte eſt, ex quo doctrina de Jeſu & reſurrectione: neque nos Apoſtolo meliores ſumus; ut dixit Elias de ſeipſo,[d] *Non ſum melior maioribus meis*.

8 Sed viderit Jeſuita quam ſodalibus ſuis temerarii hujus dicti rationem redditurus ſit, nequaquam in Scripturis ac Patribus vel mediocriter verſatos eſſe eos,

[a] Inſtit. lib. 1. c. 11. §. 9. & 10.

[b] De idololatr. lib. 1. cap. 5.

[c] Act. 17. 18.

[d] 1. Reg. 19. 4.

eos, qui ſententiam noſtram non ridiculam, perridiculam, planè perridiculam cenſeant. Etenim [a] Cardinalis Caietanus ait; *Pagani figurabant Deum diverſimodè, prout cauſa eſt diverſorum effectuum: ut in forma Minervæ, ratione ſapientiæ; & huiuſmodi.* Poſt quem [b] Antonius Fonſeca; *In pleriſque ſtatuis Deum, & virtutes eius, & id quod ſignificabatur, non ſignum, colebant olim nonnullæ gentes: ita ut nonnulla ſimulacra conſecrata habuerint Deo vero, alia Diis falſis.* Item [c] Johannes Ferus; *Deum ab Apoſtolis prædicatum omnes gentes coluerunt, ſed ignorantes: tametſi enim idola ſibi præſtituebant, tamen eorum animus erat vero Deo cultum exhibere.* Tum [d] Martinus Pereſius; *Ob id videtur* [e] *Auguſtinus idololatras damnare, quòd honores divinos ſimulacris tribuerint ea ratione qua Deum repræſentabant: multa enim idola erant, quæ tantùm repræſentabant benefactorem Deum; neque omnia, quæ gentes celebrant, falſum Deum ſignificabant.* Quid? Et in Scripturis ac Patribus negabit vel mediocriter verſatos, non dico Sanctum Auguſtinum, ſed Caietanum, Fonſecam, Ferum, & Pereſium, tanta Papiſtarum in Eccleſiis Italiæ, Luſitaniæ, Germaniæ, Hiſpaniæq; lumina? Ne [f] Antonium quidem Auguſtinum, alterum ejuſdem Hiſpaniæ ornamentum, Tarraconenſem Archiepiſcopum, qui *Epheſia ſtatua* celebrata nomine *Dianæ*, [g] non venatricis, ſed πολυμάστε ſeu multimammiæ, [h] corpore in columnæ & vaſis morem potiùs formato, quàm fœminæ, [i] multas tamen mammas & ubera habente, *naturam rebus omnibus alimenta præbentem repræſentari* tradit; ac fortaſſe verè, ſi mens primorum ſtatuæ autorum reſpiciatur, utut poſteri [k] Lunam, & ad extremum [l] fœminam,

[a] In 3. part. Thom. q. 25. art. 3.

[b] Annot. marg. ad Caietan. in Deut. ca. 4.

[c] In act. Apoſt. cap. 17.

[d] De traditionib. part. 3.

[e] Epiſt. 119. ad Ianuar. & lib. 1. de Trinit. c. 6.

[f] De medagl. dialog. 5.

[g] Hieron. proœm. commēt. in epiſt. ad Epheſ.

[h] Goltz. in Cæſ. Auguſt. numiſm. cap. 29. num. 29.

[i] Minut. Felix in Octavio.

[k] Strab. lib. 14. Scholiaſt. Ariſtophan. in εἰρήν.

[l] Tacit. annal. lib. 3.

Latonæ

Latonæ filiam, venatricem ex ea Diana fecerint; ſed ne illum quidem, qui Dianæ Epheſiæ ſimulacro [a] naturam, id eſt, Deum, [b] omnium rerum altorem, repręſentari tradit, in Scripturis ac Patribus vel mediocriter verſatum agnoſcet Valentianus? Etiámne hanc laudem eripiet Pio Quinto, aut ei cujus opera in conſcribendo Tridentinę Synodi Catechiſmo Pius Quintus uſus eſt; [c] qui tûm *Ethnicos Deo variorum animalium imagines poſuiſſe* docet, tûm *in ſimulacro vituli Iudæos eum coluiſſe?*

[a] Senec. de benefic. l. 4. c. 7. & natur. quæſt. l. 2. c. 45.
[b] Act. 14. 17. & 17. 28.
[c] Catechiſm. Trid. in explicat. præcept. 1.

9 Verùm enimverò Hiſpanus iſte Jeſuita fortaſſe nos facetiùs ludit quàm putamus: & facilè reſpondebit nulla ſui dicti temeritate vel Hiſpanum, vel alterius gentis Catholicum quenquam violari. Se namque non dixiſſe enuntiato ſimplici, *Calvini iocum in eos, qui in Scripturis ac Patribus vel mediocriter ſunt verſati, planè perridiculum eſſe*: ſed compoſito & copulato, videlicet, *eſſe planè perridiculum iis, qui & idololatriæ rationem ſuprà explicatam tenent, & in Scripturis ac Patribus vel mediocriter verſati ſunt.* Unde non effici quin Tridentini Catechiſmi autor, & ceteri, quamvis ſententiæ Calvini ſuffragentur, in Scripturis tamen ac Patribus bene verſati judicari poſſint, quia non etiam idololatriæ rationem ſuprà explicatam tenent: immo, tantum abeſt ut teneant, repellunt, ac profligant potiùs; quemadmodum ex Tridentino Catechiſmo præſertim, Pereſióq; & Fero liquet. Quòd ſi hac fallacia & aſtu copulatæ enuntiationis proſpexit ſibi Valentianus, ne Papæ aut Papiſtis eandem, quam Calvino, ſi minùs vanitatis, at imperitiæ notam inurere videretur: næ ille Jeſuiticè tractavit ſimplices Proteſtantes, quorum doctrinam perridiculam

ridiculam facit, in ſpeciem, judicio doctorum omnium Papiſtarum; reipſa, vel nullius, vel ſolius ſuo.

10 Ac mihi ſanè, ut ingenuè dicam quod ſentio, videtur ne ſuo quidem; ſi *tenendi* verbo ſignificet conſtanter & firmiter amplecti: quoniam nec ipſe idololatriæ rationem ſuprà à ſe explicatam iſto modo tenet. Quippe prorumpit [a] infrà in hæc verba: *Neque abſurdè profectò putaveris, B. Petrum inſinuaviſſe cultum aliquem ſimulacrorum (nempe ſacrarum imaginũ) rectum eſſe, quum fideles nominatim [b] ab illicitis idolorum cultibus deterrere voluit. Quid enim attinebat ita determinatè cultus ſimulacrorum illicitos notare, ſi omnino nullos ſimulacrorum cultus licitos eſſe cenſuiſſet? Sanè quum cædem hominis iniuſtam audimus, iure hominem cædi aliquando poſſe, intelligere conſuevimus. Nec ſi à blaſphemia, aut alio facinore, ſemper ac omni ratione illicito quempiam avocare velis, opus eſt, ut vel illicitam blaſphemiam, vel illicitum crimen dicas.* In quibus verbis Valentianus, cum ratione quidem inſaniens, concludit Petrum inſinuaſſe idololatriam aliquam eſſe licitam, quòd deterreat fideles ab *idololatriis*, adjecta voce, [1] *illicitis*, ut vetus interpres reddidit, aut, ut meliùs vertunt [c] alii, *nefariis*. Nam Petrus hoc attexuit, quia peccatorum omnium graviſſimum atrociſſimúmq; eſt idololatria: ſicut & [d] Scriptura, & [e] Theologi omnes conſentienter docent. Valentianus autem, quoniam epitheta interdum adhibentur, non amplificandi, ſed diſtinguendi gratia, idcirco, tanquam ſolum uſum hunc haberent, negat opus fuiſſe ut idololatriæ illicitæ notarentur, niſi eſſent aliquæ idololatriæ licitæ. Quo acumine item inferre poſſet, adulterium aliquod eſſe purum; nec enim alioqui opus

[a] De idololatr. l. 2. c. 7.

[b] 1. Pet. 4. 3.

[1] ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις.

[c] Eraſmus, Beza, Iſidorus Clarius, & Arias Montanus, verſionib. Catharinus, & Heſſelius, commentar. in hunc locum.

[d] 1. Sam. 15. 23.

[e] Gregor. Naz. orat. in nativ. Chriſti. Gloſſ. ordinar. in Levit. ca. 15. Thom. Aquin. 2ª 2æ. q. 94. art. 3. Gregor. Valent. de idololatr. l. 1. c. 2.

opus fuiſſe ut à [a] Catullo notaretur *Quæ ſeſe impuro dedit adulterio*: & ſtuprum aliquod eſſe ſanctum; nec enim alioqui opus fuiſſe, ut [b] Cicero culparet *nefaria ſtupra* Catilinæ: & ſcelus aliquod eſſe amabile; nec enim alioqui opus fuiſſe ut [c] Quintilianus diceret, *O ſcelus abominandum*: & peccata demum aliqua eſſe pia; nec enim alioqui opus fuiſſe ut [d] Enoch prophetaret *iudicium futurum ob omnia dura quæ adverſus Dominum loquuntur peccatores impij*; niſi fortè peccator impius non ſit, qui impia peccata patrat. Ceterùm illud obiter profectò non abſurdè agnoſcit Valentianus, Papiſtas in imaginum ſacrarum (quas appellat) cultu committere idololatriam. Divinum verò cultum imagini nulli tribuunt Papiſtæ ſicut Deo, quemadmodum ab eodem Valentiano declaratur. Fatetur ergo Valentianus idololatriam committi quum tribuitur divinus honor creaturæ, tametſi non ſicut Deo. Unde quum ne ipſe quidem rationem idololatriæ ſuprà à ſeipſo explicatam teneat; nec Calvini jocum aliis quàm illis, qui eam tenent, perridiculum eſſe affirmet: quis ſcit an perridiculus iſte Jeſuita Sardonio riſu rictum diſtenderit contra Calvinum, ſicut [i] Thraſymachus ſophiſta contra Socratem, quum interim ringeretur, & ſeria, ſana, vera eſſe, quæ Calvinus ſcribit, ſentiret?

[a] Eleg. in comam Berenices.

[b] Orat. 2. in Catilin.

[c] Lib. 8. cap. 6.

[d] Iud. ver. 15.

[i] ἀνηκάζχασι μάλα σαρδόνιον. Plat. de rep. lib. 1.

11 Certè, quod divinæ providentiæ munere contigit [e] Davidi, ut Philiſtæorum in terram ſanctam irruptio ipſum è manu Saulis liberaret: id ſimiliter nobis, quos Bellarmini furor vexavit, uſu venit per libros Valentiani de rebus fidei controverſis [f] Superiorum juſſu editos, & ab Alberto Hungero

[e] 1. Sam. 23. 27.

[f] Greg. de Valent. præfat. ad lectorem.

propter

[a] *propter insignem* ὀρθοδοξίαν *in omnibus* approbatos. Etenim [b] Bellarminus anathema dicit iis, qui imagines Christi vocant idola: idq; ex [c] secunda Synodo Nicæna. At Christi imagines idola vocat Valentianus: idq; orthodoxè, insigni ὀρθοδοξίᾳ, ut Hungeri censura, & Superiorum applausus attestatur. Igitur ipsius Bellarmini censor & Superiores anathema Nicænum immeritò ab eo intorqueri judicant. Nempe [d] Nicæna Synodus negavit imagines Christi adorandas esse latria: quod etiam [e] Bellarminus notat. Romana autem Ecclesia latriam illis exhibet: quod docet defenditq; [f] Valentianus. Proinde licèt tempore Synodi Nicænæ idola non fuissent: hodie tamen sunt.

[a] Censura Alb. Hungeri, Procancellar. Academ. Ingolstad. præfixa libr. Greg. de Valent.
[b] De eccl. triumph. l. 2. c. 5.
[c] Act. 5. & 7.
[d] Action. 7.
[e] De eccles. triumph. l. 2. c. 24.
[f] De idololatr. l. 1. c. 5. & l. 2. c. 7.

12 Denique, cuicuimodi machinis conentur crimen nefariæ idololatriæ à latria suâ sacris idolis exhibita propulsare, cogentur hinc concedere idololatriæ definitionem, qua Valentianus Romanum scortum incorruptum comprobare studet, vitiosam esse. Namque ista ipsa [g] Synodus Nicæna *anathematizat Nestorij idololatriam in homine:* hoc est, idololatriæ damnat Nestorium, quia Christum filium Virginis Mariæ dicebat merum esse hominem, quem divino tamen cultu venerabatur. Unde & ex Cyrillo [1] *anthropolatriæ* arguitur: & [2] *anthropolatra* nuncupatur à Justiniano. Atqui Nestorius opinionem talem de Mariæ filio excitare noluit, qualis in solum Deum competit. Quin immo propterea condemnatus est ab [h] Ephesina Synodo, quòd neque matrem ejus Deiparam vocare, neque ipsum Deum agnoscere voluerit. Nicæna ergo Synodus definit genuinam hanc esse rationem

[g] Act. 7. epist. Synod. ad Constantin. & Iren.
[1] ἀνθρωπολατρείας. Cyrill. ad Reginas, de recta fide.
[2] ἀνθρωπολάτρης. Constitut. 6. C. de summa Trin. & fide catholica.
[h] Epist. ad Theodos. & Valentin. Augg. de Nestorii depos. Epist. ad Cælestin. Episcop. Rom. Cyrill. anathematism. 1. In actis Synodi Ephes. c. 49. 73. & 74.

nem idololatriæ, *Creaturæ divinum honorem tribuere*, abſque Valentianenſi appendice, *Sicut* Deo. Jnfallibile autem eſt & certò verum, [a] Valentiano judice, quicquid à Nicæna Synodo definitur. Valentianus igitur ſophiſtam agit certò & infallibiliter in idololatriæ Romanæ defenſione, cujus moles tali paralogiſmo nititur.

[a] Analyſ. fid. cathol. lib. 8. cap. 7.

31 Ita ſyllogiſmi noſtri propoſitio contra falſos Socios Jeſu perſiſtit vera immotáq;: & IDOLOLATRIAM COMMITTIT ſine dubio QVISQVIS CREATVRAE DIVINVM CVLTVM EXHIBET. Conſequens eſt ut ſingulas aſſumtionis partes pari firmitudine adverſus pares eorundem & aliorum Papiſtarum impetus ſtare doceam, ſi vires mihi & otium ſuppeditârit Deus: cui ſoli ſapienti Servatori noſtro ſit honor, laus, gloria, & gratiarum actio in omnem æternitatem.

Iohan-

Christiano lectori.

HAbes, Christiane lector, aliquam operis instituti partem; minorem quidem multo, quàm & cupiebam, & tempus, ex quo publicarum prælectionum laboribus liberatus sum, exigere videbatur: sed quantulam per crebras infirmitates, ac insperatam ea causa diutinámq; absentiam ab instrumentis ad incudem istam necessariis, elimare potui. Quanquam elimatam neque hanc partem, quam habes, possum dicere: adeò recentem, vel calentem potiùs ab incude, habes. Quo nomine verendum est, ne, qui *limæ laborem & moram* in theologis, perinde ac [a] Horatius in poetis, requirunt, ejus præceptum in mentem Pontificiis meritò adversum me venturum putent: *vos ô Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non Multa dies & multa litura coercuit.* Nam tametsi *multa litura* castigare studui, quæ scripsi; admonitionis [b] Horatianæ memor, *Sæpe stylum vertas, iterum quæ digna legi sint, Scripturus*: editionem tamen operis *in nonum annum* non distuli, nec tam *multa die*, quàm ipse suadet, corrigendas *membranas intus posui.* Verùm enimverò plus apud me valet sanctum exemplum [c] duorum in Evangelio celebrium discipulorum: qui, simul atque à Christo de resurrectione ipsius sunt instructi, nihil eo moti quòd [d] *diei* satis neutiquam habebant, [e] Jerosolymam noctu ab Emmaunte, vico sexaginta stadiis dissito, reverterunt, ut veritatẽ ad alios quamprimum propagarent.

[a] De arte poet.

[b] Satyrar. lib. 1. sat. 10.

[c] Luc. 24. ver. 13.

[d] ver. 29.

[e] ver. 33.

[a] Gal. 6. 10. Præsertim quum & illud Domini mandatum, [a] *Dum tempus habemus,* [1] *benefaciamus omnibus, maximè verò domesticis fidei*, majorem mihi maturandi necessitatem imponeret, quò ecclesiam operis editione juvarem. Etenim, interea dum in secundo horum librorũ conscribendo versabar, tam gravibus doloris colici paroxysmis, ad aliquot horas augescentibus, bis correptus sum, ut existimarem instare mihi tempus de quo

[1] ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν.

[b] Ioh. 9. 4. Christus ait, [b] *Venit nox quum nemo potest* [2] *operari.* Huc accedit quòd ea est conditionis & status mei ratio, ut, quantumvis æquè certum longioris vitæ promissum acciperem, atque [c] Ezekias: tamen, utrùm otium ad ullam reliqui operis partem pertexendã suppeditaturum unquam exspectem, incertus sim. Proinde, quod [d] poeta non optimus scripsit non pessimè,

[2] ἐργάζεσθαι.

[c] Esai. 38. 5.

[d] Martial. epigramm. lib. 5.

Extra fortunam est quicquid donatur * *amicis*;
Quas dederis, solas semper habebis opes:

[*] Luc. 16. 9.

id ad meas quoque tenues facultates pertinere ratus, hæc [e] duo quasi pauperis viduę minuta in gazophylacium immittenda, priusquam Oxonia emigrarem, & domesticis fidei impertienda censui. Tanto autem minùs reformido notam Horatiani præcepti, de *editione in nonum annum premenda*; quanto rectiùs [f] Vives *id expedire* negat *in tanta vitæ brevitate*: addens, *esse nonnulla, quæ primo quoque tempore necesse erit evulgari*; *de quo genere sunt narratio rei gestæ ad plurimos viventium pertinentis, tum quæ insectandi criminis in commune noxij, aut depellendæ à nobis calumniæ componuntur.*

[e] Marc. 12. 42.

[f] De tradend. disciplin. lib. 5.

2 Atque hujus quidem rei circumstantię, quarum una quęvis meritò impelleret ad editionem maturandam; quòd narrem Pontificias machinationes, spectantes ad plurimos viventium; quòd idololatriã, crimen

men in commune noxium, inſecter; quòd varias atrocéſq; Bellarmini calumnias à nobis depellam: eædem univerſæ cauſam juſtiſſimam habere mihi viſæ ſunt, cur in hoc opere ſuſcipiendo potiùs, quàm in abſolvendis prælectionibus de libris apocryphis laborarem. Pro quibus ſacroſancto canoni inſerendis quid ſcripſit Bellarminus: quod non è noſtratibus lumen Cantabrigiæ, [a] Gulielmus Whitakerus, beata ſibi, quia pia, tametſi nobis luctuoſa & immatura morte ereptus, [b] aliíq; docti theologi apud exteros ſolidè confutârint? [c] Auguſtinus rectè judicavit, fateor, *utile eſſe plures libros à pluribus fieri diverſo ſtylo, non diverſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, ut ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic.* Ac proinde erunt fortaſſe qui eandem de libris canonicis & apocryphis controverſiam, quę ab illis preſſiùs ſuccinctiúſq; deciſa eſt, prælectionibus meis fuſiùs diſputatam, nec inutiliter edi potuiſſe cenſebunt, & editam optabunt. Sed ego, qui viderem haud exiguam ejus quæſtionis partem ſupereſſe mihi nondum tractatam, de poſtrema parte ſecundi Maccabæorum, de libro Sapientiæ, de appendicibus Jeremiæ, Danielis, & Eſtherę; neque minus temporis (vel quid ſi plus potiùs?) conſumtum iri prælectionibus ſub limam ſtyli revocandis, & adjungendis, quæ deerant, quàm his quæ jam emitto: quoniam utrumque præſtare ſimul non potui, elegi è duobus utilibus quod utilius, ut [d] boni officiorum ratiocinatores facere docentur; & [e] minam meam in eo malui collocare, quod decem minas Domino meo lucrifacturum ſpero, quàm quod quinque. Nam ſi quis illud opus majoris utilitatis futurum fuiſſe ducet, quoniã abſoluta eſſet controverſiæ integræ tractatio,

[a] Diſputat. de ſacra Scriptura, quæſt. 1.
[b] Sibrandus Lubbertus, de principiis Chriſtianor. dogmat. lib. 1. Iacobus Kimedoncius, de ſcripto Dei verbo, lib. 1.
[c] De Trinitat. lib. 1. cap. 3.
[d] Cic. de offic. lib. 1.
[e] Luc. 19. 13.

hæc autem tantùm inchoata est : is vicissim cogitet unicam duntaxat controversiam ibi disceptatum iri, hîc de pluribus agi ; & ita agi, ut quantumvis res solummodo cœpta sit, confectam tamen & ad exitum perductam prudens adversarius existimare possit. Quum Verres repetundarum reus à Siculis postulatus esset,[a] Cicero accusator, actione prima, declaratis causis cur tunc oratione perpetua uti nollet, exposuit crimina breviter, & ad singula testes dedit : interrogandos eos permittens defensori patronóq; Verris, Quinto Hortensio. [b] Qua ratione factum est ut Hortensius, accusationem perspicuè comprobatam videns, nihil contrà, quod diceret, haberet : atque Verres ipse, desperato patrocinio, in exilium sua sponte discederet. Etenim quod Cicero, perinde quasi aliter res se habuisset, [c] initio secundæ actionis ait ; *Est idem Verres qui fuit semper, ut ad audendum proiectus, sic paratus ad audiendum ; præstò est, respondet, defenditur* : hoc [d] Asconius ostendit ab eo fictum esse, quò (quia constituerat accusationis in Verrem libros quinque scribere, ne laboris sui gloriam amitteret) causam in judicio, tametsi breviùs primùm, pòst tamen ita copiosè egisse videretur. Ecclesia Romana, idololatriæ, quam cum verre suo, vel potiùs [e] silvestri porco furiosissimè, non solùm in Sicilia, neque triennio, sed per multas orbis Christiani partes exercuit diu, exercétq; à nobis rea postulatur. Ego hujus criminis probationes breviter, tanquam in transcursu aut aliud agens, attigi ; verùm ad singulas tamen testes dedi : quos patronis Papæ Papisticæq; Ecclesiæ examinandos permitto. Licèt autem non omnes eos, quorum causa

[a] Orat. in Verr. habita principio primæ actionis.

[b] Ascon. Pedian. in oratione Cic. contr. Verrem, priore actione habitam.

[c] Accusat. in Verr. lib. 1.

[d] In orat. Cic. contra Verrem de prætura urbana : quæ tertia vulgò nominatur, ut & inscribitur apud Asconium.

[e] Psal. 80. 14.

cauſa hîc, ut Verris, agitur, ſperare poſſim agnituros ſe convictos teſtibus, & è Romana quaſi patria in exilium abituros ultro, ne ſi vel ceteri quidem quinque libri ſcribantur; nam aliuſmodi verres hodie Romam occupant, quàm occupârunt olim: tamen Hortenſii ſimiles patronos, ſi quos, ut illum Verres pretioſa * Sphinge, ſic iſti præmiis adducent ad cupiditatem defendendi ſui, nihil habituros, quod contrà dicant, confido.

3 Tantummodo, nequis forſan Pontificiæ cauſæ patronus ſe decipiat in teſtibus examinandis; aut mihi, eos inter tractandum examinanti, dicat quod [a] Hortenſius in ſimili cauſa Ciceroni, *Non intelligo hæc ænigmata*; quo adegit illum regerere, *Atqui debes, quum Sphingem domi habeas*: meminerint interrogandos ſibi teſtes ipſos, non interpretes teſtium duntaxat conſulendos; nec eos per errorem aliis de locis, ſed de iis interrogent, quos à me citatos è contextu aut notis ad marginem adjectis facilè intelligent. Ex Scripturis, verbi gratia, nonnihil citavi aliquoties, quod fruſtra quæſituri ſint, ſi veterem vulgatam Latinam editionem ſolam inſpiciant. At Hebræos Veteris Teſtamenti fontes, Græcos Novi adeant: & citatum eſſe fideliter ac verè, vel ex Pagnino ſuo, aut Aria Montano, aliiſve ſacræ Spiritus ſancti linguæ peritis deprehendent. Pſalmos paulo aliter diſtinguunt numerántq; Hebræi, Hieronymus, & complures alii, qui ex Hebræo converterunt; quàm Septuaginta interpretes, & vulgata Latina editio, quæ ex Septuaginta. De quo minùs opus eſt ut moneantur, quia non ſolùm [b] Antuerpienſia Lovanienſiũ Theologorum Bi-

* *Acceperat ille à Verre Sphingem æneam, magnæ pecuniæ*; ut Quintilianus tradit, lib 6. cap. 4. ſeu *eburneam*; ut Plutarchus, in vita Ciceronis.

[a] Quintilian. l. 6. c. 4.

[b] In ſingulos Pſalmos à decimo uſque ad centeſimum quadrageſimum ſeptimum.

blia id observant: sed etiam authentica nova à [a] Clemente Octavo Romę edita. Ne tertii quidem & quarti libri Regum nomine in eisdem Latinis Bibliis haberi, quos ex Hebræis cito primum & secundum, necesse est ut addam: quoniam in [b] utrisque item hoc notatur. Sed illud admonendi sunt, fieri posse ut versus capitum in Bibliis (quos, ad faciliorem examinationem eorum quæ dicuntur, recepto more indico) neque Latinis ipsorum exemplaribus, neque Hebraicis semper respondeant. Quippe usitata divisio sacrorum librorum in capita, & ab hominibus est, & recens; sicut demonstravit [c] Sixtus Senensis. Eam verò minùs commodè nonnullis in locis institutam videntes Tremellius & Junius, immutârunt leviter haud absque magna ratione: qua & Genevensis Ecclesiæ Pastores ac Professores sunt commoti, ut ab ea, quæ ipsis in usu antè fuit, distinctione capitum * quandoque variarent. Nec habent Pontificii quod hac in re carpant: quorum [d] Pastor unicus distinctionem versuum (ex eadem stirpe natam, ex qua capitum) in unoquoque ferè capite novam fecit, atque à prioribus omnibus discrepantem. Siquem ergo locum capite & versu à me citato non inveniant: perquirant eum in editione Tremelliana Juniana. Ita, dum illorum interpretationem & annotationes mei refutandi causa perscrutantur, fortasse consequentur plus commodi, quàm sperant: ut Albertus Pighius [f] ex Institutionis Calvini lectione (quam tamen refellendi studio evolvebat) adductus est ad ejus [f] doctrinam de justitia credentibus in

[a] Inserendo hanc notam, *Psal. X. secundum Hebr.* post versum Psalmi noni vicesimum primum. Vt & sequentium versuum numerationem, ceu alterius Psalmi, de novo ordiuntur: quemadmodum item Psalmo centesimo decimotertio, post versum octavum.

[b] In titulis librorum; *Liber primus Samuelis, quem nos primum Regum dicimus:* &, *Liber Regum tertius, secundum Hebræos primus Melachim.* Item in titulis libri secundi Samuelis & Regum.

[c] Biblioth. sanct. lib. 3. de partitione, method. 4.

* Vt Aggæi prophetæ c. 2. Cuius versum primum ab eo separârunt, & adjunxerunt primo capiti: ad quod haud dubiè pertinet.

[d] Sixtus Quintus, in Bibliis vulgatæ editionis, Romæ excusis M. D. XC. [e] Ruard. Tapper. explicat. articulor. facult. theolog. Lovan. tom. 2 art. 8. [f] Albert. Pigh. explicat. controversiar. præcipuar. in Comit. Ratisponens. tractatar. controv. 2.

Chri-

Christum gratis imputata, secundum [a] Apostolum, probandam tuendámq;. Aut, si detrectabunt aliquã nostrarum versionum attingere, in suis editionibus reperient haud longè à citato versu: quandoquidem hæc varietas nec magna est, nec frequens.

[a] Rom.3.24. & 4.5.

4 Item ex Eusebii libris Evangelicæ præparationis citata sunt à me nonnulla, quæ in ipso habentur Græcè: in Latina verò Trapezuntii versione, etiam aliorum subsidiis aucta, desunt. Nam in pluribus ejus locis locum habet, quod [b] Jacobus Grynęus in unum annotat, dicens: *Lacunæ non paucæ sunt in conversione Trapezuntij, quas nos magna ex parte è Græco codice supplevimus; quem ut diligens lector inspiciat, velim.* Nec emendata editio aut annotationes Dadręi Parisiensis Theologi, quas [*] typographus splendidas promisit, nullas dedit, (nisi eas Dadræi putari voluit, quæ Grynæi sunt,) quicquam adjecerunt, quod in [c] antiquioribus desideratum est. Quo magis habent necesse ut ex Grynæi consilio Græcum Eusebii codicem inspiciant, qui operam in Latino, nondum omni ex parte suppleto, nolent ludere. Atque hinc factum est ut librorum duntaxat numerum, ac non capitum, in eo citando indicarem; nisi quando coactus sum à Bellarmino Latinum perperam citante: quia, licèt capita distinguat [d] Græcus codex; argumentis tamen, non numeris, ut Latinus: nec ea iisdem locis cum Latino dividit, ut alter alteri commodè, si numeri adderentur, respondere posset. Eusebii autem historia Ecclesiastica Græcè itidem ut Latinè distinctos habet capitum, non modò librorum, numeros: tametsi paulo aliter Latinè interdum, quàm Græcè; & aliter rursum in Ru-

[b] Annot. in Euseb. lib. 1. Evang. præpar. cap. 3.

[*] Michael Sonnius, Euseb. Lat. edit. Paris. 1581. præfat. ad lect. *Libros de Evangelica præparatione, emendatiores quàm antehac fuerint, excudimus: neque hoc tantùm; annotationibus etiam adiectis ab insigni & in his rebus planè exercitato viro, Ioanne Dadræo, Parisiensis scholæ Doctore Theologo, illustrari fecimus.*

[c] Euseb. Lat. edit. Basil. ex officina Henr. Petr. 1570.

[d] Excusus à Roberto Stephano, Paris. 1544.

fini versione, quàm Musculi; in Musculi, quàm Christophorsoni. Ceterùm Latina, recentiorum præsertim & fideliorum interpretum exemplaria sic respondent Græcis: ut, si non eodem capite, at vicino, in alterutris occursura sint, quæ ex utrisvis citantur. In citanda verò Ephesina Synodo, non solùm numerum capitum, sed etiam titulos notavi: ut, sicui [a] Græcum exemplar, ad quod numerus exprimitur, præstò non sit; ex titulo in [b] Latinâ Peltani versione, qui aliam rationem sequutus est, inveniat. Quod ipsum ob eandem causam in Ambrosii & Cypriani quoque epistolis faciendum censui. Etenim aureolam illam ex Ambrosio [c] citatam sententiam, *Non vult se Deus in lapidibus coli*, Romæ, ubi Deum in simulacris ex lapide, metallo, similive materia factis colunt, inprimis observatu & animadversu dignam, dubitarent fortè num Ambrosius haberet, si ad ejus nomen in margine adscripsissem duntaxat, *Epist.* 31. quandoquidem in tricesima prima epistola [d] Romanæ editionis sententia talis nulla est. Jam quum annotato numero subjecerim, *ad Valentin. Aug. contra Symmach.* intelligant oportet designari epistolam ad Valentinianum Imperatorem missam, contra Symmachum, Ethnici cultus defensorem, quæ tricesima prima in aliis editionibus, in Romana autem duodecima numeratur. Major est varietas in Manutiana Romæ, Morelliana Parisiis, & Pameliana editione Cypriani. Quarum recentissimam Pamelianam sequor, quòd ea ob adjectas notas sit utilior, pluriúmq; manibus teri mereatur, postquam [e] Goulartius antidotum contra Pamelii venenum ei inseruit. Verùm ex nominibus illorum, ad quos epistolæ datæ sunt, adjunctis, invenientur facilè in quavis

[a] Excus. ab Hieronym. Commelin. 1591.

[b] Novæ Conciliorum editioni inserta, Venet. 1585.

[c] Lib. 2. cap. 3. §. 34.

[d] Ex typographia Dominici Basæ, 1585.

[e] Cyprian. excus. à Ioanne le Preux 1593. *Cui editioni accesserunt responsiones passim interiectæ ad ea quæ Pamelius pro dogmatum Pontificiorum confirmatione ex Cypriano & veteribus Theologis protulit.*

vis editione, quæ ex ista cito. Nec magnopere opus est, ut his exemplis scriptorum Ecclesiasticorum similia exterorum addam. Diodorum Siculũ Latinè vertit Pogius: qui ex primo libro Diodori, in duas partes distributo, duos libros faciens, secundo nomẽ tertii, tertio quarti, quarto quinti, quinto sexti tribuit. Utrùm autem eum similiter in vertendo tractârit, atque Eusebium Trapezuntius, nescio. Sed nonnullam mihi suspicionem movet, quoniam [a] ait *eam sibi transferendi legem institutam, ut omissa verborum, qua multi Græcorum utuntur, ambage, sententiis hærens suum dicendi morem fuerit salva rerum fide sequutus: quod nequis inscitia*, inquit, *factum putet, sciat consultò me brevitati consulentem, aliqua omisisse, quæ satietatem orationi peperissent potiùs, quàm venustatem.* Quocirca Diodori libros, ut ab ipso Græcè distincti & exarati sunt, à me citari sciat; si quis Hortensius, patrocinaturus Verri, testes, quos produxi, examinare volet.

[a] Præfat. ad Nicolaum V.

5 De solis manuscriptis codicibus, quorum uno aut altero teste usus sum, videri potest aliquid esse cur metuam: ne ita quidem, si contingat Hortensii similis adversarius; sed si (quales Pontifex patronos habet) dissimilis. Namque [b] Stapletonus appellat Whitakerum *barbarum scriptorem*, quia Bellarmini dictata in Thomam manuscripta citaverat: *scriptorémq; aliquem gravem & cordatum citaturum ea fuisse* inficians; *Autores*, inquit, *qui graviter & cum iudicio citantur, ut minimum excusi esse debent, & huiusmodi qui in omnium manibus versentur.* Erucio Sextum Roscium à patre odio habitum fuisse criminanti, quòd prædiis colendis ipsius jussu præfuisset, [c] Cicero respondet; *Næ tu, Eruci, accusator esses ridiculus,*

[b] Autoritat. Ecclesiast. defens. lib. 3. cap. 19. sect. 13.

[c] Pro Sex. Roscio.

culus, si illis temporibus natus esses, quum ab aratro arcessebantur, qui consules fierent: etenim, qui præesse agro colendo flagitium putes, profectò illum Atilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhonestissimum iudicares. Quod Stapletono Whitakerum carpenti, ob manuscriptum codicem citatum, quàm aptè perexigua mutatione convenit? Næ tu, Stapletone, ridiculus esses reprehensor, si illis temporibus natus esses, quando typographia [a] inventa nondum erat, nisi fortè in terra * Chinæ: etenim, qui nullos autores cum judicio & graviter citari putes præter excusos, profectò Paulum apostolum, quem non solùm [b] Prophetas, sed [c] poetas etiam, quum manuscripti tantùm exstarent, citasse patet, hominem levissimum atque insipientissimum judicares. At nec Judæi Beroeæ de illo sic existimabant; sed [d] scrutabantur Scripturas an ita se haberent quæ prædicaverat: nec Athenis Græci; sed [e] adhæserunt ei quidam, & crediderunt, in quibus Dionysius Areopagita. Quòd si Whitakerus barbarus est scriptor, *quia huiusmodi* (ut ais) *penes paucos habentur, itáq; non posset mendacij sui convinci, nisi difficillimè, cui mentiri libet:* potésne demonstrare penes plures fuisse Arati & aliorum poetarum scripta, ne Paulus item barbarus doctor vocaretur, quia non poterat nisi difficillimè convinci sui mendacii, si mentitus esset? An ideo delinquit, *quia magistrorum dictata* (ut addis) *suis tantùm discipulis tradita, nec magister ipse tanti semper facit, ut in lucem venire velit, nisi saltem recognita: nec, si tanti faceret, nisi à Censoribus legitimè approbata in lucem venire debent?* Licebit ergo vobis

[a] Polyd. Virg. de invent. rer. l. 2. c. 7.

* *Sinarum* regionem antiquo nomine vocat Angelus Roccha, [in append. comment. de Biblioth. Vatican.] qui *typographicam artem annis ante Christum natum quadringentis in usu ibi fuisse* narrat ex Michaelis Rogerii Iesuitæ & aliorum testimonio.

[b] Act. 13. 33. Rom. 1. 2. & 3. 21. & 4. 3.

[c] Act. 17. 28. Tit. 1. 12.

[d] Act. 17. ver. 11.

[e] ver. 34.

vobis veneno manuscripto inficere, quos libebit; nostrates, verbi gratia, Parsonianâ epitomê controversiarum, quam ab unoquoque in Seminariis Anglicis describenda curatis, haud scio an unquam excussuri: nobis verò contrà eodem ad theriacam conficiendam uti, & ipso quasi [a] scorpio trito plagam scorpii sanare, nefas erit! Aut si horum alterum videbitur adeò barbarum cunctis eruditis, manuscriptos codices passim citantibus, ut Whitakerus posset illud [b] Scipionis de Stapletono usurpare, *Non ego mihi illum iniquum eiero, verùm omnibus*; alterum facto suo condemnavit Paulus, quum, accepto nuncio de clandestinis Judæorum insidiis, Centurioni dixit, [c] *Adolescentem hunc abduc ad Tribunum, nam habet quod annunciet ei*: restat Stapletonum, dum has duas ob causas ait *dictata manuscripta citare dupliciter absurdum & ineptum esse*, parum [d] *simplici corde* & [e] *oculo* res spectare;

[f] *Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,*
Et solem geminum, & duplices se ostendere Thebas.

[a] Dioscorid. lib 6. cap 44.
[b] Cic. lib. 2. de orat.
[c] Act. 23. 17.
[d] Gen. 20. 6.
[e] Matt 6. 22.
[f] Virg. Æneid. lib. 4.

6 Cetera hæc tam insolens & excors iniquitas non comperietur in aliis, opinor, quàm in Stapletonis. Mihi quidem certè citanti manuscripta ejusdem Bellarmini dictata controversiarum, in [g] colloquio habito cum Johanne Harto; neque tum objecta est ab ipso barbaria: neque postea, quum vitâ & libertate donatus se hinc ad suos recepisset; ac [h] *nobilis sacerdos, & confessor insignis* (sicut monumentis eorum prædicatur) [i] in *Societatem Iesu* cooptatus esset. Tamen is, præterquam quòd & hoc stimulo ad sodalis sui Bellarmini gloriam existimationémq; tuendam incitari poterat: Bellarminianâ correctione etiam in opere deinceps edito sic adjutus est, ut justiorem mei reprehendendi

[g] Cap. 2. §. 1.
[h] Concertat. Eccl. Cathol. in Angl. adversf. Calvin. & Purit. in Ind. personar.
[i] Ibid. in brevi descript. rer. à Cathol. Angl. gestar. ex Diar. adjunct. Sanderi lib. 3. de schism. Angl.

hendendi ansam habere videretur. Nam quod Dominus ait apud [a] Esaiam de Christo, ut [b] Petrus explicat; *Ecce pono in Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum:* hoc ego affirmaveram Bellarminum dicere, nequaquam convenire Christo, sed Petro. Et sanè Bellarmini dictata id his verbis disertè complectebantur: *Nequis dicat ista in Christum convenire, non Petrum; subiungit Propheta, In fundamento fundatum, id est, fundamentum post fundamentum, fundamentum secundarium.* Atqui jam in opere excuso non legimus, *Nequis dicat ista in Christum convenire:* quin legimus contrà quoque [c] ejusdem loci initio, *Hæc verba in Christum præcipuè convenire non ignoramus.* Quid igitur? An Hartus aliúsve quisquam, in quo scintilla esset pudoris & prudentiæ, habebat cur propterea testimonium meum suspicione falsi tangeret? Minimè verò. Bona enim fide à me citatum esse quod Bellarminus dictaverat; primùm, testes appello, quicunque exemplaria illarum Bellarmini disputationum (quas ab auditoribus ejus in Gymnasio exceptas inter docendum, & à multis iterum iterúmq; descriptas, ac ad varia loca delatas refert [d] ipse) habent. Neque hîc metuo illud Stapletoni, *non semper omnes eodem modo habere talia, sed alios aliter qui simul audiverunt dictata excepisse.* Nam etsi, ut in Angliæ nostræ Academiis prælegere consuevimus, hoc facilè contingeret iis qui excipiunt notas ex ore professorum, festinantiùs animi sensa explicantium: tamen ubi dictant auditoribus suis quæ scripserunt ipsi, lentiúsq; prælegunt, & insistunt donec descripta sint quæ dictant, quemadmodum in Scholis transmarinis solent; vix posset usu venire, ut, qui simul audita dictata exciperent,

[a] Esai. 28. 16.
[b] 1. Pet. 2. 6.
[c] Præfat. in libros de Romano Pont. §. Porrò adversarii.
[d] Tom. 1. præfat. ad lectorē.

exciperent, variarent. Deinde, Bellarminum ipsum testem advoco: idq; ex eodem loco jam excuso, quo manuscripto nixus sum. [a] Ibi quippe tractans voces postremò additas à Propheta, [b] *In fundamento fundatum*, prout vulgata Latina editio legit; *Quid est enim*, inquit, *in fundamento fundatum, nisi fundamentum post fundamentum, fundamentum secundarium, non primarium?* Ubi verbum (*enim*) quod Bellarminus addidit, rationem reddit verborum quæ delevit; *Ne quis dicat, ista in Christum convenire, non Petrum.* Namque Petro, & Petri successori Papæ, non Christo convenire Prophetæ locum inde colligit; quòd Christus primum sit ac præcipuum Ecclesiæ fundamentum, de quo [c] Apostolus ait; *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est; quod est Christus Iesus:* Propheta verò memoret lapidem, qui fundatus est in fundamento, de quo [d] Bellarminus; *Est igitur Petri sedes lapis probatus, angularis, pretiosus, in fundamento fundatus.* Perversè quidem ille verbis vulgatæ editionis Latinæ minùs dilucidis abutens contra liquidum Hebraicæ veritatis & Prophetę sensum. Etenim sententia Dei, si ad verbum reddas, sic habet: [e] *Ecce ego fundator in Sione lapidis, lapidis probati, anguları, pretiosi,* [1] *fundamenti fundamenti*, seu, *fundamenti* [2] *fundati.* Cujus ut priore parte manifestum est significari lapidem in fundamento Sionis, id est, Ecclesiæ positum iri, non qui super Ecclesiam, sed super quem Ecclesia ędificetur, tanquam super [f] imum lapidem angularem: ita posteriore, linguę sanctę phrasis, aut idem aperiri & inculcari docet, ut Franciscus Forerius, vir [g] Tridentina Synodo judice doctissimus, interpretatur, [h] dicens, *Fundamenti fundati, vel fundamenti*

[a] Præfat. in libros de Romano Pont. §. Addit postremò.
[b] Esai. 28. 16.
[c] 1. Cor. 3. 11.
[d] Ibid. §. Est igitur.
[e] Esai. 28. 16.
[1] מוסד מוסד
[2] Si vox posterior participium passivum sit, non nomen: de quo periti linguæ Hebrææ dissentiunt, ex discrimine puncti. Sed nihil interest ad summam rei.
[f] Psal. 118. 22. Matt. 21. 42. Eph. 2. 20.
[g] Sixt. Sen. biblioth. sanct. lib. 4. in Francisco Forerio.
[h] Fran Forer. comment. Esaiæ, in hunc locum.

damenti fundamenti, *imum fundamentum designat, id est, super quod totum ædificium construitur*; aut fundamenti firmitudinem & soliditatem notari, ut S. Hieronymus, qui [a] vertit, *Fundatum fundamine*, [b] exponit, *Firmo, iuxta Hebraicum, fundamine fundavit*. Bellarminus verò, qui ex eadem clausula, eisdem ferè verbis, ab eodem interprete (ut tradit [c] ipse) redditis, *In fundamento fundatum*, tam dissidentem sensum elicit; eáq;, tanquam à prioribus tantopere discreparent, vult significare *fundamentum post fundamentum*, quum Hieronymum verisimile sit, si minùs idem his quod illis senserit, at *fundatum in fundamento* dixisse pro, *positum fundamenti loco*, seu (quæ [d] Pontificii Episcopi explicatio est) *positum in fundamentum*; ut ejusdem sententiæ initio, ubi Propheta habet, *Ego* [1] *fundo*, [e] Hieronymus, Apostolos [f] Paulum & [g] Petrum sequutus, legit [2] *pono*; ac [h] Liranus certè sic existimavit, qui *In fundamento fundatum dici* ait, *quia Apostoli* [i] *aliquando dicuntur Ecclesiæ fundamenta, hoc tamen eis solùm convenit in quantum innituntur ipsi Christo*; Leo autem Castrius, [k] acerrimus versionis vulgatę propugnator, [l] asserit Esaiam id ipsum illis verbis intellexisse, quod D. Paulus explanat, [m] *Fundamentum*, inquiens, *aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Iesus Christus*; atque hanc sententiam confirmat autoritate [n] Cypriani, [o] Eusebii, [p] Cyrilli, [q] Augustini, & [r] Theodoreti: sed Bellarminus qui tam novum & omnibus antiquis recentibúsq; theologis, quos viderim, inauditum ex illis sensum elicit vi particulę, *in*,

[a] Versione ex Hebræo, adiuncta commentariis Hieronymi in Esaiam.
[b] Comment. in eundem locum.
[c] Bellarm. de verbo Dei, lib. 2. cap. 9.
[d] Iacob. Naclant. enarrat. in epist. ad Ephes. cap. 2.
[1] Heb. יסד: id est, ad verbũ, *fundator*.
[e] Vulgata versione novi Testamenti, quã à se correctam, significat ipse, præfat. in Evang. ad Damasum: & probat Bellarminus, de verbo Dei, lib. 2. cap. 9.
[f] Rom. 9. 33.
[g] 1. Pet. 2. 6.
[2] Gr. τίθημι.
[h] In hunc locum Esai. c. 28.
[i] Apoc. 21. 14.
[k] Disputat. de translationibus sacræ Scripturæ.
[l] Comment. in Esai. ca. 28.
[m] 1. Cor. 3. 11. [n] Adversus Iudæos, lib. 2. cap 16. [o] Demonstrat. Evang. lib. 1. cap. 5. [p] Comment. in Esai. lib. 3. tom. 2. [q] In Psalm 94. & 111. In evang. Ioann. tract. 7. [r] In psalm. 117. & Dan. cap. 2.

adjectæ

adjectæ ab interprete, multo magis posset vi ejusdem particulæ adjectæ à Propheta, *Fundo* [1] *in Sione lapidem probatum*, colligere Christum exstrui super Ecclesiam, ac non Ecclesiam super Christum; Quid est enim fundatum in Sione, nisi fundatum post Sionem? & rursum vi ejusdem particulę in vulgatis Septuaginta interpretum & Hieronymi versionibus, *Mittã* [2] *in fundamentis Sion lapidem probatum*, Christum super Apostolos ædificatum esse, ac non Apostolos super Christum; Quid est enim missum in fundamentis, nisi missum post fundamenta? Atque hæc, tametsi longè absurdissima, probabiliùs diceret, quàm quod *angulari lapide* ab Esaia Pontificem Romanum significatum [a]ait: quandoquidem Esaiæ *lapis angularis* (siquidem [b]Petro credimus) est ἀκρογωνιαῖον, *summus angularis*, ut reddit vetus interpres, seu, ut [c] vocis sensus planiùs exprimitur, *imus angularis*, id est, fundamentũ primariũ, Jesus Christus, prout unanimiter fatẽtur [d] omnes tractatores; quis enim unquã aliter sensit? Sed omissis impiis sacrarũ Scripturarum depravationibus atque detestandis blasphemiis Jesuitæ, tribuentis ea Romano Põtifici, quę Spiritus sanctus ore Prophetę & Apostoli soli Christo propria esse testatur: manifestò patet ex opere excuso, nullam adhuc ei injuriam fieri si dicatur asserere id convenire Petro, non Christo, quod Petrus asserit convenire Christo, non sibi. Immo in excuso, inquies, disertè ait, id in Christum etiam convenire. At quid mea istuc, si ille, instar Dori [e] Terentiani, *modò ait, modò negat*; & ex eodem ore calidum frigidúmq; efflat? Nihilominus verum est, quemadmodum dixi, negari idem in excuso. Nam Esaiam loqui de fundamento secundario, non de primario, perhibet.

[1] Heb. פנה Græcè, apud Paulum & Petrum, ἐν Σιὼν.

[2] Septuagint. εἰς τὰ θεμέλια Σιών.

[a] Præfat. in libros de Rom. Pont. §. Itaque nihil.

[b] 1. Pet. 2. 6.

[c] Chrysostomus, hom. 6. in epist. ad Ephes. cap. 2. vers. 20. Theophylact. Oecumen. Ar. Montan. comment. & Beza, annotat. majorib. in eundem locum. Hesselius, in 1 epist. Petr. cap. 2.

[d] Græci, Latini; veteres, recentes; Pontificii, nostri: in hunc locum Petri.

[e] In Eunucho.

At

At Christus primarium est fundamentum, non secundarium. Proinde verba Esaiæ in Christum convenire negat. Quo melius cautiusq; , tum Bellarmini, tum suę existimationi consuluerunt Hartus & ceteri Pontificii, quòd Stapletonum publica mei hanc ob causam reprehensione imitati non sint: tametsi quidam eorum in angulis mussitârint, & injuriam illi à me factam esse, quia * luteum suum parietem speciosiore tectorio obduxerat, immeritò criminati sint.

* Ezek. 13.10.

7 Nec magnopere dubito, quin, si Epitome controversiarum, à Personio ex Jesuiticis Bellarmini & Maldonati (ut Hartus mihi affirmavit) dictatis composita, similiter correcta in lucem unquam emittatur; vestigia similiter superfutura sint, ex quibus veritatis indagator sagax perspiciat manuscriptum exemplar habuisse, ut à me citatum est, quæcunque accesserit emendatio. Saltem consensus tot ejusmodi codicum qui circumferuntur, quorum unum adolescens in Seminario educatus, quum ad nos reversus à magistratu examinaretur, dicebat se amici rogatu mihi afferre missum à quodam meę ad Catholicam fidem conversionis cupido; ne putet [a] Stapletonus eos hîc acquiri *per* [1] *latrocinia* tantùm, *quæ in Dei servos*, ut ait, *exercemus*; nonnulli etiam per *servorum Dei*, quos appellat, mendacia nec cogitantibus nobis obtruduntur, ut adolescens ipse, qui librum à me postea petivit, mihi confessus est: consensus igitur codicum, si artificiosius errata sua texerit, quàm ut cum Bellarmino id ipsum aiat & neget, ad liberandam fidem meam satis erit. Si quorum autem vel Græca verba citavi, vel quæ Græci codicis autoritate nituntur, ut Origenis contra Celsum & Sexti Empirici, qui non exstant

[a] Loco supra citato.

[1] Principum est videre ne libri seditiosi & impii, quales isti sunt, sinantur esse, instar gladii, in manu furiosi: ut convenienter cano. ni divino humanæ leges docent. [Rom. 13.4. 1. Tim. 2.2. L. 4. D. familiæ erciscundæ. L. 6. Cod. de hæreticis.] Et *latrocinium exercent*, non magistratus, qui eos auferunt; sed pseudoprophetæ, qui scribunt. Ioh. 10. ver. 1. & 10.

exstant Græcè, quod sciam, nisi manuscripti: in iis vix Stapletonus videtur me suspectũ habiturus esse; quũ vel ex Latinis quivis Græcè paulo, quàm [1] ipse est, peritior de testificationis meæ veritate divinare possit. unicum est, quod candor lectoris mihi ignoscet, si conjectura lapsus hac in re peccavi. Stephanus Durãtus, in [a] opere haud ita pridem Romæ edito, quum ad quæstionem, *an Dei Patris imago debeat depingi*, respondisset, *plerosque existimasse, non debere*; in quibus Damascenum citat dicentem, *Extremæ dementiæ & impietatis fuerit, Divinum numen figurare*: addit, *hanc sententiam probatam esse à Niceta, libro de imaginibus*. Istum Nicetæ librũ quia diu multúmq; conquisitum nusquã inveni, & [b] inveni tamẽ ejusdem argumenti librũ manuscriptum, titulo carentem, quo sententia eadem asseritur [2] consimiliter ac à [3] Damasceno: ego arbitratus hunc eundem esse, quem Durantus indicat, sententiã ejus sub Nicetæ nomine [c] citavi. Quòd si Possevinus, aliúsve quispiam adversariorum, ex titulo * hujus libri in Vaticana Bibliotheca aut alibi invento, ostenderit eum à Niceta scriptum non fuisse: rem gratam suis fecerit, quibus ostendet me errasse; ac mihi gratiorem, qui veritatem alio teste præter omnes quos commemoravi, & in iis Nicetam, (nam eum à nobis stare, non obstante Duranti seu Bellarmini distinctione, quam ventilavi, nullus dubito) corroboratam videbo.

8 Errata typographica qualia nonnulla vel dili-

[1] Quum Whitakerus dixisset *opus suum à reverendissimo Archiepiscopo Cantuariensi approbatum esse*: Stapletonus, Græcum dictum malè ponere præoptans, quàm perdere, [admonit. ad Whitaker.] Ἀνέγνω, inquit, ἀλλ' οὐκ ἔγνω· εἰ γὰρ ἔγνω, οὐκ ἂν παρέγνω, μᾶλλον κατέγνω: & οὐκ ἂν παρέγνω, vertit, *non approbasset*. In quo videtur Græcè peritis æquè παραγινώναι, ac in Latino Latinè: quũ ad aptissimam Whitakeri similitudinem, *de Ecclesia tabellioni in custodiendis Scripturis comparata*, ita respondet, acsi *tabellio* tabellarium, non publicum scribam, significaret. Autorit. Eccle. defens. l. 1. c. 4 sect. 2. [a] De ritib. Eccle. Cathol. l. 1. c. 5. §. 2. [b] In Biblioth. Novi Collegii, Oxonię. [2] Μαινομένων ἐστιν εἰκονισμὸν θείας φύσεως γράφεσθαι. [3] Παραφρονήσεως ἄκρας καὶ ἀσεβείας τὸ σχηματίζειν τὸ θεῖον. [c] Lib. 2. cap. 2. §. 9. * Quò faciliùs investigent: oppugnantur in eo duæ quæstiones iconomachorum, expressæ his verbis. Γέγραπται· ὃ ποιήσεις παντὸς ὁμοίωμα, ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω, καὶ ὅσα ἐν τοῖς ὕδασιν ὑποκάτω τῆς γῆς· καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἐξὸν εἰκονίζειν χριστὸν. Ἐπὶ τὸν ἀκατάληπτον, καὶ ἀπερίγραπτον, ἀπερίγραφόντε γράφειν λέξει τις; οὐ οὐκ ἴσχυσε Μωσῆς ἀπτίσαι.

gentiſſimum correctorem facilè effugient, quotquot in contextu & notis obſervata ſunt, curavi calamo emendanda. Siqua occurrent alia; quod in tam multiplice præſertim figurarum arithmeticarum ad autorum libros, capita, paragraphos, notatione vereor: facilem eorum excuſationem, non à noſtris ſolùm, verùm etiam ab adverſariis mihi polliceor; quippe, (quod in aliam ſententiam canit [a] ille,) *Et hanc veniam petimúſq; damúſq; viciſſim.* In [b] Bellarmino caput *Deuteronomii* 40. excuſum reperi, pro 4. & ſententiam [c] citatam ex *Auguſtini libro ſecundo contra Fauſtum*, quę in viceſimo habetur: & *Inſtitutionis Calvini librum* 5. [d] notatum pro 1. [e] *librum quartum, caput* 21. pro 2. Hæc, & conſimilia quędam in [f] vocibus, ut ex eo genere & numero eſſe fateor, de quo monemur in [g] Bellarmino; *Pleraque alia errata minoris momenti invenientur, ſed quæ prudentem lectorem, ut ſperamus, non multum remorabuntur*: ita in contextu ejus, quem aut integrum excudi ſeparatim; aut reſponſo meo, quantum inſtituti ratio poſtulabat, inſerui; correxi. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Bellarmino feci, quod mihi fieri volo.

9 Amici deniq; operâ in colligendis Indicibus uſus ſum: non quot adduntur Bellarmino; nam quorſum duo *Scriptorum citatorum* catalogi, abſque ulla loci cujuſquam deſignatione? quos nec ipſe tertio Tomo (quòd inanes putaret, credo,) adjecit: ſed quorum tibi aliquis uſus eſſe poterit ad ea veſtiganda, quæ, aut quo in loco legeris, non memineris; aut ubi legas, cui totum opus evolvere nequaquam vacat, ignores. Vale, Chriſtiane lector, & [h] Propheticum illud, cùm in precibus, tum in ſtudiis, factis, inſtitutis tuis ſemper recorda-

[a] Horat. de arte poet.
[b] De eccleſ. triumph. l. 2. c. 8.
[c] Ibid. l. 1. c. 20.
[d] Ibid. l. 3. c. 8.
[e] Ibid. in præfat.
[f] *Quia* pro *qui*; *prius*, pro *primus*; in eadem præfatione: *audierunt*, pro *adierunt*; lib. 1. de Rom. Pont. cap. 28.
[g] Poſt *corrigenda*, Tom. 1. in fine edition. 1.
[h] Eſai. 62. 3.

recordare: *Propter Sionem non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam, donec prodeat ut splendor iustitia eius, et salus eius ut lampas ardeat.*

INDEX LOCORVM SACRÆ Scripturæ, quæ obiter explicantur.

Duorum numerorum, qui præfiguntur contextui, prior caput libri Bibliorum indicat, posterior versum; si unicus sit, versum tantùm: trium autem, qui subiunguntur, primus librum notat de Romanæ Ecclesiæ idololatria, secundus caput, ultimus paragraphum. Epist. *epistolam ad Anglica Seminaria*; Præfat. *præfationem in libros de idololatria*; Admonit. *verò admonitionem ad lectorem designat.*

EX VETERE TESTAMENTO.

GENESIS.

1. 26. *FAciamus hominem ad imaginem nostram.* 2.3.39. & 44. Item 2. 5.8.
2. 24. *Erúnt q; in carnem unam.* 1.5.4.
3. 19. *In pulverem revertêris.* 1.9.7.
14. 18. *Melchisedech proferens panem et vinũ.* 1.2.7.
16. 2. *Occlusit me Iehova ne parerem, &c.* 1.5.4.
27. 21. *Ego sum Esau primogenitus tuus: feci quemadmodum edixisti mihi.* 1.5.6.
31. 34. *Rachel imagines posuerat in clitellis.* 2.3.2.
53. *Dii Abrahami & Dii Nachoris iudicent inter nos: sed iuravit Iacob &c.* 1.5.2.

EXODVS.

3. 13. *Sum qui sum.* 2.5.7.
15. *Iehova &c. hoc est nomen meum.* 2.3.5.

4. 24. *Occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* 1.5.12.
25. *Sponsus sanguinum es mihi.* 1.5.10.
8. 26. *Quod abominationi est Ægyptijs, fortassis sacrificaturi sumus.* 2.3.12.
13.19. *Acceperat Moses ossa Iosephi secum.* 1.9.10
20. 3. *Non habebis Deos alios.* 2.3.28.& 39.& 44.
4. *Non facies tibi sculptile aut ullam similitudinem &c.* 2.2.4.& 10. Item 2.3.1.& 28. & 33. Epist. §.3.
20.22. *Ne facite mecum Deos argenteos.* 2.3.33.
22.28. *Deos non execraberis.* 2.3.44.
28. 9. *Tum accipiens duos lapides Sardonychas, insculpes eis nomina filiorum Israelis:&c.*1.7.3.
32. 4. *Hi sunt Dij tui, Israel, qui eduxerunt te &c.* 2.3.4.& 5.& 6. & 16.& 26. & 28.& 29.
5. *Festũ Iehovæ cras esto.*2.3.5.& 17.& sequent.
8. *Et incurvantes se sacrificârunt ei.* 2.9.6.
32. *Si non es remissurus peccatum eorum, dele me de libro tuo quem scripsisti.* 1.5.15.
34.29. *Ignorabat Moses cutem faciei suæ radiasse & splenduisse.* 2.3.23.

LEVITICVS.

4. 13. *Quòd si totus cœtus filiorum Israelis erraverint &c.* 1.5.8.
26. 1. *Ne facite vobis idola, &c.* Epist. §.3.
17. 7. *Ne sacrificanto deinceps sacrificia sua dæmonibus.* 2.3.44.

NVMERI.

12. 6. *Aut per somnium alloquor eum.* 2.3.59.
23.21. *Non est idolum in Iacob.* 2.4.5.
25. 3. *Sic copulato Israele cum Baal Peor.* 2.3.42.

DEVTE-

DEVTERONOMIVM.

4.15. *Non animadvertistis ullam similitudinem, quo die alloquutus est Iehova vos &c.* 2.2.4. & 8. & 9. Item 2.3.33. Item 2.9.5. Epist. §. 3.

24. *Iehova Deus tuus ignis consumens est, Deus fortis zelotes.* 2.3.33. & 44. Epist. §. 4.

7.26. *Ne inferens rem abominabilem domum tuam sis anathema.* 1.5.8.

8.11. *Cave tibi, ne obliviscaris Iehovæ &c.* 2.3.30.

12.3. *Confringite statuas earum.* 1.1.6.

31.16. *Populus iste scortabitur sequendo Deos alienigenarum illius terræ, &c.* 2.3.44.
Derelinquet me, irritumq; &c. 2.3.39. & 44.

32.15. *Deseruit enim Deum.* 2.3.43. & 44.

16. *Ad zelotypiam commoverunt eum &c.* Ibid.

33.17. *Bovis illius decor est ei.* 2.3.12.

JOSVA.

24.2. *Trans flumen habitabant patres vestri olim, colebántq; Deos alios.* 1.5.2.

JVDICES.

2.11. *Coluerúntq; Baalim.* 2.3.54.

9.56. *Interficiendo fratres suos, qui erant septuaginta.* 2.3.41.

17.3. *Sanctificavi istud argentum Iehovæ; ad faciendum sculptile.* 2.3.5.

5. *Et fecit Teraphim, id est, idola.* 2.3.4.

I. SAMVELIS.

7.3. *Amoverunt Baalim.* 2.3.54.

8.8. *Sicut dereliquerunt me et coluerunt Deos alios.* 2.3.39.

11.2. *Hac lege pangam vobiscum, effodiendo vobis oculum dexterum cuiusque.* Epist. §. 7.

19. 16. *Inventum est simulacrum super lectum.* 2. 8. 6. & 12.
28. 14. *Tunc agnoscens Saul Samuelem esse &c.* 2. 7. 7.

I. REGVM.

8. 39. *Tu solus nosti animum omnium filiorum hominis.* 1. 5. 16.
12. 28. *Fecit rex duos vitulos: &, Ecce Dij tui, ô Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* 2. 3. 5. & 12. & 34. & 43. & 44.
32. *Sacrificavit vitulis quos fecerat.* 2. 9. 6.
18. 21. *Quousque claudicaturi estis in duabus cogitationibus? Si Iehova est Deus, sequimini eum &c.* 2. 3. 5. & 28.
27. *Clamate voce magna, quandoquidem Deus est.* 1. 2. 4.

II. REGVM.

3. 2. *Abstulit statuam Baalis quam fecerat pater eius.* 2. 3. 25.
10. 16. *Vide zelum meum pro Iehova.* 2. 3. 5.
26. *Et educentes statuas ædis Baalis comburebant eam.* 2. 3. 25.
17. 33. *Iehovam reverebantur, & Deos suos colebant.* 1. 5. 14. & 2. 3. 28.
18. 4. *Confregit serpentem æneum, vocavit q; nomen eius Nehustan.* 1. 2. 2. Item 1. 6. 5.
29. *Ne vos decipiat Ezekias.* 1. 1. 8.
23. 18. *Sinite illud, ne quis cõmoveto ossa eius.* 1. 9. 10.

I. CHRONICORVM.

16. 26. *Omnes Dij populorum sunt idola, Iehova verò cœlos fecit.* 2. 4. 4. Item 2. 5. 1.

II. CHRONICORVM.

11. 15. *Statueret q; sibi sacerdotes pro excelsis, & pro dæmo-*

dæmonibus, & pro vitulis quos fecerat. 2. 3. 44. Epist. §. 8.

JOB.

4. 18. *En servis suis non crediturus esset firmitatem; angelis, inquam, suis appositurus lucem.* 1. 6. 2.

13. 4. *Medici nihili omnes estis.* 2. 4. 4.

15. 15. *Cœlites non sunt mundi in oculis eius.* 1. 6. 2.

PSALMI.

16. 10. *Non sines sanctum tuum sentire corruptionem.* 1. 9. 7.

24. 8. *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens in prælio, &c.* 2. 3. 29.

62. 10. *Vanitas sunt nati plebeio homine, mendacium sunt nati præstante viro.* 2. 4. 3.

78. 10. *Non servaverant fedus Dei, & in lege eius renuerant ambulare, obliti actionum eius &c.* 2. 3. 30.

24. *Depluit super eos manna ad comedendum, & frumentum cælorum dedit illis.* 2. 3. 12.

82. 6. *Ego dico, Dij quidem estis.* 2. 3. 44.

84. 12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* 1. 1. 13.

92. 14. *Plantati in domo Iehovæ germina profundent.* 2. 5. 5.

96. 5. *Omnes Dij populorum sunt idola.* 2. 4. 4.

105. 19. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile, &c.* 2. 2. 4. Item 2. 3. 12.

106. 21. *Obliti sunt Dei fortis, servatoris ipsorum.* 2. 3. 30.

112. 6. *In memoria æterna erit iustus.* 1. 1. 11.

115. 4. 5. *Idola gentium &c. Os habent, & non loquuntur, &c.* 2. 2. 4. Item 2. 3. 58. & 66.

Item 2. 6. 2.

135. 17. *Non est spiritus in ore illorum.* 2. 3. 77.

145. 18. *Propinquus est Iehova omnibus invocantibus ipsum.* 1. 6. 2.

PROVERBIA.

8. 15. *Per me reges regnant.* Epist. §. 3.

22. *Dominus possidebat me principio viæ suæ.* 1. 3. 2.

ECCLESIASTES.

12. 9. *Redeunte ipso pulvere in terram quemadmodum fuerat.* 1. 9. 3.

14. *Faciendi libros multos nullus est finis, & lectio multorum fatigationi est carni.* Præfat.

ESAIAS.

19. 19. *Tempore illo erit Iehovæ altare in media terra Ægypti.* 2. 6. 6.

28. 16. *Ecce pono in Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum.* Admonit. §. 6.
Qui credit non præfestinabit. 1. 5. 4.

40. 17. *Omnes gentes velut nihil sunt coram eo.* 2. 5. 7.

18. *Cui assimilabitis Deum, & quam similitudi-*
25. *nem comparabitis ei?* 2. 2. 9. Item 2. 3. 65. Item 2. 8. 3.

42. 8. *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.* 2. 3. 39.

46. 5. *Cui assimilaretis me, & æquaretis?* 2. 3. 65. & 66.

7. *Siquis clamet ad eum, non exaudit.* 2. 3. 66.

57. 6. *Iustus ingreditur pacem.* 1. 7. 2.

IEREMIAS.

1. 10. *Præficio te hodierno die gentibus &c.* 2. 5. 5. 2. 10.

2. 10. *Peragrate regiones Cethim, & videte, an mu-*
11. *taverit gens Deos.* 2. 3. 53.
13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* 1. 6. 2.
18. *Quid tibi vis in via Ægypti &c.* Ibid.
27. *Qui dicunt ligno, Pater meus es; & lapidi, Tu genuisti me.* 2. 3. 69.
7. 9. *Et adolendo Baali.* 2. 9. 5.
10. 8. *Eruditio vanitatum eruditio ligni est.* 1. 2. 6. Item 2. 3. 60.
14. 22. *An sunt inter vanitates gentium qui pluviam edant?* 2. 3. 60.
17. 5. *Maledictus vir ille qui fiduciam habet in homine.* 2. 4. 3.
22. 19. *Sepultura asini sepelietur.* 1. 9. 11.
23. 5. *Excitabo Davidi germen iustum: qui regnabit rex, &c.* 2. 6. 6.
44. 17. *Adolendo rebus cœlestibus.* 1. 2. 5.

EZEKIEL.

8. 5. *Idolum zelotypiæ.* Epist. §. 4.
16. 45. *Mater vestra Chettæa, & pater vester Amoræus.* 1. 6. 1.
21. 26. *Consulet idola.* 2. 3. 58.
47. 1. *Ecce aquas exeuntes &c.* 1. 9. 1.

DANIEL.

5. 4. *Bibebant vinum, & laudabant Deos aureos, & argenteos, &c.* 2. 3. 51.

HOSEAS.

2. 13. *Animadvertam in illam dies Baalim.* 2. 3. 54.
4. 15. *Ne ascendatis Beth-aven.* 2. 4. 5. Epist. §. 8.
7. 1. *Revelatur iniquitas Ephraimi, & malitia Samariæ, operari eos falsitatem.* 2. 4. 5.
10. 5. *Propter vitulas Beth-aven.* 2. 3. 12.

AMOS.

AMOS.

5.25. *An ſacrificia & munus obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis, domus Iſraelis? &c.* 2.3.40.& ſequentib.

26. *Portaſtis tabernaculum Moloch.2.6.2.& 6.*

HABACVC.

2.18. *Quid profuerit ſculptile, quòd ſculpſerit illud formator illius, fuſile & doctor falſi?* 1.2. 6.Item 2.3.60.Item 2.4.6.

19. *Non eſt ſpiritus in medio eius.2.3.77.*

ZACHARIAS.

10.2. *Idola locuta ſunt vanitatem.* 2. 3. 59. & ſequentib.

11.17. *Væ paſtori meo nihili, derelinquenti gregem.* 2.4.3.

MALACHIAS.

3.23. *Ecce ego miſſurus ſum vobis Eliam prophetam,&c.2.6.6.*

EX APOCRYPHIS.

BARVCH.

6. 3. *Viſuri eſtis in Babylonia Deos argenteos, aureoſq;, & ligneos ſublatos humeris, &c.* 2. 3. 65.& ſequentib.

APPENDIX LIBRI ESTHER.

14.11. *Ne tradas ſceptrum tuum his qui non ſunt.* 2. 5.7.& 8.

15. 1. *Et mandavit ei ut ingrederetur ad regem.* 2. 5.8.

II. MACCABAEORVM.

12.43. *Duo millia drachmarum argenti miſit Ieroſolymam*

lymam, ut offerretur ſacrificium pro peccato. 1.5.8.

ECCLESIASTICVS.

48. 10. *Qui conſcriptus es fore redargutioni &c.* 2. 6.6.

SAPIENTIA.

13. 18. *Non pudet ipſum alloqui rem inanimam, &c.* 2.3.69.

14. 12. *Principium ſcortationis eſt idolorum excogitatio.* 2.3.2. & 51.

21. *Nomen incommunicabile.* 2. 3. 18.

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHAEVS.

2. 23. *Nazarenus vocabitur.* 2.3.24.

3. 11. *Ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igne.* 2.6.6.

4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & eum ſolum coles.* 2.3.39. Epiſt. §. 2.

7. 7. *Petite & dabitur vobis.* 1.3.8.

11. 6. *Beatus eſt qui non fuerit offenſus in me.* 1. 4.14.

14. 28. *Si tu es, iube me ad te venire ſuper aquas, &c.* 1. 4.4.

31. *Exigua fide prædite, quid dubitaſti?* Ibid.

15. 14. *Si cæcus cæcum per viam duxerit, ambo in foveam cadent.* Epiſt. §. 7.

16. 6. *Cavete à fermento Phariſæorum.* 2.6.6.

19. *Tibi dabo claves regni cœlorum.* 1.2.4. *Quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis : &c.* Epiſt. §. 2.

22. *Pro-*

22. *Propitius tibi esto, Domine: nequaquam erit tibi hoc.* 1.4.5.
23. *Abscede à me Satana, &c.* Ibid.
17.4. *Domine, bonum est nos hîc esse: si vis, faciamus hîc tria tabernacula, &c.* 1.4.6.
18.1. *Eo ipso tempore adierunt Iesum discipuli, dicentes, Quisnam maximus est in regno cælorum?* 1.4.7.
21. *Quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? an usque septies?* 1.4.8.
19.27. *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* 1.4.9.
20.21. *Dic ut sedeant isti duo filii mei, unus ad dexteram tuam, &c.* 1.4.9. Item 2.6.6.
24. *Et quum audissent alii decem, indignati sunt de duobus fratribus.* 1.4.7.
22.21. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Epist. §. 2. & 3.
26.26. *Hoc est corpus meum.* 2.6.6.
31. *Omnes vos hac nocte offendemini in me.* 1. 4.14.
35. *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te abnegabo.* 1.4.11.
28.19. *Profecti ergo docete omnes gentes.* 1.8.17.

MARCVS.

9.33. *Quum venisset domum, interrogavit eos, Quid in via inter vos disceptabatis? &c.* 1.4.7.
10.21. *Vnum te deficit.* 1.1.9.
38. *Nescitis quid petatis.* 1.4.6.
14.34. *Manete hîc & vigilate. &,*
37. *Tunc venit et invênit eos dormientes.* 1.4.12.
16.7. *Dicite discipulis eius & Petro, &c.* 1.4.15.

LVCAS.

LVCAS.

1. 28. *Ave gratis dilecta.* 1. 8. 13.
2. 35. *Tuam ipsius animam traiiciet gladius.* 1. 4. 18.
43. *Remansit puer Ierosolymis, quod nescivit Ioseph & mater eius.* 1. 4. 2.
10. 18. *Spectabam Satanam, ut fulgur, è cœlo cadentem.* 2. 6. 3.
11. 37. *Ingressus igitur discubuit.* 1. 3. 7.
16. 9. *Facite vobis amicos ex mamona iniusto.* 1. 1. 11.
22. *In sinu Abrahæ.* 1. 6. 3. Item 1. 7. 5. Item 2. 3. 77.
19. 13. *Dedit eis decem minas, & dixit eis, Negotiamini &c.* 1. 9. 1.
26. *Omni habenti dabitur.* Ibid.
22. 12. *Monstrabit vobis magnum cœnaculum stratum.* 1. 3. 7.
19. *Hoc est corpus meum.* 2. 6. 5. & 6.
32. *Rogavi pro te, ne deficiat fides tua.* 1. 7. 9. Item 2. 5. 4.
36. *Nunc qui non habet, vendat pallium suum, & emat gladium.* 2. 6. 6.
23. 34. *Nesciunt quid faciant.* 1. 4. 6.
43. *Hodie mecum eris in paradiso.* 1. 7. 1. & 2. & 8.
24. 21. *Nos sperabamus illum esse, qui redemturus esset Israelem.* 1. 4. 9. Item 2. 6. 6.
25. *O amentes & tardi corde ad credendum omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ.* 1. 4. 15.
33. *Et surgentes eo ipso momento, reversi sunt Ierosolymam.* Admonit. §. 1.
37. *Contrectate me & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet.* 2. 7. 3.

JOHAN-

JOHANNES.

2. 4. *Quid mihi tecum est mulier.* 1. 2. 6.
3. 3. *Nisi quis genitus sit denuo, non potest videre regnum Dei.* 2. 6. 6.
4. 14. *Quisquis biberit ex aqua illa quam ego ei dabo, non sitiet in æternum.* Ibid.
23. *Adorabunt Patrem spiritu & veritate.* Ibid.
31. *Ego cibum habeo quo vescar, quem vos nescitis.* Ibid.
9. 4. *Venit nox quum nemo potest operari.* Admonit. §. 1.
11. 11. *Lazarus amicus noster dormit.* 2. 6. 6.
12. 31. *Nunc princeps ille mundi huius eiicietur foras.* 2. 5. 5.
13. 8. *Non lavabis pedes meos in æternum.* 1. 4. 10.
23. *Erat quidam ex discipulis recumbens in sinu ipsius.* 1. 3. 7.
18. 1. *Hæc cum dixisset Iesus, egressus abijt cum discipulis &c.* 1. 4. 14.
10. *Simon Petrus, quum gladium haberet, eduxit eum, & percussit Pontificis servum.* 1. 4. 13.
11. *Annon bibam poculum quod dedit mihi Pater.* Ibid.
19. 41. *Erat in horto monumentum novum, ibi ergo posuerunt Iesum.* 1. 6. 5.
20. 9. *Nondum enim noverant Scripturam.* 1. 4. 15.
19. *Pax vobis.* 1. 8. 13.
21. *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.* 1. 8. 17.
23. *Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 1. 2. 4.
21. 15. *Dicit ei, Pasce agnos meos.* 1. 8. 17. Item 2. 5. 5.

21. *Hunc quum vidisset Petrus, dixit Iesu, Domine, hic autem quid?* 1. 4. 16.

ACTA APOSTOLORVM.

1. 6. *Domine, num hoc tempore restitues regnum Israeli?* 1. 4. 9. Item 2. 6. 6.

2. 1. *Quum advenisset dies Pentecostes, &c.* 2. 3. 29.

24. *Solutis doloribus inferni.* 2. 2. 11.

31. *Non sines sanctum tuum sentire corruptionem.* 1. 9. 7.

5. 37. *Iudas Galilæus.* Epist. §. 4.

7. 39. *Aversi sunt cordibus suis in Ægyptũ, dicentes Aaroni, Fac nobis Deos &c.* 2. 3. 36. & sequent.

41. *Vitulum fecerunt per illos dies, obtulerúntq; sacrificium idolo.* 2. 3. 4.

42. *Num victimas & oblationes obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel?* 2. 3. 41. Item 2. 9. 5.

14. 13. *Sacerdos autem Iovis, quum tauros vittatos &c.* 1. 2. 6. Item 2. 5. 2.

15. *Vt à vanis istis rebus convertatis vos.* 2. 4. 4.

15. 1. *Quidam qui descenderant è Iudæa, docebant fratres; Nisi circumcidamini ritu Mosis, non potestis servari.* 2. 6. 4.

9. *Deus nihil discrevit inter nos & illos, quum fide purificârit corda eorum.* 1. 3. 6.

17. 23. *Inveni aram, cui inscriptum erat, Ignoto Deo.* 2. 3. 46. Item 2. 9. 6.

28. *In ipso vivimus, & movemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt.* 2. 3. 47. Item 2. 5. 1. Item 2. 9. 8.

29. *Non debemus existimare sculpturæ artificij, & excogitationis hominum, Divinum numen esse simile.*

*ſimile.*2.2.9.*et* 10.Item 2.3.46.*et* 68.
19. 8. *Ipſe porrò ingreſſus ſynagogam &c.*1.1.5.
19. *Qui curioſa exercuerant.*2.3.77.
24. *Qui faciebat templa Dianæ argentea.* 2.3.57.
26. *Dicens, Deos illos non eſſe, qui manibus fiant.* 2.3.68.
27. *Quam Aſia tota & orbis terrarum colit.* 2.3. 57.*&* 68.
35. *Magna eſt Diana Epheſiorum.* Ibid.
20.24. *Neque vita mea mihi ipſi cara eſt.*Epiſt.§. 2.
21.26. *Tum Paulus aſſumtis viris illis, ſequente die cum eis ſanctificatus,&c.*1.4. 18.
23. 5. *Principi populi tui non maledices.*2.3.44.

AD ROMANOS.

1. 23. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis,&c.* 2.2. 10. Item 2.3.2.& 48.& ſequentib.Item 2.8. 11.Item 2.9.3.
2. 22. *Tu qui abominaris idola.*2.3.2.
5. 12. *In omnes homines mors pervaſit, in quo omnes peccârunt.*1.3.4. *&* 6.
10. 2. *Zelum* Dei *habent, ſed non ſecundum ſcientiam.*1.4.10.
13. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto: &c.* Epiſt.§.3.& 4.
7. *Reddite, cui tributum debetur, tributum, &c.* Ibid.
16.16. *Salutate alii alios oſculo ſancto.*Epiſt.§.2.

I. AD CORINTHIOS.

1. 23. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis offendiculum.*1.4.14.
24. *Chriſtum Dei potentiam, ac Dei ſapientiam.*

2.3.

2.3.27.Item 2.8.2.

3. 7. *Neque is qui plantat est aliquid, neque qui rigat.2.5.5.*

12. *Si quis superædificet aurum, argentum, &c. fœnum, stipulam.1.4.19.*

7.19. *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est.* 2.5.1.

8. 4. *Scimus idolum nihil esse in mundo.2.5.1.* & sequentib.

9. 5. *Annon habemus facultatem sororem uxorem circumducendi.1.5.34.*

10.20. *Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo.2.3.44.*

11. 1. *Imitatores mei estote sicut et ego Christi.1.3.7.*

7. *Vir est imago & gloria Dei.2.3.44.*

24. *Et gratiis actis fregisse, ac dixisse, &c.2.6.6.*

12. 2. *Scitis vos Gentes fuisse qui ad idola muta abripiebamini.2.3.2.*

13. 2. *Si caritatem non habeam, nihil sum.2.5.4.*

12. *Tum verò facie ad faciem cernemus.1.7.7.*

15.32. *Si adversus bestias pugnavi Ephesi.2.6.6.*

II. Ad Corinthios.

1. 8. *Nolumus vos ignorare, nos summè gravatos fuisse, adeò ut animi penderemus.1.4.18.*

4. 4. *In quibus Deus huius seculi excæcavit mentes.2.3.44.*

8. *Hæsitamus, at non prorsus hæremus.1.4.18.*

5. 7. *Per fidem ambulamus, non per visionem.1.7.1.* & 4.

Ad Galatas.

2. 10. *Monuerunt ut pauperum meminissemus.1.1.11.*

11. *Quum venisset Petrus Antiochiam, in os ei restiti, eo quòd condemnandus esset.* 1.4.17. & 18.
5. 6. *In Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium.* 2.5.1.
11. *Offendiculum crucis.* 1.4.14.
6. 3. *Si quis sibi videtur aliquid, quum nihil sit.* 2. 5.1.
10. *Dum tempus habemus, simus benefici erga omnes.* 1.3.7.

Ad Ephesios.

2. 2. *Vt est vita mundi huius, secundum principem cui potestas est aeris.* 2.3.44.
19. *Estis concives sanctorum.* 1.8.8.
4. 24. *Et induere novum illum hominem, qui secundum Deum &c.* 2.5.8.
25. *Deposito mendacio loquimini veritatem.* 2. 3.79.
5. 30. *Membra sumus corporis eius, &c.*
32. *Mysterium hoc magnum est.* Epist. §. 5.

Ad Colossenses.

1. 15. *Qui est imago Dei, & primogenitus omnis creaturæ.* 2.3.1. & 34. Item 2.8.2.
2. 18. *In demissione animi et cultu Angelorum.* 1.8.8.
21. *Ne ederis, neque gustâris, &c.* 1.3.7.

I. Ad Thessalonicenses.

4. 14. *Eos qui obdormierint in Iesu adducet cum eo.* 1.7.7.

II. Ad Thessalonicenses.

2. 2. *Neque per epistolam, tanquam per nos scriptam.* 2.3.79.
4. *In templo Dei sedet, præse ferens se esse Deum.* 2.5.6.

I. Ad

I. Ad Timothevm.

2. 5. *Vnus est mediator Dei & hominum.* 1.6.2.
4. 1. *Attendentes doctrinis damoniorum.* 2.3.59. Item. 2.6.3.
2. *Per hypocrisin falsiloquorum.* 2.6.3. Epist. §.4.
5. 12. *Damnandæ quòd primam fidem reiecerint.* 2. 3.44.
15. *Sequutæ Satanam.* Ibid.
6. 3. *Si quis diversam docet doctrinam.* 1.1.5.
16. *Lucem habitans inaccessam.* 2.3.27.

II. Ad Timothevm.

2. 26. *Evasuri ex diaboli laqueo, ab eo captivi facti ad ipsius libitum.* 2.3.44.
3. 5. *Habentes formam pietatis.* 2.6.3.

Ad Titvm.

1. 10. *Sunt multi refractarii, & vaniloqui, &c.* Præfat.
3. 10. *Hæreticum hominem devita.* 1.7.12.

Ad Hebraeos.

1. 3. *Quum sit character personæ illius.* 2.8. 2.
4. *Tanto præstantior factus Angelis, &c.* 1.3.4.
9. 24. *Non enim in manufactum sacrarium ingressus est Christus, sed in ipsum cælum.* 1.7.3.
28. *Christus semel oblatus &c.* Epist. §.4.
10. 12. *Vna pro peccatis oblata in perpetuum victima.* Epist. §.4.
11. 1. *Fides est illud quo existant quæ sperantur, & quæ demonstrat &c.* 1.7.4.
12. 20. *Si vel bestia tetigerit montem, lapidabitur.* 1. 5.33.
22. *Conventum universalem et concionem primogenitorum, &c.* 1.8.8.

13. 18. *Orate pro nobis.* 1. 3. 8.

JACOBI.

1. 6. *Sed postulet cum fide nihil addubitans.* 1. 3. 8.
12. *Beatus vir qui suffert tentationem.* 1. 7. 10.
2. 16. *Dicat autem aliquis vestrum, Abite cum pace, calescite & saturamini &c.* 1. 3. 7.
5. 15. *Oratio fidei servabit laborantem.* 1. 3. 8.

I. PETRI.

2. 6. *Ecce pono in Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum.* Admonit. §. 6.
13. *Subiecti estote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum.* Epist. §. 3. & 4.
Sive regi, ut supereminenti. Ibid.
20. *Si quum bene facitis, tamen afflicti toleratis, hoc gratum est apud Deum.* Ibid. §. 4.
3. 19. *Per quem etiam spiritibus, qui sunt in carcere, prædicavit.* 2. 2. 11.
4. 3. *Nefarijs idololatrijs.* 2. 7. 4. Item 2. 9. 19. Epist. §. 4.
15. *Nemo vestrum patiatur ut maleficus.* Epist. §. 4.
5. 1. *Presbyteros &c. ego una presbyter.* Ibid. §. 3. & 4.
4. *Reportabitis immarcescibilem gloriæ coronam.* 1. 7. 5.

II. PETRI.

1. 4. *Divinæ consortes naturæ.* 2. 5. 8.
16. *Arte compositas fabulas.* Epist. §. 3.
2. 3. *Per avaritiam fictis sermonibus vos negotiabuntur.* Epist. §. 1. & sequentib.
3. 1. *Hasce iam alteras vobis literas scribo, dilecti, quibus sinceram mentem vestrã. &c.* Epist. §. 1.

I. JOHANNIS.

2. 1. *Advocatum apud Patrem habemus Iesum Christum.* 1.3.8. Item. 1.6.2. Item. 1.7.3.
18. *Antichristi multi cœperunt esse.* 2.6.3.

JVDAS.

4. *Solum illum Dominum.* Epist. §. 4.
9. *Michael, quum adversus diabolum certans, disceptaret de corpore Mosis.* 1.1.11.

APOCALYPSIS.

1.3. *Beatus qui legit & qui audiunt verba prophetiæ huius.* 1.8.14.
4. *Qui est, qui erat, & qui venturus est.* 2.5.7.
6. 9. *Vidi sub altari animas &c.* 1.6.3.
9.20. *Aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea idola.* 2.5.1.
13. 2. *Erat & hæc bestia, quam vidi, &c.* Epist. §. 2.
11. *Deinde vidi aliam bestiam.* Ibid.
14.4. *Sequuti agnum quocunque iret.* 1.6.3.
8. *Cecidit Babylon, quia vinum excandescentiæ scortationis suæ &c.* Epist. §. 8.
13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur* 1.5.18. *Etiam, dicit Spiritus: ut requiescant à laboribus suis.* 1.7.7.
18. 2. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta est domicilium dæmoniorum.* Epist. §. 8.
13. *Mancipia & animas hominum.* Epist. §. 2.
19.10. *Vide ne feceris, conservus tuus sum.* 1.8.8.
21. 2. *Vidi sanctam illam civitatem, Ierusalem novam, &c.* 2.6.6.

INDEX RERVM PRAECIPVARVM quæ hoc opere continentur.

Numerorum notæ & voces verbis subiunctæ idem significant, quod in superiore Scripturarum Indice.

A

Abdiæ Apostolica historia apocrypha. 1. 5. 21.

Abraham olim idolorum cultor. 1. 5. 2. & 3. Abrahæ sinus. 1. 6. 3. *Item* 1. 7. 5.

Abulensis laudatus. 1. 5. 7. *Item* 2. 2. 12.

Adorare significat quandoque salutare. 1. 8. 5. plerumque cultum religionis. 1. 8. 1.

Adoratio, cultus divinus, 2. 1. 1. non deferenda Sanctis. 1. 8. 1. non delata martyribus, ut calumniabatur Iulianus. 1. 6. 7. defertur imaginibus ab Ethnicis & Papistis. 2. 3. 67 *Epist.* §. 2.

Adulterium Papistis inter minora crimina. 1. 1. 4. capitale decreto Sixti V. *Ibid.*

Aecatharina. 1. 5. 28.

Aegidii syngrapha Angelica. 1. 2. 6.

Aegyptius cultus animalium. 2. 3. 2. crocodilorum. 2. 3. 11.

Aerodii filius surreptus patri à Iesuitis. 1. 6. 9. *Item* 1. 8. 8.

Ἄγαλμα, Adriano I. abiecti animalis statua, sive statunculus. *Epist.* §. 3.

Agnus Dei cereus. 2. 3. 6. vocatur agnus immaculatus. 2. 3. 29. est idolum. 1. 1. 13. *Item* 2. 3. 76.

Albigenses falsò multarum hæresum accusati. 1. 5. 31. crudeliter tractati à Papistis. 1. 1. 7. Dominici impulsu. 1. 5. 30.

Alexander Severus idololatra. 2. 9. 5. & 6.

Alexander III. deponens Imperatores. *Epist.* §. 3.

Alexander VI. scortator. 2. 7. 7. cœlebs 2. 8. 4.

Altaria non eundem in finem Patribus, in quem Papistis. *Epist.* §. 4.

Anachoretarum sanctitas. 1. 3. 7.

Angelorum imagines. 2. 2. 5. & 8.

Anglia, hortus olim deliciarum Papæ. *Epist.* §. 4. oppressa gravissimo Papæ iugo. *Ibid.* Orthodoxam fidem amplexa, repudiato Papismo. 2. 7. 6. *Epist.* §. 4. & 5. Deum habet protectorem, non Georgium Cappadocem. 1. 5. 22.

Angli transfugæ, in Seminariis Romano & Rhemensi. *Epist.* §. 1. seducti lenociniis Papæ, *Ibid.* §. 2. *& sequentib.* rebelles erga Deum & Principem. *Ibid* §. 2. & 4. pœnas iustè sibi inflictas exaggerant per mendacia. 1. 1. 7. *Item.* 1. 9. 8. falsò dicuntur pati ut Martyres. *Epist.* §. 4.

Anima vitam significat quandoque. *Epist.* §. 2.
Animæ in heroas, dæmones, & Deos mutari falsò dictæ. 2. 3. 9. & simulacris indi atque alligari. 2. 3. 37. & 77. & evocari à necromantibus, 2. 7. 9.
Animæ Sanctorum vi magica evocari nequeunt. 2. 7. 7. statim à morte vident Deum. 1. 7. 1. quod falsò negavit Iohannes XXII. 1. 7. 8. *& sequentib.* ac de quibusdam negant Papistæ. 1. 7. 7.
Annius Viterbiēsis falsarius. 2. 3. 78.
Anthropo morphitarū error. 2. 6. 6.
Anubis Aegyptius. 2. 2. 5.
Apis rex Serapis dictus. 2. 3. 8. pro Deo habitus ab Aegyptiis. 2. 3. 9. & 26. Simulacrum Harpocratis in templo eius positum. 2. 3. 9.
Apis vitulus, Aegyptium Dei simulacrum, non Deus. 2. 3. 8. *& sequentib.* nec à Iudæis putatus ipsos liberasse: quod falsò Bellarminus. 2. 3. 15.
Apollo responsa dabat per vatem. 2. 3. 58. in idolo eius colebant Solem Ethnici. 2. 3. 56.
Apuleius falsò habitus interpres Asclepii Mercurio Trismegisto adscripti. 2. 3. 78.
Aræ Ethnicorum simulacra adiuncta habere solitę. 2. 3. 46. earum duo genera. *Ibid.*
Arę Papistarū sacrificiis propriè propitiatoriis destinatæ. *Epist.* §. 4.
Ariani idololatrę. 2. 2. 3. *Item.* 2. 9. 4.
Ave Maria, precatio. 1. 8. 13.
Avemaria latro. *Epist.* §. 3.

B

Baal idem cum sole. 1. 5. 17. *Item* 2. 3. 25. Baal Peor. 2. 3. 42. Bel Assyriis dictus. 2. 3. 51. Baales, varię eius imagines. 2. 3. 54.
Baali filios suos sacrificabant Iudæi. 2. 3. 41. atque adolebant. 2. 9. 5. graviùs peccabant cultores eius, quàm vitulorum. 2. 3. 5.
Baptizant igne quidam. 2. 6. 6.
Baronius lapsus in historia Evangelica. 1. 4. 6. Eusebium depravat. 1. 5. 28. perversè laudat Anglos emissarios Papæ. *Epist.* §. 4. à Bellarmino laudatur. 1. 4. 19.
Bedæ Angelicū epitaphium. 1. 2. 6.
Bel Chaldæorum Deus. 2. 3. 51.
Belforestus mendax. 1. 5. 31.
Bellarminus à Baronio laudatus. 1. 8. 11. & ab Alberto Hungero. 2. 8. 11.
Bellarmini dictata controversiarū. *Admonit.* §. 6. in Thomam. *Ibid.* §. 5. sciamachia 1. 8. 11. *Item* 1. 9. 10. lapsus 1. 7. 9. mendacia & calumniæ. *Vide* Protestantes.
Belus quis. 2. 3. 51. & 66. Hieronymo Saturnus, aut Nini pater. 2. 6. 2.
Bestiis obiecti multi Christiani. *Epist.* §. 2. Paulus per errorem in iis numeratus. 2. 6. 6.
Beth-el facta Beth-aven. 2. 4. 5.

Bezæ expositionem nonnunquam saniorem esse, quàm Patrum, docet Andradius. 2. 2. 11.
Bezam negare sanctis visionẽ Dei, mentitur Bellarminus. 1. 7. 6. instigasse Poltrotum ad cędem Ducis Guisii mentiuntur Genebrardus, Campianus, & Possevinus. *Epist.* §. 5.
Bonagratia in carcerem coniectus à Iohanne XXII. 1. 7. 11.

C

Cæca obedientia. *Epist.* §. 7.
Caligula se Deum faciens. 2. 3. 2. & 44. *Item* 2. 7. 3.
Calvini institutione legenda Pighius profecit. *Admonit.* §. 3. libros eius legere Pontificiis nefas. 2. 2. 8.
Calvino blasphemiæ immeritò à Bellarmino obiectæ. 1. 5. 1. quòd notârit in Abrahamo idololatriam. 1. 5. 2. in Sara diffidentiam. 1. 5. 4. in Rebecca fraudem. 1. 5. 6. in Iuda Maccabæo zelum præposterum. 1. 5. 8. in Sephora temeritatem. 1. 5. 10. in Mose superbiam. 1. 5. 15. quòd Sanctis convicietur. 1. 5. 16. vocans eos Mortuos. 1. 5. 18. & Vmbras. 1. 5. 19. & Larvas. 1. 5. 20. & Colluviem. 1. 5. 24. & Monstra. 1. 5. 25. quòd vocet Dominicum Carnificem. 1. 5. 30. Lubinum & Medardum Bestias. 1. 5. 33.
Calvino quinq; de Iohanne XXII. mendacia, impudentissima falsò obiecta à Bellarmino. 1. 7. 9. & *sequentib.* compluráq; alia de Iudęis. 2. 3. 29. & 51.
Calvinum calumniatur Bellarminus, negasse Sanctis visionem Dei. 1. 7. 3. & templa fieri ut in iis oremus. 1. 8. 2.
Calvinus nequiter atheismi à Possevino accusatus. *Epist.* §. 5.
Campianus Calvinum & Bezam calumniatur. *Epist.* §. 5.
Candelarja dies à Lustratione dicta. 2. 3. 13.
Candelas Ethnicorum more imaginibus accendunt Papistę. 2. 3. 67.
Carpocratis hæresis. 2. 2. 3.
Catechismus Tridentinus autoritatem habens Synodi. 2. 3. 28. infallibilem iudice Valentiano. 2. 3. 89.
Catharina virgo & Martyr, Alexandrina, fictitia. 2. 5. 27. eius nomen unde. 1. 5. 25.
Chiliastarum error. 2. 66.
Chrysostomo Liturgia falsò adscripta. 1. 3. 5.
Christophorus Papistarum fictitius. 1. 5. 26. unde nominatus. 1. 5. 25. eius imago Lutetiæ. 2. 7. 4.
Circumcisionis ritũ Christiani quidam adhuc servant. 2. 6. 4.
Claves ministris verbi commissæ quid notent. 1. 2. 4.
Clementis itinerarium & recognitiones apocryphæ. 1. 5. 23.
Cneph Ægyptius Deꝰ verus. 2. 3. 48.

Collyri-

Collyridiani hæretici. 1. 2. 5.
Conciliorũ autoritas quanta. Campiano. 2. 2. 8. voces decisivæ ne penes solos Episcopos. 2. 3. 88.
Concubinatus permissus rubrica Decreti. 1. 5. 34. *Item*. 2. 5. 6.
Consentes dii quinam. 2. 3. 54.
Constantinus Copronymus contẽnens reliquias. 1. 9. 3. prohibens ne quisquam imagini supplicaret. 2. 8. 11.
Crucifixi imaginem latria colunt Papistæ. 2. 2. 1. adorant & invocant. 2. 3. 81. insigniunt nomine Christi. 2. 3. 29.
Crux ab iisdem latria colitur. 2. 2. 1. invocatur. 1. 1. 13. & 2. 2. 2.
Crux adorata, cui Veneris, Martis, & Cupidinis imagines insculptæ. *Epist*. §. 2.
Cultus alius religionis, alius dilectionis. 1. 8. 1. cultus divini partes. 2. 1. 1. cultus imaginum. *Vide* Imagines. Sanctorum. *Vide* Sancti.

D

Dæmones incorporei. 2. 3. 9. falsò putati hominum mortuorum animæ. *Ibid*. & 2. 3. 37. pro Diis culti. 2. 3. 56. autores oraculorum 2. 3. 58. simulacris haud alligati. 2. 3. 77. nec in iis loquuti. 2. 3. 58. *& sequentib.*
Dagon Palæstinis Triton. 2. 2. 4.
Dares Phrygius suppositit. 2. 3. 78.
Deum pingere nefas. 2. 2. 8. *Item* 2. 3. 33.
Deus solus cognovit. 1. 5. 16. ex animis hominum dicit. 1. 5. 7. quomodo loqui dicatur. 1. 3. 59. verè est. 2. 5. 7. & 8. nec creaturæ cum eo comparatæ quicquam sunt. *Ibid*. zelotes. 2. 3. 35. simulacris Iudæorum repræsentatus. 2. 3. 5. & Gentium. 2. 3. 46. *Item* 2. 9. 6. & 8. Hieroglyphico monumẽto notatus ab Aegyptiis. 2. 3. 49. à Varrone descriptus. 2. 3. 53.
Dii gentium astra, elementa, homines. 2. 3. 8. Dæmones 2. 3. 9. & 56. Eusebio septem gentium. 2. 3. 74. Tertulliano unus, hominum. 2. 3. 73. apud Græcos & Romanos humana forma. 2. 3. 2. in alii visi Ethnicis, quàm ligna & lapides. 2. 3. 52. Dæmalotes, & Mimones. 2. 3. 54. novi nesierent, apud Ethnicos veritum. 2. 3. 55. à Iove hominibus custodiendis præfecti. 2. 3. 74. æterni existimati. 2. 3. 80. vocantur aliquando idola. 2. 4. 4. *Item* 2. 5. 1.
Dii tutolares Papistis, Sancti, singularum ecclesiarũ patroni. 1. 5. 25.
Diabolus. *Vide* Dæmones.
Diana Ephesia. 2. 3. 57. eius simulacrum à Iove delapsum. 2. 3. 68. an repræsentârit verum deum. 2. 9. 8.
Didacus Hispanus canonizatus. 2. 1. 5. 5. & 9.
Diodorus Siculus à Pogio versus. *Admonit*. §. 4.
Divi, Ethnicis Dii, Papistis Sancti. 2. 3. 29.

Domini-

Dominicus tarnifex. 1. 5. 30. Miracula fingitur edidisse, libro in ignem conjecto. 1. 3. 32. & dæmonis indice exusto. *Ibid.* sanctam hypocrisim docuit. 1. 5. 24. fraternitatem Rosarii instituit. 1. 8. 13.
Domitianus dictus Dominus Deus noster. 2. 5. 6.
Dulia quodam sensu soli Deo debita. 1. 8. 9.

E

Ecclesia in moribus errare non potest Sorbonistæ. 2. 1. 2. significatur asina Balaami, judice Benedicto. 1. 4. 19.
Ecclesia Romana quid. 2. 1. 1. multis morbis laborat. 1. 1. 4. committit idololatriam. 2. 1. 1. contendit se errare nõ posse: ne Urbis quidem Romæ ecclesiam. 2. 9. 2. jure derelicta à Protestantibus. 1. 1. 5.
Εἴδωλον. *Vide* Idolum.
Εἰκὼν repræsentat rem veram Bellarmino. 2. 7. 12. promiscuè usurpatur pro simulacro ac idolo. *Ibid.* & 2. 8. 7. rectè redditur à Xylandro simulacrum. 2. 8. 11.
Elizabetha Regina religionem ex Dei verbo reformavit. 1. 7. 6. à Deo conservata. 2. 5. 5.
Empusæ, spectra. 2. 7. 3.
Episcopi nationis Italicę quàm multi. 2. 3. 88.
Epitome Personiana controversiarum. *Admonit.* §. 5. ex Bellarmini & Maldonati dictatis composita. *Ibid.* §. 7.
Equites nobilissimi ordinis Sancti Georgii. 1. 5. 22.
Erasmus bene de Ecclesia meritus. 1. 2. 3. immeritò à Bellarmino vocatus Lucianus. *Ibid.* & semichristianus. 1. 2. 7. calumniosè accusatus, quòd utatur jocis. 1. 2. 4. quòd Mariam Veneri substitutam dixerit. 1. 2. 5. quòd epistolam B. Mariæ nomine confinxerit. 1. 2. 6. honorificè appellatus à Iansenio. 1. 2. 7. Ejus colloquia Pontificiis interdicta. 1. 2. 5. & 7. libri supposititii sub ejus nomine vulgati. 1. 3. 5.
Eremitarum sanctitas. 1. 3. 7.
Espencæus verè Pontificum avaritiam notat. *Epist.* §. 1. & fraudem in Synodo Tridentina. 2. 3. 88. falsò Protestantes dissensionis accusat. *Epist.* §. 5.
Esthere appendicem perstringit Hieronymus. 2. 5. 7.
Ethnicam idololatriam imitantur Papistæ. *Vide* Dii gentium, Idola, & Imagines.
Etymologia nominis à significatione discrepans. 2. 8. 4.
Eucharistiæ panis non transubstantiatur. 2. 2. 10. *Item* 2. 6. 5. & 6. Augustino panis Domini, à pane Domino distinctus. *Epist.* §. 2. latria impiè colitur à Pontificiis. 2. 6. 6. *Epist.* §. 2.
Eunomii hæresis. 1. 8. 3.
Eusebii Evangelicæ præparationis libri Latinè mutili. *Admonit.* §. 4.

Eu-

Eustathii hæresis. 1. 8. 2.
Ezekias meritò serpentem æneum confregit. 1. 2. 2.

F

Februa sacra Deorum Manium. 2. 3. 13.
Festa Divorum tutelarium improbanda. 1. 5. 25. festum Rosarii. 1. 8. 13. Hilaria. 2. 3. 13.
Fides quomodo sanctis, qui in cœlo sunt, tribuatur. 1. 7. 4. à Bellarmino iis tribuitur qui sunt in Purgatorio. 1. 7. 7.
Fiducia, pars divini cultus. 1. 1. 13. *Item* 2. 1. 1. in hominibus non ponenda. 2. 4. 3.
Fortuna sub effigie duarum sororum culta. 2. 3. 58. simulacrum ejus an loquutum. 2. 3. 62.
Franciæ regem tenere suum imperium immediatè à Deo, habetur Romæ ridiculum. *Epist.* §. 3.
Fratres mendicantes mendaces. 1. 9. 9. Franciscani amissa conscientia, & scientia, remanent pura entia. 2. 5. 9.
Frideswidæ reliquiæ ab Oxonienſibus humatæ. 1. 9. 4.

G

Genebrardus malitiosissimus piorum insectator. *Epist.* §. 1. Calvini. 1. 7. 5. Petri Martyris, & Bezæ. *Epist.* §. 5. ferreus pravarum interpretationum patronus. 2. 5. 3. ejus Chronographia laudata à Possevino. 1. 5. 3. sex mendacia in una periodo, *Epist.* §. 5.
Genii, terrestres dii, custodes hominum. 2. 3. 54.
Georgius Cappadox, sanctus Pontificiis, hæreticus Arianus. 1. 5. 21. ab Arianis cultus pro Martyre. 1. 5. 22. Carnifex vocatur ab Athanasio & Baronio. 1. 5. 30. honoratus Romæ fictitiis reliquiis. 1. 9. 7.
Georgius symbolicus, draconis interfector. 1. 5. 20. unde Equites Ordinis nobilissimi ab Edwardo III. instituti. 1. 5. 22.
Gigantes quare dicti cum diis bellare. 1. 6. 9.
Gnosticorum hæresis. 1. 6. 3.
Gregorius I. plusculum habet fermenti Pontificii. 1. 9. 12.
Gregorius II. Imperatori vectigalia solvi prohibuit. *Epist.* §. 3.
Gregorius XIII. instituit festum Rosarii B. Virginis. 1. 8. 13. Anglos ad rebellionem excitavit. 2. 5. 5.
Gregorius de Valentia in quanto pretio suis. 2. 3. 32. *Item.* 2. 9. 11. qualis propugnator idololatriæ. *Vide* Idololatria, & Idolum.

H

Hæresis veritatis speciem præ se fert. 2. 6. 3. & *sequentib.* objecta orthodoxis. 1. 1. 2. *Item* 1. 5. 1. quædam sancta est & catholica. 1. 6. 4.
Hæreticorum à communione discedendum.

dendum. 1.1.5. *Item* 1.7.12.
Hecates ſtatua. 2.3.77.
Hermeti Triſmegiſto adſcriptus falſò Aſclepius. 2.3.78. & Pœmander. 2.3.79. Solem pro Deo habet: ſtatuas explodit. 2.4.4.
Heroes, Genii. 2.3.54.
Hieronymus Pragenſis. 1.2.2.
Hilarii oſſa à Calviniſtis non cremata. 1.9.6. & 8.
Hippolytus martyr fictitius. 1.5.23.
Hyacinthus exhumatus. 1.9.10. qualium miraculorum opifex. *Ibid.*

I

Iacob peccavit fraude & mendacio. 1.5.6. & 7.
Ianſenius laudatus à Baronio aliiſq; . 1.4.4. expurgatorium ſubit Indicem. 1.2.7. *Item* 1.4 3.
Iaſon autor hiſtoriæ Maccab. 1.5.8.
Idololatria definitur cultu divino exhibito creaturæ. 2.1.1. & 2. *Item*. 2.9.1. quam definitionē oppugnat Bellarminus diſtingúendo idolum ab imagine. 2.1.2. *Vide* Idolum. Gregorius autem de Valentia, addendo clauſulam, ſicut Deo. 2.9.1, quę adjectio redarguitur, ut frivola. 2.9.2. ut falſa, 2.9.5.
Idololatria Tertulliano, omnis circa omne idolū famulatus. 2.7.2. Bellarmino, æquè creaturā ac Deum colere. 2.2.1. Ethnica, trāū generum Valentiano. 2.3.89. Calviniana & cōmentitia vocatur ab eodem, qua Deus verus in ſimulacro colitur. 2.3.32. quod ejus dictū refutatur, 2.3.5. & 33. & rationes dicti. 2.3.35. Itē conviciū, quo veram hanc Calvini doctrinam jocū nominat. 2.9.7. & *ſeq.*
Idololatria eſt ſpiritualis fornicatio. 2.3.33. & 39. crimen graviſſimū. 2.9.10. *Epiſt.* §. 8. cōmittitur à Papiſtis. 2.1.1. in quinque potiſſimū rebus. *Præfat.* creaturis æquatis Deo. 1.1.13. ut Valentianus ex parte cōfitetur. *Epiſt.* §. 2. idololatriam quandam licitam eſſe contendens, ſed putidè. 2.9.10.
Idololatriæ illecebræ. 1.6.5.
Idolum propriè acceptum, & figuratè. 2.1.1. pro ſimulacro, aut ipſo numine. 2.5.1.
Εἴδωλον, imago inanis Bellarmino, id repręſentans quod non eſt. 2.7.1. quia parvam formam ſignificat. 2.7.2. notat quamvis formam, ſeu parvā, ſeu magnam, Tertulliano. *Ibid.* & Homero, aliiſq; Græcis ſcriptoribus. 2.7.3. etiā Molano, Valent. & Bellarmino. 2.7.4. ab εἴδω deductū, non diminutivū ab εἶδος. *Ibid.* ex Euſtathio nō probatur nihil repræſentare. 2.7.6. nec ex Homero. 2.7.9. nec ex Luciano. 2.7.10. nec ex Virgilio. 2.7.11. *Vide* Simulacrum.
Idolū negat Bellarminus apud Eccleſiaſticos ſcriptores pro imagine rei veræ accipi. 2.2.1. ne quū imago quidem colitur. 2.2.2. quod ex ipſo refellitur. 2.7.12.

Christi Sanctorúmq; imagines, quum coluntur, idola rectè dici ostenditur: ex II. Nicæna Synodo citata à Bellarmino. 2. 2. 3. ex Bellarmino ipso. 2. 8. 12. ex Valentiano. 2. 9. 1. & 10. in quo lapsi Origenes & Theodoretus, idolo aientes id repræsentari quod non subsistit. 2. 2. 4. ad Bellarmini institutum sophisticè torquentur. 2. 2. 6. Idoli nomen in Scripturis tribuitur imagini rei veræ. 2. 3. 2. nec solùm simulacris Gentilium, quod Bellarminus asserit, sed etiam Iudęorum. 2. 3. 3. & 4. ex quibus quędam verum Deum repræsentabant. 2. 3. 5. *Item* 2. 9. 6. ut vitulus Aaronis: quod primùm ostenditur contra Bellarminũ. 2. 3. 6. ex Bellarmino ipso probabile. 2. 3. 16. ex Catechismo Tridentino certum. 2. 3. 28. probatur ex nomine Iehovæ attributo vitulo. 2. 3. 17. Iudæos vocavisse idola sua Deos, non propriè, sed metonymicè. 2. 3. 29. & 35. in eorum cultu oblitos esse Iehovæ. 2. 3. 30. nec in omnibus idolis coluisse verum Deum. 2. 3. 31. deinde contra Valentianum. 2. 3. 32. ac Iudæos dæmoniis in vitulo immolasse, non Deo. 2. 3. 44. Videntur & quædam Ethnicorum idola repræsentasse verum Deum. 1. 3. 46. quod ex Tridentino Catechismo asseritur. 2. 3. 50. & Ethnicorum ac Papistarum confessione. 2. 9. 6. & 8. Ethnicos non vocasse idola Deos propriè. 2. 3. 51. & 65. nec existimasse idola ipsa Deos esse. 2. 3. 52. nec collegas Deorum. 2. 3. 54. quæ Bellarminus falsò asserit. 2. 3. 57. Simulacra non loquuta. 2. 3. 58. nec erant omnia humana forma. 2. 3. 64. Infirma argumenta, quibus Bellarminus Ethnicos putasse idola ipsa Deos esse colligit, ex Esaia, Davide, & Baruch. 2. 3. 65. ex actis Apostolorum. 2. 3. 68. ex Ieremia, & libro Sapientiæ 2. 3. 69. ex Patribus. 2. 3. 71. ex Horatio. 2. 3. 76. ex Hermete. 2. 3. 77. ex Arnobio 2. 3. 80. Similia, quibus Valentianus. 2. 3. 84. Idolum significat aliquid falsi 2. 4. 2. & 3. non respectu formæ, sed effectus. 2. 4. 4. unde אליל dicitur. *Ibid.* & און ac שקר. 2. 4. 5. & imago falsa, apud Habacuc, seu doctor falsi. 2. 4. 6. & 7. *Item* 2. 3. 59. & 60. nec Plato pro Bellarmino facit. 2. 4. 9. Idolum nihil esse dicitur ab Apostolo, quoad efficacitatem, non quoad repræsentationem. 2. 5. 1. & homines impii sunt, quos appendix libri Esther dicit non esse. 2. 5. 8. & 9. Idolum Hieronymo repræsentat

rat id quod est. 2. 6. 2. in iis ipsis locis quæ contrà citat Bellarminus. *Ibid.* etiam in idoli & hæresis comparatione. 2. 6. 3. *& seq. Vide* Imagines.

Iehova quid significet. 2. 2. 4. proprium nomen Dei. 2. 3. 5. incommunicabile. 2. 3. 18. ἀνεκφώνητον, crescente superstitione. *Ibid.* non attributum vitulo verè, ut malè Bellarminus. 2. 3. 17. nec à Iudæis existimatum appellativum. 2. 3. 19.

Ignatius Loiola, pater Iesuitarum. 1. 6. 6. Eremitarum vitam improbat. 1. 3. 7. tria millia hostiarum pro gratia Societati suæ impetranda immolari curavit. *Epist.* §. 4.

Imaginem Dei nefas est pingere. 2. 2. 8. quod futiliter contendit Bellarminus fas esse. 2. 2. 10. pingunt Papistæ. *Ibid. Epist.* §. 4. melius eum repræsentant res animatæ, quàm inanimæ. 2. 3. 8. parentes animata Deorum simulacra Platoni. 2. 3. 77. Ethnicas Deorum imagines negavit Scævola veras esse. 2. 3. 87. Romani prisci diu nullas habebant. 2. 4. 4. Hermes & alii exploserunt. *Ibid.* Ethnici variis formis effictas habere soliti. 2. 3. 64. in imaginibus variis colebatur verus Deus. *Vide* Idolum.

Imagines Christi & sanctorum, idola, si colantur. 2. 2. 2. & 13. *Item* 2. 8. 2. non colendæ. *Epist.* §. 3. confractæ. 1. 1. 6. à Leone Imperatore. *Epist.* §. 3.

Imagines duæ Papisticæ loquutæ: una Mariæ, 1. 9. 10. altera crucifixi, 2. 3. 63. æquè ac duo simulacra Ethnica: Iunonis Monetæ. 2. 3. 61. & Fortunæ Muliebris. 2. 3. 62.

Imagines Plato honorari voluit. 2. 3. 77. Epicurei venerati sunt. 2. 3. 76. coli vetuerunt Seres & Persæ. 2. 4. 4. in qua templorum parte collocârint Ethnici. 2. 3. 4.

Imaginum cultus relatus ad prototypa. 2. 3. 6. est idololatria. 2. 3. 33. *Item* 2. 9. 6. & 8. qui Deum ita colunt, alios Deos colunt. 2. 3. 39. & 44. & dæmoniis immolant, non Deo. 2. 3. 44. Ethnici colentes simulacra. 2. 3. 66. *Item* 2. 9. 5. quòd putarent iis inesse vim divinam. 2. 3. 26. & 80. deósq; gratia ac favore illis adesse. 2. 3. 68. colebant numen in simulacris. 2. 3. 56. & 82. in aliquibus verum Deum: 2. 3. 46. *Item* 2. 9. 6. & 8. sacrificare numini solebant, non simulacro. 2. 5. 2. simulacro ad numinis honorem adolebant. 2. 9. 5. Papistæ similes Ethnicorum in imaginibus colendis.

lendis. 2. 3. 67. adorando, & osculando. *Epist.* §. 2. accendendo candelas. 2. 3. 13. & 67. adolendo thura. 1. 1. 13. *Item* 1. 2. 2. *Item* 2. 3. 67. *Epist.* §. 4. in quo imitantur etiam Iulianum apostatam. 1. 4. 17. & Carpocratem 2. 2. 3. offerendo oscilla pro piaculis. 2. 3. 13. invocando, & adorando. 2. 3. 69. & 81. latriam denique exhibendo. 1. 1. 13. *Item* 1. 5. 17. *Item* 2. 2. 1. *Item* 2. 9. 11. Multi rudiores sub Papatu imagines ipsas pro Divis habent. 2. 3. 70.

Imago, alia naturalis, alia artificialis. 2. 3. 1. rectè vocatur simulacrum: contra Bellarminum. 2. 8. 2. malè distinguitur Adriano ab agalmate. *Epist.* §. 3. & Bellarmino ab idolo. 2. 2. 2. qui sibi contradicens, idolum ait definiri falsam imaginem. 2. 4. 8. omnis manufacta imago falsa quodammoda. 2. 4. 7. nomen rei repræsentatæ gerit metonymicè. 2. 3. 5. apud Iudæos. *Ibid.* & 35. apud Ethnicos. 2. 3. 10. apud Papistas. 2. 3. 29.

Index expurgatorius. 1. 2. 7. Masium, Iansenium, Sigonium castigat. 1. 4. 3. Chrysostomi indicem. 1. 2. 5. Betulei notas in Lactantium, Rami Scholas Physicas, & Metaphysicas. 2. 2. 12. Polydorum Virgilium. 2. 3. 70. Gregorium Nyssenum, Vivem, &c. *Epist.* §. 6.

Inquisitio Hispanica. 1. 8. 15.

Intercessioni Mariæ quid Papistæ tribuant. 1. 1. 13. *Item* 1. 2. 6. Sanctorum 1. 6. 2. Catharinæ. 1. 5. 28. Ægidii. 1. 2. 6. Georgii. 1. 5. 22. Didaci, 2. 5. 5.

Invocatio, cultus divinus. 2. 1. 1. *Vide* Sanctorum invocatio.

Iohannes XII. adulter. 2. 1. 2.

Iohannes XXII. asseruit animas Sanctorum non visuras Deum ante resurrectionem. 1. 7. 8. ad palmodiam adactus à rege Galliæ. 1. 7. 13. falsò affirmatur à Bellarmino non errasse. *Ibid.* amplissima indulgentia ab eo concessa invocantibus veronicam. 2. 3. 81.

Iohannes XXIII. damnatus à concilio Constantiensi. 2. 5. 4.

Iohannes Apostolus Evangelium scripsit senex. 2. 2. 22.

Iohannes Baptista Campiano Divus tutelaris. 1. 3. 8.

Iohannes Hartus fassus se & suos errare, in eo quòd Pontificis summi primatum Reginæ ab Anglis tribui putant. *Epist.* §. 5. libertate donatus. *Admonit.* §. 6.

Iohannes Hussus ut à Papistis tractatus. 1. 2. 2. *Præfat.*

Ioseph dictus bos Dei. 2. 3. 12. certum locum locum sepulturæ per fidem elegit. 1. 9. 10.

Irenæi ossa non effossa à Protestantibus. 1.9.6 & 7.
Isis, mortalis mulier. 2.3.37. sub cuius nomine lunam colebant Ægyptii. 2.2.5.
Iudas Galilæus negans reddenda, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. *Epist.* §.4.
Iudas Maccabæus non obtulit sacrificium pro defunctis. 1. 5. 8. & 9.
Iulianus apostata thus imaginibus adoleri voluit. 1.4.17. eius imitatores Papistæ, non Protestantes. 1. 6. 7. Martyres pro diis coli calumniabatur. *Ibid.*
Iunonis Monetę simulacrum non loquutum. 2.3.61.
Iupiter, Deorum summus Ethnicis. 2.3.54. mortalis. 2. 3. 9. Belus apud Persas vocatus. 2. 3.51. idem cum Sole, Græcis, 1. 5.17. cælum, Senecę. 2. 3.70. æther, Bellarmino, 2. 3. 56. Iupiter pluvius. 2. 3. 20. & 60. an Iovis dictus à Iehova. 2.3. 18. illius nomine Deum verum notabant quidam Ethnici. 2. 3. 47. *& sequentib.*

L

Latria imagini crucis & Christi exhibita. 1.1.13. *Item* 1.5.17. *Item* 2. 2.1. defenditur à Valentiano. 2. 9.11. Latria exhibita sacramento Eucharistiæ, *Epist.* §. 2.
Latriæ & duliæ distinctio Papistica. 1.1.13. à Calvino reprehensa. 1.8. 7. Bellarminiana latriæ proprię & analogicæ. 2.2.8.
Latrones duo Neapolitani, Paternoster & Avemaria. *Epist.* §.3.
Laurentii corpore conspecto, quid sequutum narretur. 1.9. 11. in eius actis multa apocrypha. 1. 5.23.
Lubinus, bestia. 1.5.25. & 33.
Lucianus blasphemus. 1. 2. 3.
Luna à Syris colitur sub Iunonis nomine. 1.5.17. ab Ægyptiis, sub Isidis. 2.2.5.
Lustrationem Ethnicorum in februis sacris imitantur Papistę. 2. 3.13.
Lutheri duo magna peccata. 1. 3. 1. libri à Pontifice exusti. *Præfat.* blasphemias ei duas immeritò obiicit Bellarminus: unam, omnes fideles æquè sanctos esse, ac est B. Maria. 1. 3. 2. alteram, se æquè magni æstimare preces cuiuslibet fidelis, ac Mariæ. 1. 3, 8. eum negare Sanctorum animas videre Deum mentitur Bellarminus. 1. 7. 1. & 2. convicia in ipsum à Iesuitis coniecta, 1. 8. 11.

M

Magdeburgensibus calumniosè obiectæ blasphemiæ à Bellarmino: quòd Marię peccatum cum peccato Evæ conferant. 1, 4. 2. quòd Petri lapsus recensent. 1. 4. 3. quòd inter Pauli infirmitates numerent

merent desperationem de vita, & observationem ceremoniarum Iudaicarum. 1.4.18. quòd Patres omnes erroris accusent. 1.4.19.

Manichæi Solem esse Christum non dicebant. 2.3.27. *Item* 2.8.2.

Marcionem non imitantur Protestantes, sed Papistæ. 1.4.17.

Maria dicta Papistis Regina cœli. 1.1.13. stella maris, domina mundi, portus salutis, dulcedo, vita, spes nostra. 1.2.5. *Item* 1.3.8. Dea, Leoni X. 1.2.4. à diversis locis diversa nomina habet, in quo Baali comparatur à Ribera. 2.3.54. Maria Lauretana. 2.3.42. à Lauretano colle: ubi cubiculum, in quo nata & educata. 2.3.57. Maria Cleriana. 1.9.8. Maria Prunetana. 2.3.70.

Mariam Bellarminus, ex Chrysostomo, sanctiorem Seraphicis spiritibus facit. 1.2.3. *Item* 1.3.1. ex Anselmo, maximæ puritatis sub Deo. *Ibid.* ex Bernardo, exaltatam super omnem creaturam. 1.3.4. Lutherus aliis sanctitate passiva adæquavit. 1.3.2. conceptam in peccato tradit Bernardus. 1.3.4. & Anselmus. 1.3.6. peccasse pronuntiat Chrysostomus. 1.2.5. *Item* 1.3.5. & alii Patres. 1.4.18. num etiam, quum amisit Christum in templo. 1.4.2. sceleratis hominibus annumerari à Bellarmino. 1.5.34.

Mariam honorandam, non adorandam, affirmat Epiphanius. 1.1.1. *Item* 1.3.4. id ipsum docent Protestantes. 1.8.6. Papistæ eam æquant aliquo modo Deo. 1.1.13. quod Dei proprium est, attribuunt ei: idq; depravando etiam Scripturam, IPSA CONTERET CAPVT TVVM. *Epist.* §. 6. victoriam de Turcis reportatam, acceptam ei referunt. 1.1.13. ut illi sacrificabant Collyridiani. 1.2.5. & Christianocategori imaginem eius colebant, 2.2.7. Papistæ pro ea Deum comprecantes, 1.8.13. invocantes eam in Synodo. 1.2.4. in naufragii periculo. 1.2.5. ut serenitatis ac pluviæ donatricem. 2.3.70. Eius simulacrum Hyacintho loquutum. 1.9.10. *Item* 2.3.63. pro ipsa habitum & invocatum. 2.3.70.

Martini ossa à Protestantibus non cremata. 1.9.8.

Martyres non facit pœna, sed causa. *Epist.* §.4.

Martyrium non subeundum, Gnosticorum hæresis. 1.6.3. de Martyrum cultu, *Vide* Sanctorum. de Martyrum reliquiis, *Vide* Reliquiæ.

Masius sub Indicis expurgatorii cēsura. 1.4.3. *Item* 1.5.3. perstringitur à Papistis, quasi plus Rabbinis tribuens, quam Patribus. 1.5.2.

Irenæi ossa non effossa à Protestantibus. 1.9.6 & 7.
Isis, mortalis mulier. 2.3.37. sub cuius nomine lunam colebant Ægyptii. 2.2.5.
Iudas Galilæus negans reddenda, quæ sunt Cæsaris, Cæsari. *Epist.* §.4.
Iudas Maccabæus non obtulit sacrificium pro defunctis. 1. 5. 8. & 9.
Iulianus apostata thus imaginibus adoleri voluit. 1.4.17. eius imitatores Papistæ, non Protestantes. 1. 6. 7. Martyres pro diis coli calumniabatur. *Ibid.*
Iunonis Monetę simulacrum non loquutum. 2.3.61.
Iupiter, Deorum summus Ethnicis. 2.3.54. mortalis. 2. 3. 9. Belus apud Persas vocatus. 2. 3.51. idem cum Sole, Græcis, 1. 5.17. cælum, Senecę. 2. 3.70. æther, Bellarmino, 2. 3. 56. Iupiter pluvius. 2. 3. 20. & 60. an Iovis dictus à Iehova. 2.3. 18. illius nomine Deum verum notabant quidam Ethnici. 2. 3. 47. & *sequentib.*

L

Latria imagini crucis & Christi exhibita. 1.1.13. *Item* 1.5.17. *Item* 2. 2.1. defenditur à Valentiano. 2. 9.11. Latria exhibita sacramento Eucharistiæ. *Epist.* §. 2.
Latriæ & duliæ distinctio Papistica. 1.1.13. à Calvino reprehensa. 1.8. 7. Bellarminiana latriæ proprię & analogicæ. 2.2.8.
Latrones duo Neapolitani, Paternoster & Avemaria. *Epist.* §.3.
Laurentii corpore conspecto, quid sequutum narretur. 1.9. 11. in eius actis multa apocrypha. 1. 5.23.
Lubinus, bestia. 1.5.25. & 33.
Lucianus blasphemus. 1. 2.3.
Luna à Syris colitur sub Iunonis nomine. 1.5.17. ab Ægyptiis, sub Isidis. 2.2.5.
Lustrationem Ethnicorum in februis sacris imitantur Papistę. 2.3.13.
Lutheri duo magna peccata. 1.3.1. libri à Pontifice exusti. *Præfat.* blasphemias ei duas immeritò obiicit Bellarminus: unam, omnes fideles æquè sanctos esse, ac est B. Maria. 1.3.2. alteram, se æquè magni æstimare preces cuiuslibet fidelis, ac Mariæ. 1.3.8. eum negare Sanctorum animas videre Deum mentitur Bellarminus. 1.7.1. & 2. convicia in ipsum à Iesuitis coniecta, 1.8.11.

M

Magdeburgensibus calumniosè obiectæ blasphemiæ à Bellarmino: quòd Marię peccatum cum peccato Evæ conferant. 1. 4. 2. quòd Petri lapsus recensеant. 1.4.3. quòd inter Pauli infirmitates numerent

merent desperationem de vita, & observationem ceremoniarum Iudaicarum. 1.4.18. quòd Patres omnes erroris accusent. 1.4.19.

Manichæi Solem esse Christum non dicebant. 2.3.27. *Item* 2.8.2.

Marcionem non imitantur Protestantes, sed Papistæ. 1.4.17.

Maria dicta Papistis Regina cœli. 1.1.13. stella maris, domina mundi, portus salutis, dulcedo, vita, spes nostra. 1.2.5. *Item* 1.3.8. Dea, Leoni X. 1.2.4. à diversis locis diversa nomina habet, in quo Baali comparatur à Ribera. 2.3.54. Maria Lauretana. 2.3.42. à Lauretano colle: ubi cubiculum, in quo nata & educata. 2.3.57. Maria Cleriana. 1.9.8. Maria Prunetana. 2.3.70.

Mariam Bellarminus, ex Chrysostomo, sanctiorem Seraphicis spiritibus facit. 1.2.3. *Item* 1.3.1. ex Anselmo, maximæ puritatis sub Deo. *Ibid.* ex Bernardo, exaltatam super omnem creaturam. 1.3.4. Lutherus aliis sanctitate passiva adæquavit. 1.3.2. conceptam in peccato tradit Bernardus. 1.3.4. & Anselmus. 1.3.6. peccasse pronuntiat Chrysostomus. 1.2.5. *Item* 1.3.5. & alii Patres. 1.4.18. num etiam, quum amisit Christum in templo. 1.4.2. sceleratis hominibus annumerari à Bellarmino. 1.5.34.

Mariam honorandam, non adorandam, affirmat Epiphanius. 1.1.1. *Item* 1.3.4. id ipsum docent Protestantes. 1.8.6. Papistæ eam æquant aliquo modo Deo. 1.1.13. quod Dei proprium est, attribuunt ei: idq; depravando etiam Scripturam, IPSA CONTERET CAPVT TVVM. *Epist.* §. 6. victoriam de Turcis reportatam, acceptam ei referunt. 1.1.13. ut illi sacrificabant Collyridiani. 1.2.5. & Christianocategori imaginem eius colebant. 2.2.7. Papistæ pro ea Deum comprecantes. 1.8.13. invocantes eam in Synodo. 1.2.4. in naufragii periculo. 1.2.5. ut serenitatis ac pluviæ donatricem. 2.3.70. Eius simulacrum Hyacintho loquutum. 1.9.10. *Item* 2.3.63. pro ipsa habitum & invocatum. 2.3.70.

Martini ossa à Protestantibus non cremata. 1.9.8.

Martyres non facit pœna, sed causa. *Epist.* §.4.

Martyrium non subeundum, Gnosticorum hæresis. 1.6.3. de Martyrum cultu, *Vide* Sanctorum. de Martyrum reliquiis, *Vide* Reliquiæ.

Masius sub Indicis expurgatorii cēsura. 1.4.3. *Item* 1.5.3. perstringitur à Papistis, quasi plus Rabbinis tribuens, quam Patribus. 1.5.2.

Machiavellus irriſor & atheos. 1. 6. 9.
Medardus, beſtia. 1. 5. 25. & 33.
Melanchthonis libri, cuiuſcunque argumenti ſint, Papiſtis vetiti. 2. 2. 8.
Melchiſedech panem & vinũ protulit, non ſacrificavit. 1. 2. 7.
Meritis Catharinæ, tanquam mediatricis, fidentes Pontificii. 1. 5. 28. meritis Ægidii. 1. 2. 6. meritis Georgii. 1. 5. 2. meritis Didaci. 2. 5. 5.
Miracula Catharinæ. 1. 5. 28. & 29. Dominici. 1, 5. 32. Hyacinthi. 1. 9. 10. Laurentii. 1. 9. 11. Crucifixi loquentis. 2. 3. 63. & ſtatuæ Mariæ. 1. 9. 10
Miſſæ abuſus. 1. 1. 4. idololatria. 1. 1. 12. recuſat ei intereſſe Comes Palatinus. 1. 1. 12. ſuperſtitioſæ preces pro defunctis. 1. 7. 7.
Mitræ bicornes unde. 2. 3. 23.
Moloch, rex, utrùm Saturnus, an Sol. 2. 3. 42. Hieronymo Lucifer. 2. 6. 2.
Monachorum nominis etymon. 2. 8. 4. eorum ventres non tangendi. 1. 3. 1.
Mortuorum nomen Sanctis attributũ abſque contumelia. 1. 5. 18.
Moſis facies radiabat. 2. 3. 23. infirmitas an impedierit, ne filium poſſet circumcidere. 1. 5. 12. peccatum, deprecantis ut deleretur de libro vitæ. 1. 5. 15. ſepulcrum divinitus occultatum. 1. 1. 11.

N

Nazarenus quo ſenſu Chriſtus. 2. 3. 24.
Neptunus quid Varroni. 2. 3. 54.
Neſtoriani anthropolatræ. 2. 2. 3. *Item* 2. 9. 12.
Nicæna Synodus II. an neget imagines Chriſti eſſe idola. 2. 2. 3.
Novatores. *Epiſt.* §. 5.

O

Oblatio ſoli Deo debita. 1. 1. 13. imaginibus exhibita thure adolendo, ab Ethnicis. 3. 3. 67. *Item* 2. 9. 5. & 6. à Carpocrate. 2. 2. 3. à Papiſtis. 1. 1. 13. *Item* 1. 2. 2. *Item* 2. 3. 67. *Epiſt.* §. 4. qui & reliquiis Sanctorum eam exhibent. 1. 6. 8.
Ophitæ ſerpentem colebant. 1. 5 1.
Oraculorum autores Dæmones. 2. 3. 58. quemadmodum reſponderint conſulentibus. *Ibid.* & 59.
Origenem pro damnato hæretico habet Bellarminus. 2. 2. 7.
Oſorius ex Calvini odio hæreticam doctrinam Catholicæ anteponens. *Epiſt.* §. 5.

P

Papa, ſeu Pappa, cur vocetur Pontifex. 2. 7. 7. dictus Dominus Deus. 1. 1. 2. *Item* 2. 5. 6. ſupremum in terris numen. 2. 3. 19. viſibilis Monarcha Eccleſiæ. *Epiſt.* §. 2. & 4. maior Imperatore quadragies ſepties. 2. 3. 27. olim collega & frater ab Epiſcopis ceteris ſalutatus, hodie adoratus ut Dominus. 2. 3. 54.

2.3.54.non ſemper ſanctus vita. 2.5.4. paſcit gregem per alios. 2. 5.5. ſubiectus civili magiſtratui. *Epiſt.* §.4. privat Principes imperio. *Ibid.* §.3. ſubditos ſolvit iuramento. *Ibid* §.2.eoſq; ad rebellionem excitat. 2.5.5. ἀλλοτριοεπίσκοπος. 1.4.16.in quæſtione fidei errat. 1.4.13. *Item* 1.7.9. negotiatur animas per avaritiam. *Epiſt.* §.1.& 2. autoritatem habet infallibilem Papiſtis. 1.7.9. eſt lapis probatus, angularis, pretioſus, fundamentum fundatum Bellarmino. *Admonit.* §. 6.

Papæ œcumenici titulus tributus Patriarchæ Conſtantinopolitano. 1.7.9.

Papiſtæ, idololatræ. 2.1.1. corruptores iuventutis. 1.6.9. *Epiſt.* §.2. *& ſequentib.* in bellis crudeles. 1.1.6. mendaces in ſuppliciis ſuis exaggerandis. 1.1.7. *Item* 1.9.8. in citandis noſtrorum dictis. 1.7.2. in ſuorum encomiis. *Epiſt.* §.4. in Patribus commemorandis. *Vide* Patres. negant Sanctorum mortuorū ſpiritus viſione divina frui. 1.7.7. honorem Sanctis debitum detrahunt. 1.8.12. Sanctorum reliquias contumelioſè tractant. 1.9.10. imitantur Ethnicos in imaginum cultu. *Vide* Imaginum.

Paternoſter latro. *Epiſt.* §.3.

Patres eatenus ſequendos docet canon, quatenus ſinit veritas. 1.9. 12. non ad ultimum uſque iota, ut Gloſſa. 1.4.19. *Item* 2.3.40. Auguſtin⁹ reſpuit in Cypriani ſcriptis, quod Scripturis non cōgruit. 2.3.40. idem facit Hieronymus in omnibus aliis. 1.5.12. omnes erraſſe teſtatur Canus, & Papiſtæ. 1.4.19. *Item* 1.5.25. Papiſtæ obligati iuxta unanimem eorum cōſenſum Scripturas interpretari. 2.3.34. mentiuntur ipſos pro ſe in omni controverſia facere. 2. 2.9. *Item* 2.3.56. & à Proteſtantibus reſpui. 2.2.9. & 11. relicto conſenſu Patrum aliquando Vigilantium ſequuntur. 1.9.12. errores in iis plurimos, excogitato commento perſæpe negant. 2.2. 10. & commodum ſenſum iis affingunt. *Epiſt.* §.6. à recentioribus rectiùs explicari multa Scripturæ loca, quàm à Patribus. 2.2.11.

Paulus an deliquerit obſervans Iudaicas ceremonias. 1.4.18. Petrum quo modo reprehendit. 1.4.17. & 18. non pugnavit cum beſtiis propriè. 2.6.6.

Perſonius autor Epitomes controverſiarum. *Admonit.* §.5. & 7.

Petri peccata quindecim commemorant Magdeburgēſes abſque ulla blaſphemia. 1.4.3. *& ſequent.* decimum ſextum adiicit Baronius. 1.4.6. abnegationem Chriſti ut excuſent Hilarius & Ambroſius. 1.4.5. *Item* 1.9.12. eum ſuperbè ac temere præſumſiſſe ait Auguſtinus. 1.5.15. non fuiſſe

proprium paſtorem Eccleſiæ Romanæ. 1. 8. 16. nec poteſtate ceteris Apoſtolis maiorem. 1. 8. 17. nec cœli oſtiarium, ut quidam delirârunt. 1. 2. 4. nec lapidem angularem, de quo Eſaias & Petrus. *Admonit.* §. 6.

Petri imago. *Epiſt.* §. 3. reliquiæ ſuppoſititiæ 1. 1. 11. cerebrum, pumex. *Ibid.* & 1. 2. 2.

Petrus Oxomenſis damnatus quòd Eccleſiam Vrbis Romæ errare poſſe aſſereret. 2. 9. 2.

Phantaſma res veras nonnunquam repræſentat. 2. 7. 7.

Pighius lectione Calvini factus ſanior. *Admonit.* §. 3.

Polydorus Virgilius de inventoribus rerum, à quibus auctus & mutilatus. 2. 2. 12. *Item* 2. 3. 70. *Epiſt.* §. 6.

Polygamia prohibita & damnata. 1. 5. 4. & 7. Valentiniani lege non permiſſa. 1. 7. 9.

Porphyrius blaſphemus. 1. 6. 6.

Poſſevini ſelecta Bibliotheca. 1. 4. 4. & 5. Papiſtis mirificè probata. 1. 5. 3. calumnioſa & mendax. 1. 8. 11. *Epiſt.* §. 5.

Prædeſtinatio ab Auguſtino & Calvino orthodoxè tractata. *Epiſt.* §. 5.

Preces Papiſtarum, Phariſæorum, Meſſalianorum. 1. 1. 9. preces pro defunctis. *Vide* Purgatorium. preces viventium magis expetendæ quàm defunctorum. 1. 3. 8. *Vide* Sanctorum invocatio.

Proteſtantes unde dicti. 1. 6. 6. immeritò reprehēſi à Bellarmino, quòd in Romana Eccleſia multa carpant. 1. 1. 4. quòd ab ea diſceſſerint. 1. 1. 5. quòd cenſuram ejus perſequutionem vocent. 1. 1. 7. quòd idololatriæ Romanam Eccleſiam accuſent. 1. 1. 10. falſò traducti, tanquam nefaria bella gerant. 1. 1. 6. tanquam provincias ac nationes decipiant. 1. 1. 8. tanquam imitentur Porphyrium. 1. 6. 6. Iulianum 1. 6. 7. Gigantes. 1. 6. 9. tanquam negent Sanctos defunctos frui aſpectu Dei. 1. 7. 1. &c. tanquam honorem omnem Sanctis detrahant. 1. 8. 1. tanquam renovent hæreſin Euſtathii. 1. 8. 2. & Eunomii. 1. 8. 3. & Conſtantini Copronymi. 1. 9. 3. tanquam reliquias Sanctorum contumelioſè tractent. 1. 9. 1. eáſq; exhument & exurant. 1. 9. 4. tanquam imagines Chriſti & Sanctorum vocent idola, tametſi non colantur. 2. 2. 2. tanquam blaſphemias in omnes Sanctos iaciant. 1. 2. 1. à qua calumnia vindicantur, Calviniſtæ. 1. 2. 2. Eraſmus. 1. 2. 3. Lutherus. 1. 3. 1. Magdeburgenſes. 1. 4. 1. Calvinus. 1. 5. 1.

Proteſtantium libros legere, Papiſtis interdictum. 1. 2. 5. etiam theologiæ profeſſoribus. 1. 4. 3. *Epiſt.* §. 3.

מסל quid ſignificet propriè. 2. 2. 4.

Purga-

Purgatorium ex 2° Maccabæorum non probatur. 1. 5. 8. & 9. Omnes sancti defuncti statim in cœlum migrant. 1. 7. 1. testantibus Scripturis, Patribus, Bellarmino. 1. 7. 7. Iniuria est orare pro Martyre. 1. 8. 12. Papistæ orant pro quibusdam qui in cœlo sunt. *Ibid.* pro Maria sæpissime. 1. 8. 13. pro animabus omnium defunctorum ut liberentur de pœnis inferni. 1. 8. 12. *Item* 1. 7. 7. quosdam in purgatorio mansuros usque ad diem iudicii opinantur. 1. 7. 7. quosdam nullam pœnam sensus ibi pati. 1. 8. 12. caritatem omnes, & spem, & fidem habere. 1. 7. 7.

Puritani, & Calvinopapistæ. *Epist.* §. 5.

Q

Quintinus blasphemus. 1. 1. 1. *Item* 1. 5. 1.

R

Rabbini ineptè excusantes Iacobi mendacium. 1. 5. 6. nugantes spectra capite deorsum verso ascendere. 2. 7. 7. à Genebrardo sæpe futiliter citati. 1. 5. 3.

Rebeccæ peccatum. 1. 5. 6.

Regina cœli quæ. 1. 2. 5.

Reliquiæ Sanctorum quo in honore habendæ. 1. 6. 5. *Item* 1. 9. 10. à Papistis quemadmodum ornentur. 1. 1. 11. & colantur. 1. 9. 3. supposititiæ obtruduntur pro veris. 1. 1. 11. ut Catharinæ. 1. 5. 28. Christophori. 1. 5. 26. Georgii. 1. 9. 7. Irenæi. *Ibid.* Petri. 1. 2. 2. *Item* 1. 6. 5. ac decem millia talium Romæ, teste Valla. 1. 9. 7.

Reliquias Lutherus cur abscondi voluerit. 1. 1. 11. Protestantes omni honore non spoliant. 1. 9. 1. sed honestè humari volunt. 1. 9. 2. falsò affirmantur eas ubique exurere. 1. 9. 4. reliquiásq; Martini, Irenæi, Hilarii exhumasse ac cremasse. 1. 9. 5. & 7. Papistæ eas tractant parum honorificè. 1. 1. 6. exhumantes Wiclefi corpus. 1. 2. 2. & Hyacinthi. 1. 9. 10. ac Sanctorum ossa insepulta servantes, contrectantes, dissipantes. 1. 9. 11.

Romana ecclesia. *Vide* Ecclesia.

Rosarium B. Virginis. 1. 8. 13. Ejus fraternitas à Dominico instituta. *Ibid.*

S

Sacerdotes Isidis rasi. 1. 9. 7. ac ut Ethnici, sic Papistici. 2. 3. 67.

Sacramentum Eucharistiæ à Papistis adoratum. 2. 6. 6. *Epist.* §. 2. & 4. *Vide* Missa.

Sacrificati homines Molocho, Saturno, Baali. 2. 3. 42. & 44. *Item* 2. 4. 7.

Sacrificium soli Deo debitum. 1. 1. 13. *Item* 1. 2. 6. *Item* 2. 1. 1. adhibitum

bitũ ad expianda leviora peccata. 1.5.8, oblatum mortuis, 1.6.4, & numinibus Ethnicorum. 2.5.2. Iulio Cæsari, Augusto, Caligulæ. 2.3.44. in Missa propriè propitiatorium offerre se Papistę dicunt. *Epist.* §.4. *Vide* Oblatio.

Samuelis phãtasma à Pythonissa excitatum. 2.7.7.

Sancti mortui beati sunt, & Deũ vident. 1.7.1, quod Bellarminus falsò asserit negari à Luthero. 1.7.2. à Calvino. 1.7.3. à Calvinistis. 1.7.6. negatũ est à Iohanne XXII. 1.7.8. ex parte negatur à Papistis. 1.7.7. An fide nobiscũ sint conjuncti. 1.7.4, non intelligunt preces nostras. 1.5.16. nec in facie Dei, tanquam in speculo, eas vident. 1.5.19. orant pro nobis in genere solùm. 1.3.8.

Sanctorum cultus & honor legitimus, Patribus probatus. 1.8.1. Wiclefo. 1.8.5. Magdeburgensibus. 1.8.6. Calvino. 1.8.7. imminutus ab Eustathio. 1.8.2. ab Eunomianis. 1.8.3. à Papistis, dũ preces pro beatis fundunt. 1.7.7. *Item* 1. 8. 12. & 13. dum homines à Scripturis legendis & audiendis arcent. 1.8.14. & 15. dũ Petrum dignitate Apostolatus exuunt. 1.8.16. Apostolosq; ceteros de gradu suo deturbant. 1.8.17.

Sanctorum invocatio nequaquã usitata priscæ Ecclesiæ. 1.6.7. & 8. Wiclefo improbata. 1.6.2. & Aquinati, si gratiam ab iis petas, aut gloriam. 1.2.6. astipulante Bellarmino. 1.6.2. recepta Pontificiis. 1.2.4. & 5. implorantibus Petrum, ut cœli janitorem. 1.2.4. *Item* 1.6.8. Mariam, in discrimine naufragii. 1.2.5. Sebastianum, & Rochum, contra pestem; Raphaelem, ad curandum dolorẽ oculorum; Apolloniam, ad dentium. 1.6.7. Michaelem in bello. 1.6.8. & Georgium. 1.5.22. Catharinam in quacunq; afflictione. 1.5.28. Hippolytũ. 1.5.23. Christophorũ. 1.5.26.

Sanctos contemni & blasphemari à Protestãtibus calumniatur Bellarminus. *Vide* Protestantes. Papa canonizat, inepta ἀποθεώσει. 1.5.24. *Item* 2.5.6. Deos tutelares vocat Iovius. 1.5.25.

Saræ peccatum 1.5.4.

Saturno cerei accensi. 2.3.13.

Scanderbegi ossa à Turcis exhumata. 1.9.11.

Scripturarum ignorantia non excusat. 1.4.15. ad fontes Hebræos & Græcos recurrendum, quum in rivulis versionum varietas est, aut dubitatio. 1.5.9. versio Septuaginta interpretum. 2.7.12. vetus vulgata versio Latina, Papistis sacrosancta. 2.3.2. *Item* 2.8.1. Hujus editio quæ authentica. 1.4.13. ea corrupta & depravata. *Epist.* §.6.

Scripturas laici ne legant, cautio Pontificia. 1.5.33. & 1.8.14. nec Regulares. *Ibid.* nec Episcopi quidam,

dam, ne fiant hæretici. 1.1.2. & 1. 8.15. nec theologi Sorbonæ eas legere soliti. *Ibid.*
Senecæ Epistolæ ad Paulum supposititicæ. 2.3.78.
Sephora circumcidens filium deliquit. 1.5.10.
Sepultura debita corporibus sanctorum. 1.6.5. ea carere ignominiosum. 1.9.11. honestè adhibenda absque superstitione. 1.9.1. nimiáq; pompa. 1.6.5. Martyribus apud Ægyptios malè denegata. 1.9.12. ad Martyrum sepulcra olim prostrati Deum invocabant. 1.6.7. *Vide* Reliquiæ.
Serapis Ægyptiorum Deus, 2.3.8. *Vide* Apis rex.
Serpens æneus, typus crucis & crucifixi. 1.2.2. & 1.6.5.
Serveti hæretici convicium in Sanctos reprehensum à Calvino. 1.1.1.
Sibyllæ vaticinium fictum. 2.3.78.
Simulacri nomen imagini rectè tribui negat Bellarminus. 2.8.1. Lactantianam ejus etymologiã carpens, 2.8.2. vafrè, sed frustra. 2.8.3. Verarum rerum imagines dicũtur simulacra. 2.8.4. nec semper in Scripturis habetur Græcè εἴδωλον, ubi Latinè simulacrum. 2.8.5. nec simulacrũ ibi semper pro idolo, aut malam in partẽ sumitur. 2.8.6. immo vocatur aliquando εἰκὼν, eóq; rei verę imago Bellarmino. 2.8.7. Augustino idem est cũ imagine. 2.8.8. & Hieronymo. 2.8.9. & Lucretio ac Virgilio. 2.8.10. *Vide* Idolum, & Imago.
Sol, Baal. 1.5.17. *Itẽ* 2.3.25. Phænicũ lingua Elæagabalus. 1.5.17. An sub nomine Molochi cultus, 2.3.42. sub Apollinis, Bellarmino. 2.3.56. à Persis colitur ut Deus, 2.3.27. & ab Hermete Deus dictus. 2.4.4. à Rhodiis colossus forma humana ei consecratus. 2.3.25. & 53. similiter à Romanis. 2.3.55.
Sophista horribilis Lutetiæ. 1.8.8.
Sorbona, primogenita Papæ. 1.8.15. magna disputatrix, & Scripturarum rudis. *Ibid.*
Staphylus mendax. 1.7.2.
Stapletonus immeritò Whitakerum carpit ob codicem manuscriptum citatum. *Admonit.* §.5. quàm peritus Græcè. *Ibid.* §.7.
Superstitio qvid. 1.5.9.
Surius mendax. 1.9.6.

T

Templa antiquissima Orientẽ spectantia. 2.3.46. Apostolorum & Martyrum non ingrediebantur Eunomiani. 1.8.3. nec Eustathius ad sacros conventus approbabat. 1.8.2. fictitiis nominibus dicata à Papistis. 1.5.25.
Templum catholicum Anglorum Romæ hæreticum. *Epist.* §.4. & 5.
Thabor mons celebratus ruinis trium tabernaculorum, quæ Petrus exstrui cupiebat. 1.4.6.
Thomæ Aquinatis doctrina Iesuitis

maximè probata. 1. 1. 13. quanto is in pretio Innocentio Papæ. 1. 4. 17. ſcripta eius laudata voce Crucifixi. 2. 3. 63.
Thomæ Cantuarienſis mauſolêum. 1. 1. 11. reliquię à Papiſtis cultę. 1. 9. 3.
Tranſubſtantiatio. *Vide* Euchariſtia.
Tridentinum concilium à Campiano celebratum. 1. 2. 4. qualem delectum Epiſcoporũ totius orbis habuerit. 2. 3. 88.
Triton Palæſtinis Dagon. 2. 2. 4.
Tropus, quum poſtulat ratio, non admiſſus errores multos parit. 2. 6. 6.

V.

Valentini Gentilis hęreſis à Calvino refutata. *Epiſt.* §. 5.
Vbique Chriſtus non eſt ut homo, ſed ut Deus. 1. 6. 3.
Vbiquitas nec ſanctis hominibus convenit, nec angelis. *Ibid.*
Veneri ſufficiunt in præfectura maris Beatam Virginem Papiſtæ. 1. 2. 5.
Veronica quæ, & quanto in honore. 2. 3. 81.
Vigiliæ olim celebratę in honorem Martyrum, pòſt intermiſſæ & abolitæ. 1. 9. 12.
Vigilantius, ſanctus presbyter Hieronymo. 1. 6. 5. non negavit Sanctos beatos eſſe & cum Chriſto. 1. 6. 3. negavit eos colendos, ut Hieronymus negat. 1. 6. 4. Hieronymus acriùs quam veriùs in eum intonat. 1. 6. 3. eius ſententiæ de nocturnis vigiliis ſubſcribunt Pontificii. 1. 9. 12.
Viſione Dei privari quàm gravis pœna. 1. 8. 12. an fruantur Sancti. *Vide* Sancti mortui.
Vituli vox quid notet. 2. 3. 12. *Vide* Apis vitulus, & Idolum vituli.
Votum, cultus Dei. 2. 1. 1.

VV

Whitakerus defenſus à Stapletoni calumnia. *Admonit.* §. 5.
Wiclefi corpus exhumatum, & crematum quadraginta annis poſt mortem. 1. 2. 2. libri exuſti. *Præfat.* ſententia de Sanctorum cultu orthodoxa. 1. 6. 2. *Item* 1. 8. 5.

X

Xylander iniuria perſtrictus à Sandero & Bellarmino. 2. 8. 11.

Z

Zelus præpoſterus, quid. 1. 5. 9. ſine ſcientia eſt prava devotio. 1. 4. 10.

FINIS.

Lactantius Libro 1°
de falsa religione
quare nō ē dubiū quin religio nulla sit
vbi sapientia simulatur ē.

...o vult p. Item
lapidis rasi